



A  
20

269


011888013



*Del Colegi de la Com. de N. de Guadalupe. 1786*  
ENCHIRIDION  
PSALMORVM DAVIDIS

REGI PROPHETÆ EX  
HEBRAICA VERITATE:

Cùm Psalterij, Canticis, in calce singulatim  
adiectis, & interpretationibus ex Hebræorū  
Commentariis in eisdem Psalmos passim, &  
intercisè, in latinum carmen redactum, &  
illustratum, *Doct. Iuan Baptista Valencuela.*  
Per Franciscum MOVRETTVM, Aduocatū &  
Consiliarium Regium in vrbe Abauillea, &  
iurisdictione prefecturæ Pontiniensis.



PARISIIS,

Apud Michaëlem Somnium, sub scuto  
Basilienfi, via Iacobæa.

M. D. LXXXI.

CVM PRIVILEGIO.



AD CHRISTIANISSIMUM,  
& inuictissimum Henricum tertium,  
Gallia, & Poloniae Regem.

Franciscus Mourettus, suus in vrbē Abbauillæ, & perfectura  
Pontiniensî Aduocatus, & Consiliarius: perpetuus  
& obsequentissimus seruus.



*Heredem regni Rex Carolus ille reliquit  
Te Henrice. Illustre est nomen in orbe tuum.  
Est HENRICVS, honos excellens nobilitate,  
Rector iustitia, ciuibus vna salus.*

*Herculis inuicti ingentes, duròsque labores  
Egregia vincis roboris arte tui.  
Nestor consilio, atque animi virtutibus, annos  
Rex huius videas, pacis & omne bonum.  
Inuictus ducis bella, insignesque triumphos  
Cæsar & Alcides victor in hoste tuo.  
Virtus te laudat, mortalem fert super astra  
Splendida, & vno anno Rex duo regna regis.  
Fatali hac luce, atque die, quo, iure Poloni  
Regem sælicem te statuere suum.  
Augustum hoc regnum tibi frater morte reliquit:  
Natura, & virtus, & Deus illa ferunt.  
Charus erat populo, Domino charissimus hic est.  
In celo sælix viuit hic, ille Deo.  
Æterni regis regum, Rex viuit in arce:  
Excelsique Dei regna beata petit.  
Te videt interea generosa Polonia regem.  
Præsentemque sibi Francia tota cupit.  
O Henrice, tuus reditus dat gaudia mæstis:*

Henricus Franciæ & Poloniæ Rex.

Lacrimam hortatur, maestitiamque fugat.  
Oppressis iura, & lachrymis solatia praeber:  
Natalenti cum tu vis reperisse locum.  
Illustre hoc regnum, & faelix, diademamque sacrum  
Aequanimis princeps cum ratione rege.  
Rex es iure tuo, regnum rex iustus, & aequus.  
Erige, subiectus tu rege lege tuos.  
Xerxis bella tibi cedant, pax aurea regno  
Accedit, pacem conciliare cupis.  
Afflictum populum solaris pace quieta,  
Sit pax illa Dei, qui bona pacis amat.  
Pacem exoptavit frater Rex Carolus, ille  
Omnibus in bellis victor in hoste fuit.  
Churus amor, rex omnipotens, lux, vita, salusque  
Carolus excellens, & generosus, erat.  
Carole tu Henricum fratrem, regemque relinquis  
Haeredem regni, dum necis arma subis.  
Heu mors flenda viris qua te rapit ante iuuentam  
Tempus maturum, florigerumque decus.  
Ah mors iniusta immaturo flore iuuentam  
Naturam cogis ferre tributa tibi.  
Sic fratri Regi tu Rex Henrice Monarcha  
Succedat, sceptrum dat tibi fratris amor.  
Filius, & frater Regis, Rex inclytus es tu:  
Rex frater, regnum dat tibi morte sua.  
Occasus solis, dat solis luminis ortum:  
Et de morte truci, vita beata venit.  
Francia nunc faelix, faelixque Polonia Regem  
Te videt, obsequium, seruitiumque gerens.  
Hac faelice die, qua angusta Polonia regnum  
Dat tibi, Gallorum pulchra corona venit.  
Fatalis, celebrisque dies, illustris honoris:  
Namque dies cadem dat duo regna tibi.  
Illud maiores nunquam videre, sed illud

Carolus.

Gens utraque, una prosperitate videt.  
Illud summus honos, te clara Polonia Regem  
Elegit, nec te viderat illa sibi.  
Hoc fecit probitas ingens, heroica virtus,  
Et tua nobilitas, ingenique decus.  
Hoc amor, & virtus, heroica mensque peregit:  
Et tua dexteritas, & tuus altus honos.  
Sic virtute potens, & gestis strenuus heros  
Francia honore novo nobilitare soles.  
Te Dominus redamat, te diligit orbis, & unum  
Francia te redamans (summe Monarcha) colit.  
Ex celebri regno, rex quando reuerteris, vrbes  
Omnes te extollunt, magnificantque sibi.  
Te Veneti insignes, miris cum mille triumphis  
Excipiunt, laudes commemorantque tuas.  
Quattuor insignes bellorum in laude triumphos  
Victori adiciunt dura per arma tibi.  
Te regem in bello, & faelici pace potentem  
Laudant, & multum clara trophaea probant.  
Pelei, & illustris Cleopatrae, siue Deorum  
Ambrosiam, & nectar, dant in honore tibi.  
Te populi regem summo reuerentur honore:  
Austria, & excellens illa Vienna colit.  
Te omnes mirantur, summum laudantque Monarcham:  
Et te Germani laudis honore ferunt.  
Omnes te regno, & merito dignantur honore:  
Te regem vocitant, excipiuntque suum.  
Corde, ore unanimi Dominumque, Deumque precantur:  
Ut regni viuas prosper in arce tui.  
Multorum mores instar prudentis Phylsisi  
Vidisti, ut regni tu decus omne regas.  
Perfecti regis tu dotibus omnibus illis  
Exornaris, in hac nobilitate tua.  
Sic duo regna capis toto simul orbe remota.



Sed regnum, iusta non capit arte duos.  
 Penthecoste, dies ortum, duplicemque coronam  
 Præbet, sed triplicem rex Deus ille dabit.  
 In terra duplex, triplex manet ultima cæle:  
 Sic regnum triplex, duplicem manus habet.  
 Verè rex sapiens stabilis tu nobile regnum,  
 Et sophia æternas diligis vnus opes.  
 Institutam obseruas, populum tu dirigis, atque  
 Diligis, hoc regnum dat Deus ille tibi.  
 Ipse Deum metuis, tu diligis, & colis ultro:  
 Das regno leges, iustitiamque tuo.  
 Rex es magnanimus, dum fors iuctatur iniqua:  
 Omnes ad Christum religionem vocas.  
 Lux ardens fidei, fidei tu iustus in hostes  
 Vindex, vindictam lex tibi sancta dedit.  
 Sol rutilans regni, Gallorum gloria prima:  
 Gallia te regem iactat habere suum.  
 Æquus es, & iustus, princeps pius, & pietate  
 Lucas, tu lucas iustitiaque tua.  
 Lumine conspicua es supremi regis imago:  
 Omne tuum regnum rex ratione regis.  
 Regnum diuinum, res est sincera, figura  
 Virtutis, summo res bene grata Deo.  
 Maxima res, regnum, incorrupta, ac optima res est:  
 Res est excellens, & generosa viris.  
 Est ornamentum præstans, & valde decorum:  
 Xerxis non quærens horrida bella ducis.  
 Lex animata viris es rex, lex vna, per orbem:  
 Lex, donum est Domini, qui regit orbis opus.  
 Legibus integris instructa Monarchia, Regis  
 Principis e iustis constabulata sui  
 Ob decus excelsum, res est diuina, molesto  
 Accessu res est, difficilisque suo.  
 Te ad regnum euexit virtus heroica, summi

Natus Anno  
 Dñi. 1550.  
 Die Penthe-  
 costes.  
 Rex Poloniæ  
 1571.  
 Et Rex Fran-  
 ciæ. Anno  
 1574. Pêthe-  
 costes codè  
 dit.

Ephâte Py-  
 thagorici ex  
 lib.  
 De regno.  
 Diotogenis  
 Pythagorici  
 in lib.  
 De regno.

Ephâte Py-  
 thagorici in  
 eodem lib.  
 De regno.

Excelſique Dei gratia, laus, & amor.  
 At cæte pauci, quos rex Deus æquus amauit:  
 Atque ardens virtus clara per astra, rapit.  
 Francica celsa domus, tanta domus huius origo  
 Ex Germanorum nobilitate fuit.  
 Vindicat, & mirans iactat Germania fœlix  
 Illam diuinam, magnificamque domum.  
 Gallorum in terris hac regnum erexit, & illud  
 Auxit bellorum strenuitate graui.  
 Omnibus in bellis tanta virtute, feroci  
 Corde, & magnanimis præstitit illa viris.  
 Vt nulla in toto hoc terrarum occurreret orbe  
 Gens illi, quam non fregerit arte sua.  
 Illam si populi tentarunt Marte furentes:  
 Hostes armorum dexteritate, premit.  
 Hos urget properante fuga, stratagemate claro  
 Fundit, & illa sibi pulchra trophæa refert.  
 In palma victrice sua, non illa superbit:  
 Hac victo vitam, iure relinquit ouans.  
 Componit fluctus animi, tumidòsque furores:  
 Gaudia, spemque graui subiicit illa iugo.  
 Sic Gallos superat Francorum hac inclyta virtus.  
 Et forti redigit sub ditione sua.  
 Inuictis bellis, non solum laudis honore  
 Sed mundi vita, Gallia victa fuit.  
 Gallia tota, illi Herculeæ ditione redacta  
 Atque triumphata hæc, vi dominante fuit.  
 Francia sic victrix, prima imperat, & iubet, illam  
 Frangere Romani non potuerunt manu.  
 Nec gens ulla ferox, summa imperii que potestas  
 Viribus hanc potuit debilitare suis.  
 Nullus erat qui illam patriam fregisset, & igni  
 Aut ferro, in vasta perdomuisset humo.  
 Sic supremus honos, & gloria nobilis huius

Regni, Francorum sub ditione manet.  
 Ad regnum hoc felix, huius florensque potentis  
 Imperij tanta cognitionis opus  
 Contendit virtus, fortunaque, sed tamen illic  
 Inualuit potius gratia vera Dei.  
 In lata Europa nullum tam nobile regnum  
 Nullaque tam florens undique terra viget:  
 Nullus honos regni, qui non ab origine prima  
 Francorum ex claro sanguine sumat opus.  
 Qui nec natales Francorum ex stirpe decora  
 Sumpserit, & clarum, perpetuumque decus.  
 Et multi heroes antiquitus ore ferebant.  
 Se, ex Traianorum sanguine, stirpe sua.  
 Stirpe illustri, quae praclarum nomen Avorum  
 Et genus, & praeclarum laudis honore, ferat:  
 Et multum insigni titulo sublimis honoris  
 Inter cognatos, possit habere Iouem.  
 Omne quidem regnum diuinum: stirpe per orbem  
 Lilia magnificat, iactat, honorat, amat.  
 Hic stemmata, & stipes, & auitis fulta triumphis  
 Atria, & Annales, gesta que clara trahit.  
 Sublimes animos tantis natalibus aequat.  
 Illic, & longi sanguinis huius opus.  
 Illic maiorum titulos, vultusque superbos  
 Ducit, & excelsas nobilitatis opes.  
 Hic tabulas fructus generis, cerasque vetustas  
 Iactat, & excellens fert diadema sibi.  
 Sic florens regnum cum tu modereris amica  
 Et leui, & vna lege, Monarcha potens.  
 Cum sis colloquio dulci, vultusque benignus.  
 Et pius, & iustus, (Rex venerande) iuis.  
 Mirantur per sepe tuae pietatis honores  
 Cuncti, mirantur iustitiamque tuam.  
 Ergo tua haec multum miranda Monarchia sanctis

Legibus effulget nobilitata suis.  
 Egreium quiddam, Rex est, qui iura suorum  
 Iudicij seruat religione sui.  
 Cor Regis, labris qui regna gubernat, in illa est.  
 Omnipotente Dei cuncta regente manu.  
 Id quocunque volet Deus inclinabit, & hoc est.  
 Quod regnum firmat cum ratione tuum.  
 Sponsa Dei, sedus concors, Ecclesia, veri  
 Hoc firmamentum, siue columna potens.  
 Haec, corpus Christi, vna anima, & cor, spiritus vnus.  
 Vna fides, vnus religionis amor:  
 Vnum baptisma, vnus Rex, Deus optimus vnus  
 Cunctorum charus, sollicitusque pater:  
 Cunctorum haec regnum rutilans Ecclesia, dulcis  
 Huius pax, vnus nexus, amorque Dei.  
 Authorem facti Regem in sublimia vectum  
 Seruant tranquillo pacis amore suum.  
 Quid Rex? qui sacra haec, diuinamque, mente reuoluit.  
 Ille est in terris sacra figura Dei.  
 Est Rex, musarum studiosus, amabilis, vnus  
 Optimus, & gratus, pacificusque virus.  
 Calliope, cunctis forma praecellit, & altos  
 Alloquitur Reges, & comitatur eos.  
 Quemcunque illorum Regum quos Iuppiter ornat  
 Et nutrit, amplexu, colloquioque fouet.  
 Hunc Musa gnatae magni Iouis huius, honore  
 Afficiunt, cantu concelebrantque suo.  
 In linguam illius, diffundunt undique cantum  
 Dulcem, ex ore huius dulcia verba fluunt.  
 Gratia sic lingua diuina, suavis, & ori  
 Facundum eloquium, mellis luisque lepos.  
 Ast populus placidis oculis hunc prospicit, equas  
 Cum profert leges, iudiciumque suum.  
 Cum magnam litem dirimit prudenter, & omnes

Menandri.

Proverb. 2.  
1. Inter claras. C. de ma Trinitate & fide Catholica.

Paul. Eph. 1.  
1. Timot. 3.

d. l. inter claras. C. d. Tit.

Ephatq Pythag. ex lib. De regno.

Heliad. in Theogonia.

Legitimis pœnis afficit ille malos.  
 Te docta Musa (ô princeps) reuerantur, & illas  
 Iure suas dotes distribuere tibi.  
 Ipse colis Musas, è terris omnibus orbis  
 Vrame te super astra feret.  
 Ergo tua hec ingens maiestas otia menti  
 Adiciens, Musis si studet, atque vacat.  
 Siquid concedit Musis foelicibus illis  
 Diuinum, & sacrum hunc suscipe (quæso) librum.  
 Huncque sacrosanctum librum tu suscipe lato  
 Vultu, est Dauidis principis ille liber.  
 Corpore mortali mundi seruator Iesus,  
 Ex sacro illius semine prodit homo.  
 Illum regalem librum tibi dedico Regi  
 O Rex, regali venit ab æde tibi.  
 Venit ab æde tibi regali (ô Regie princeps)  
 Ex sacra, & vera, munificæque domo.  
 Hæc domus excellens, est sancti spiritus, illa.  
 Illa domus pretij nobilis esse solet.  
 Totius laudis domus est, & diues honoris:  
 Illustri cunctas vincit honore domos.  
 Regius ille liber Reges informat, & illis  
 Prascribit leges, iustitiæque vias.  
 Nobilis ille liber, cælestis, & aureus, atque  
 Diuinus, nobis prodit ad astra Deum.  
 Natiuum gustum Psalmorum (inuelle Monarcha)  
 Hic oris capient labra diserta tui.  
 Nascitur hic Christus, patitur, moriturque, resurgit:  
 Ascendit cælos, regnæque patris adit.  
 Hic orat Christus patrem, formæque precandi  
 Nos docet, vt pateat dulce salutis iter.  
 Rex Dauid, Regi Regum, summoque Monarchæ  
 Regi immortalis protulit illud opus.  
 Ingenio, limæque sua, proprioque labore

Matth. 1. 21.  
 22.  
 Luc. 1.  
 Hierc. 23.  
 Esa. 9.  
 1. Rom. 1.

Psal. 109. 76  
 22. 69. 24.  
 36. 92. 95. 68  
 Psal. 16. 88.  
 110. & 85.

Adidit in lucem gesta decora Dei.  
 Illud opus regale Deo qui regna gubernat  
 Quique regit Reges dedicat arte sua.  
 Cum Rex condiderit, cum Rex inuenerit illud:  
 Offerri bone Rex vult ratione tibi.  
 Inducium regale tuum subitura mouetur  
 Pagina tam tenuis mox peritura sibi.  
 Sed tua me pietas confirmat regia, princeps  
 Optime, solatur me tua certa fides.  
 Si tua maiestas spatium exoptat in horto:  
 Vt mentem oblectes religione tuam.  
 Hortus hic, est plenus cunctarum deliciarum:  
 Floribus & variis infusus hortus, hic est.  
 Non sunt in terra radices illius horti  
 In cælo fixæ sunt rutilante Dei.  
 Hic est thesaurus diuinae totius artis.  
 Hic est doctrina lumen, & omnis honos.  
 Est apud Hebraeos decachordum carmine dulci  
 Conscriptum lyrico, dulce pœma Dei.  
 In morem Flacci Romani currit iambo.  
 Nunc Elego versu personat, atque nitet.  
 Saphico & hoc versu dispellit tedia mentis:  
 Incedit Trimetro, Tetrametroque pede.  
 Est liber hymnorum dans omnia gaudia mæstis  
 Quos urget morbus, visque doloris atrox,  
 Solus est sermo diuini spiritus, ille  
 Angelici cœtus gaudia, summus amor.  
 Ang. lici cœtus cantus super omnia dulcis:  
 Et deportati demonis ille fuga.  
 Est hominis cum Rege Deo faunda loquela.  
 Illa Dei vox est cum patiente viro.  
 Sollicitam curam recte gerit ille dolentium:  
 Ille est ægrotis omnibus vna salus.  
 Ille salus animæ cuius suspiria tollit:

Iosephus &  
 D. Hierony.

Et quam de terra prorsus ad astra rapit.  
Nullus sacrorum librorum tam brevis, in quo  
Tot classes hominum contineantur, adest.  
Hic nunc nempe ducem gaudentem cum duce Christo  
Sibus è victis, ipse videre potes.  
Es nunc à cunctis, propriis, charisque, propinquis  
Deiectum, videas qui roget ore Deum.  
Qui supplex, humilisque Deo qui temperat astra  
Clamet, & effundat vota, præsequi suas.  
Nuncque favore Dei qui de se fidit, ad orbem  
Mox diffidentem condicione, vides.  
Nunc peccatorem auscultas sua fata gementem:  
Et flentem morbos, & scelus omne suum.  
Nunc de iustitia iactantem cernis, apertum  
Hic speculum vita totius ipse vides.  
Maiores, igitur nostri cum sepe viderent  
Illius libri commoditatis opes.  
Ut modo in officiiis divinis nocte, dieque.  
Decantaretur, constituere sibi.  
Hunc lege tu princeps, hunc tu defende Monarcha:  
Nunc ad te appellit cum vehemente metu.  
Sub felice tui regalis nominis aura  
Atque sub auspicio, presidioque tuo  
Auder in hanc lucem sese tibi prodere tuiò.  
Nam sibi confidit de bonitate tua.  
Si placet, ergò tui causam defende Clientis  
Qui tuus est humilis servus, & esse cupit.  
Valde humilis servus, qui vitam debet, & offert  
Corpus, & obsequium, servitiumque tibi.  
Si quid inest vitij, si quid mea parvula Musa  
Ignorans, errat, parcere sponte velis.  
Hac tua nobilitas, clementia regia dulcem  
Erratis veniam dexteritate ferat.  
Interpres fidus curam reddere verbum

Verbo, nam textus, perplacet ille viris.  
Emphasis hic magna est, hic est energia summas  
Davidis phrasis est, cum rogat ore Deum.  
Illic Davidis vox est, tristis que querela:  
Continuaque preces, gaudia, solus amor.  
Regius ille liber mentem cælestibus implet  
Donis, cælesti nos alit ille cibo.  
Est brevis, & facilis, propriis verbis que Latinis  
Textitur, est sermo nobilis ille Dei.  
Hic nos alloquitur Dominus qui condidit orbem.  
Hic Dominum alloquimur sapius ore Deum.  
In mundo nobis quid posset gratius esse  
Quam Domino vero, perpetuoque, loqui?  
Hic nostrum Dominum perpenamur, illius acta  
Gesti que miramur, suspicimusque fide.  
Hic summo Domino grates persolvimus, illum  
Hic nos laudamus, nos veneramur cum.  
Vis cælum in terra penetrare, o Maxime princeps)  
Et vis in cælum raptus, adire Deum?  
Nunc alisque Ecl psi nitidum vis cernere solem:  
Cernere tu purum vis sine nocte diem?  
Illustrem Dominum in præclara luce videre  
Pofcis, ut introeas hoc p. n. trale Dei?  
Et vis cum Domino spatari nocte, dieque  
E terra in cælo, raptus amore Dei?  
Illum divinum, & regalem sponte libellum  
Cere perplaceat, nam dabit illa tibi  
Er fauere meis dignare laboribus, illi  
O princeps iusta sunt ratione tui.  
Damnabunt illos multi fortasse, pusillan  
Ingenij venam, barbariemque mei.  
Cum potius leges sim tractaturus, & illam  
Formam iudicij, legitimumque form.  
Nam proprio fabri, quæ sunt fabrilis, tractant.

Et *physicus* formam materiamque docet.  
 Et *quæ* sunt *Medici*, *Medicus* pertractat, & *astra*  
*Astrologus*, miles *prælia*, pastor *ovæ*.  
 Dicit de *ventis* expertus in *aquore* *nautæ*:  
 Et narrat *dubij* certa *pericla* *maris*.  
 Qui didicit *remum*, ducat, suscepit hic *Atlas*  
*Cælum*, inter *vates* cur *Sauil* esse cupit?  
 Tentans ad *Troiam* *Græcus* peruenit, & *omnes*  
 In *rebus* *magnis* adiuvat ille *Deus*.  
 Nonnunquam est *olitor* *rudis* opportuna *locustus*:  
*Rusticus* orator *verba* profunda docet.  
 In *dolio* certè *figularem* *discimus* *artem*:  
 Cum *res* in *nostro* vertitur *illa* *foro*.  
*Iurisconsultus* *Medicorum* partibus *illis*  
 Fungitur, *Hippocratis* *conmoda* *verba* *capit*.  
 Doctus erat *Medicus* *Lucas*, hunc *Regis* *Iesu*  
 Scribam *Euangelij*, *Rex* *generose*, *vides*.  
 Hic est *sectator* *Pauli*, *peregrinus* & ille  
 Cum *diuo* *Paulo* duxque, comesque fuit.  
 Et *res* *humanas* *iurisprudencia* tractat:  
 Et *res* *diuinas* *vendicat* *arte* *sibi*.  
 Hic homo cum sit *humani*, *cælestia* *dispicit* *astra*:  
 E *terra* *authorem* *cernit* *ad* *astra* *suum*.  
 Ut *scærum* *facerem* *festis*, *sacris*que *diebus*:  
 Tractabam *nostri* *fœdera* *sacra* *Dei*.  
*Furtivas* *horas* *nectebat* *sæpè* *labori*  
 Hæc *rudis* *ingenij* *vena* *pufilla* *mei*.  
*Psalms* *Davidis* *domani* *versibus*, *illos*  
 In *tres* *composui*, *dissecui*que *tomos*.  
*Orantis* *voces* *primus* *capit* *ordine*, *crebra*  
*Vota* *secundus* *habet*, *quæ* *dabat* *ille* *Deo*.  
*Tertius* *authorum* *variorum* *cantica* *sumit*:  
 Quæ *sua* *cum* *Psalms* *fœdera* *mixta* *tenent*.  
*Argumenta* *suis* *Psalms* *hinc* *singula* *fixi*

l. septimo  
 mense. ff. de  
 stat. homi.

§. Iurisprudē-  
 tia instit. de  
 iusti. & iure.

Quæ *interpres* *fidus* *lucidiora* *dedit*.  
 Nil ego *mutavi*, *volui* *nil* *addere*, *nam* *sunt*  
 Doctæ, *viris* *doctis* *omnibus* *illa* *placent*.  
 Fœtus *abortiuus* *Musæ* *iustum*que *laborum*  
 Vestigal, *partus* *primitiæ*q; *rudis*:  
 Maiestatem *illam* *Augustam*, & *pietatis* *honores*  
 Exposcunt, *numen* *conciliant*que *tuum*.  
 Maiestate *tua* *dignissima* (scio) *non* *sunt*  
 Ista, *sed* *inceptis* *illa* *fauere* *volet*.  
 Consulet *illa* *boni*, *bonitas* *tua* *Regia*, (princeps  
 Optime,) *cum* *vultu* *suscipiet*que *bono*.

### De *Dauid*, *Iudæorum*, *Hebræorum* & *Israël* *Rege*.

**I**N *Bethleem* *natus*, *Dauid* *Rex*, *atque* *propheta*:  
 Ortus de *Iuda* *nobilitate* *tribus*.  
 Filius *hic* *Iesse*, *puer* *hic*, & *pastor*, & *annis*  
 Hos *inter* *fratres* *iunior* *vnus* *erat*.  
*Mente* *quidem* *illustri* *præstantior* *omnibus*, *ille*  
 A *Rege* *aterno* *Rex* *tria* *sceptra* *capit*.  
 In *Regem* *à* *Domino*, *fuit* *vnctus*, & *omnipotente*  
 Huius *ope*, *hic* *iunentis* *prospera* *bella* *gerit*.  
 Certandò *felix*, *vincendo* *dux* *veteranus*:  
 Ille *triumphandò* *viçtor* *amicus*, *erat*.  
*Rebus* *in* *aduersis* *patiens*, *prudens*que *periculis*:  
 In *proprio* *vitio* *nocte*, *diè*que *dolens*.  
 In *Saulis* *tristi*, *atque* *alieno* *funere* *lugens*:  
 Ad *veniam* *velox*, *perulit* *omne* *scelus*.  
 Ad *pietatis* *opes* *facilis* *fuit*, *ille* *benignus*  
 Admissum *crimen* *pœnituisse* *cupit*.  
 In *placidis* *epulis* *mitis*, *quid* *mitius* *illo*?  
 Hostem *conseruat*, *quem* *iugulare* *potesç*.  
 Vindicat *occisum*, *cum* *viueret* *ille*, *colabat*:  
 Et *Christum* *Domini* *tunc* *uocabat* *etiam*.

Diuus Hiero-  
 nymus in de-  
 scriptione  
 nominum  
 scripturæ sa-  
 cræ.

Illi terribiles immundi spiritus auras  
 Depulit, hac cithara dulcisonante sua.  
 Rufus, & aspectu pulcher, facièque decoras  
 In verbis prudens, robore fortis erat.  
 Imperio fœlix, vir bellicus aptus ad arma:  
 Est directus in hunc spiritus ille Dei.  
 Et puer hic vrsu ravidum, validumque leonem  
 Interimit, patri dum fouet ille gregem.  
 Illi dux Dominus Deus adfuit, ille g ygantem  
 Armatum, in prædam vector inermis habet.  
 Huncque sua sternens funda, caput illius ingens  
 Præcidit, gladio descenditque suo.  
 Ille Philistæos vicit, fastumque rebellis  
 Absalon gnati, qui fera bella tulit.  
 Ille Syros fortes dextra superauit, ut illi  
 seruitio addicti magna tributa darent.  
 Ille sui fluctus animi, ravidique furoris  
 Difficiles motus cum ratione regit.  
 Patris oves fratrum minimus pascebat in agris.  
 Hunc Samuel Domini voce iubente, vocat.  
 In medio fratrum Samuel, hoc Saule repulso  
 Vnixit eum in Regem, præcipiente Deo.  
 Saule sua vita sancto, fuit unctus in Hebron  
 Rex Iuda David sex sua lustra premens.  
 Rex super Israël populum, hoc in flore inuenta  
 Fugitur à senibus, principibusque viris.  
 A paruis ouibus populos Rex pascit, in aula  
 Regali, à caula, fert Diadema triplex.  
 Quadraginta annis Israël rexit, & illi  
 Præscripsit leges, sanctæque iussa Dei.  
 Inde super Iudam princeps generosus in Hebron  
 Annis septem, sex mensibus ille regit.  
 Hic in Hierusalem triginta cum tribus annis  
 Iudam atque Israël sub diuione tenet.

1. Reg. 16.  
& 2. Reg. 7.

1. Reg. 16.  
& 17.

2. Reg. 3.  
& 10.

1. Reg. 16.

2. Reg. 2.  
& 5.  
1. Paralip. 11.  
3. Reg. 19.

3. Reg. 2.

Claruit

Claruit in bellis, fœlicia prælia gessit.  
 Rex placidus, clemens victor in hoste truci.  
 Pertulit à Saule insidias, multòsque dolores:  
 A proprio gnato plurima damna tulit.  
 Casibus in tantis, in tot facibusque dolorum,  
 In tantis fatis inuocat ille Deum.  
 Ille typus Christi, dum fert tot mortis agones:  
 Dum nec succumbit casibus ille suis.  
 Cuncta ferens constanti animo, & patienter in horas  
 Solius implorat numen, opemque Dei.  
 Hebræo sermone suos hos condidit hymnos:  
 Hos celebres Psalmos obtulit ille Deo.  
 Per soluit grates Domino qui protegit illum,  
 Qui casus omnes, & mala dura leuat.  
 Hos Psalmos pulsu cithara, nablique canori  
 In laudem Domini qui regit astra, canit.  
 Cum moritur, gnatum Salomonem voce fideli  
 De regno, & regni lege, Deoque monet.  
 Ut mandat a Dei custodiat, atque fideles  
 Obseruet leges quas Deus ille tulit.  
 Ut noscat, quacumque facit, quodcumque repente  
 Vertitur, ut firmet Rex sua verba Deus.  
 Mortuus hic princeps clara sepelitur in urbe  
 Quam Sion dixit, composuitque sibi.  
 Illam, Bethlehem, & Ephratham vocitauit, in illa  
 Est nobis natus Christus Iesus homo.  
 Hic thalamum, & tumulum sibi struxit, & vnde coruscet  
 Ortus, hic occasus vult retinere diem.  
 Dormit in summa Sion cum patribus arce.  
 Sic pastor princeps vixit in orbe Deo.  
 Ante crucem Christi qui nobis natus in orbe  
 Ex Maria sacra virgine matre fuit.  
 Mille & quingentis annis: Rex ille propheta  
 Conscripsit sancti Spiritus arte, librum.

2. Reg. 22.  
2. Reg. 8.  
2. Reg. 10.  
1. Reg. 17.  
18. 19. 20. 21.  
22. 23. 24. &  
27.

3. Reg. 2.

3. Reg. 2 &  
2. Reg. 5.

Iustinus Phi-  
losof' mar-  
tyr in sua  
Apol. 2. pro  
Christianis  
ad Anto. Im-  
per. & Senat.  
populūque  
Roma.

*Hinc scriptis librum, in quo vitam Regis Iesu  
Punxit, & illius verbera, probra, crucem.*

*Spiritus hic sanctus prædixera ore futurum*

*illi, ac si gestum, præteritumque, foret.*

*Omnia quæ cecinit posthac venire, suisque*

*Temporibus verum contigit illud opus.*

*Nil verbo Domini vero diuini extat:*

*Nil verbo Domini verius esse potest.*

*Illud in æternum manet, æternumque manebit.*

*Est huius verbo semper habenda fides.*

#### Ad Lectorem.

**E**X Hebræorum synceris fontibus, ipse

Nonnulla exhausi, sedulitate mea.

Ut ducis Hebræi Davidis clarior esset

Textus, in hac nitida, mellifluaque phrasi.

Additio interpretes quæ purum hunc vndique textum

Conseruat, veræ commoda lucis habet.

Non illud Mosis, Dominóque, Deóque repugnat

Qui nobis cunctis talia verba refert.

Vos non addetis verbo, quod profero voce

Vobis, nec quicquam vos adimetis ei.

Hec tantum facito Domino, quod voce fidei

Præcipio iusta cum ratione tibi.

Non addas quicquam, minuatque fidelibus illis

Verbis, quæ vero dicitur ore Deus.

Hic loquitur populo, cui lex à Mose propheta

Seruanda insigni cum ratione datur.

Ut nihil adiciat, minuat, vel demat, at illam

Impleat, ut cunctis æditur illa viris.

Nil tamen illud obest doctis authoribus illis

Qui præfunt, Moses exprimit illa tibi.

Consilio humano loceri sancit, apertum

Præter id edictum, quod Deus ille iubet.

Quod iuxta legem: non contrariè doceret

Qui præerant populis voce iubente Dei.

Videbat Ionadab sub scripta lege, docebat

Gnatos, & gnatis optima iussa dabat.

In illa inquam, quæ non adfert doctrina fidelis

Mosis, & illa tamen comprobat ille Deus.

Esaia 40.

Deutero. 4.  
& 12.

Exod. 18.

Milarius in  
explanatio-  
ne Psal. 2.  
Matth. 23.  
Deutero. 3.  
Hier. 35.

Et Thobias gnatum exhortatur, & obiicit illi

Leges, quas Moïsis non habet illud opus.

Declaratiuam doctrinam tollere non vult

Moïses, hoc verbo præcipiente suo.

Namque sacerdotes cunctos præcepit adire:

Si lex hæc anceps, difficilisque foret.

Additionem illam quæ sit contraria legi

Hic prohibet tantum, legitimamque iubet.

Illis Esaia verbis, non illa repugnant

Quæ dat principio, primus hic ille liber.

Dulce tum vinum permiscuit vnda, superbos

Arguit hic verè, legitimæque, viros.

Rebus in humanis qui iussa humana sequuntur,

Et legem o mittunt, rectæque iussa Dei:

Si quis scripturæ sanctæ, sacræque rigorem

Temperat hac sola cum pietate Dei:

Gratiam ad insignem si vertit, & allicit vltra

Hos auditores voce fauente sua:

Si delectat eos, nec eis hoc iure timorem

Incutit, excelsi iudiciumque Dei:

Cum tamen interea sit correcturus, & illos

Hortatur, ut hic poenituisse velint:

Miscet aquam vino, corrumpit dulcia vina

Scripturæ sacræ traditione noua.

Accipit hic legem, quæ nunc sit adultera, quæ sit

Ab similibus legi, quam Deus ille tulit.

Ille regit paleis frumentum, atque irrita iussa

Hæc Domini, propria traditione facit.

Hic verum granum corrumpit, & ille medullam

Illius, populo, discipulisque negat.

Hic addit legi falso, quid? detrahit illi.

O Deus, hoc damnas additionis opus.

Additionis opus purum quod scripta relinquit

Integritate sua, tu Deus alme probas.

Ex Hebræorum nitidis his fontibus haustas

Additionis opes tu tibi (lector) habe.

Inuenies purum textum, verbumque fidele

Davidis Regis qui modò pastor erat.

Inuenies huius purissima vota, precésque

Illas integras, quas dedit ille Deo.

Hic est vera fides, velut anchora sacra salutis:

Hic spes, & veri seruior amoris adest.

Thob. 5.

Deutero. 17.

Nehem. 8.

Matth. 15.  
Marc. 7.

Fœdus amoris habes illic tu candide lector:  
Quo vnimur Domino, qui bona quæque dabit.  
Hic intereise & sparsum (vt præluceat ille  
Textus,) repperies additionis opes.  
Has adamantino vinclo, ceu fœdere quodam  
Coniunctas, illud carmen abundè dabit.  
Commentarius est facilisque paraphrasis, illic  
Dauidis phrasis est vera: piaque preces.

*Ad librum Author.*

**T**E non deterfit pumex, non lima poliuit:  
Et non arrisit Phœbus Apollo tibi.  
Ex Helicone suo tibi nec risere torores  
Musæ, quas comites iactat Apollo suas.  
Nec tu Parnassi coluisti culmina montis:  
Nec tu cum Phœbo fœdus inire potes.  
Cum rudis ergò tuus, minimèque politus hic author  
Te nulla incultum pinxerit arte tibi.  
Ad doctos vates cur audes protinus ire?  
Nâtnque tuo Authori non lepor vllus inest.  
Fonte Caballino labrum non proluit alto,  
Non in Parnasso dormiit ille tibi.  
Parue liber Musas istas, carménque profanum  
Non tractas, non hîc ridet Apollo tibi.  
Non hîc Amphion dulci testudine saxa  
Quò vult, perducit, nec prece saxa mouet.  
Delphinòque sedens cithara non mulcet Arion  
Nerea formosum, carulcòsque Deos.  
Non illic Orpheus cithara modulante, seuerum  
Mulcet Pluronem, Persephonémque suam.  
Nec recinente lyra truculento prorsus ab orco  
Eurydicem reuocat captus amore graui.  
Non syluas, & saxa mouet testudine blanda:  
Non sistit fluuios horribilèstque feras.  
Delphicus egregiis Musis comitatus Apollo

Non canit hîc carmen pectinis arte sui.  
Nec philomela canit mille hîc discrimina vocum:  
Amisfos fœrus nec gemit orba suos.  
Non hîc Syrenum cantus, Musæque suaves:  
Non Thymeles cantus, non moribundus olor.  
Sed canit hîc Dauid Christum, citharæque loquaci  
Personat hunc Christum, perpetuúmque Deum.  
Hîc est Alcæus, Thebanus Pindarus, ille  
Romanus Flaccus, siue Catullus adest.  
Ille resurgêtem Christum, dom ludit, ab orco  
Excitat hac dulcis voce sonante lyra.  
Non hîc Actæon nudatam veste Dyanam  
Conspexit canibus præda petita suis.  
A canibus rabidis Christus circumdatur illic,  
A quibus immeritò figitur ille cruci.  
Paruus vt Isaac, lignum crucis, & graue pondus.  
Depressis humeris ad sua sacra refert.  
Victima pro nobis moritur, mactandus, vt agnus  
It sponte, ad rigidæ scæua theatra crucis.  
Nòsque suo veluti Pelicanus sanguine sanat.  
Et moriens, nostræ destruit arma necis.  
Hîc canitur iudex iuris, legúmque peritus:  
Fons vitæ, & mundi totius vna salus.  
Æternæ vitæ spes est, via, vita perennis.  
Vera fides quæ nos instruit arte sua.  
Hic est in terra cælum, & Paradisus amœnus.  
Hic est Elysium, deliciæque viris.  
Hic cœli Dominus, Deus hic est trinus, & vnus:  
Hic vnus Dominus, totius orbis honos.  
Hic requies tranquila piis, hic gaudia vera:  
Hic lumen placidum, perpetuúmque vides.  
Non Mausolæum hic poteris spectare sepulchrum:  
Non hic Mausoli pompa celebris adest.  
Hic non est huius funus, non illius vxor

Hieronymus  
in epistola  
ad Paulinum  
de omnibus  
diuinæ histo-  
riæ libris.



Hic luget Regis tristitia fara viri.  
 Hic Christi funus, moesta mortemque videbis.  
 Non hic pompam huius funeris ipse vides.  
 Caesaris Augusti pompas, pulchrosque triumphos.  
 Non potes hic lata fronte referre tibi.  
 Illic sed Christus superata morte resurgit  
 Virtute illustri, tum deitate sua.  
 Hic potes insignes huius spectare triumphos,  
 Videre palmas, magnificumque decus.  
 Angelicas pompas, illarum garrula pleetra  
 Carues, Angelicæ militiæque tubas.  
 Dulcisoni litui, cithara, clangorque tubarum  
 Hic adsunt, dominum quæ tibi voce canant.  
 Qui cælum ascendit propria virtute potenti:  
 Et nos captiuos soluit ab hoste truci.  
 Hic Sphæra excellens mundi, quæ circiter ambit Psalm.  
 Suspensum terræ cum gravitate globum.  
 Fert terram, & cælum; Solem, Lunamque decoro  
 Ambitu, & hæc cæli sidera clara tenet.  
 Parue liber, magnus thesaurus conditur in te:  
 In te nec fucus, nec lepor esse potest.  
 Non petit hunc fucum, & phaleras, nitidosque lepores  
 Littera sacra, suos nec cupit illa sales.  
 Consulat ergo boni, si sint, errata benignus  
 Lector, & ignoscet protinus ille tibi.  
 Ergo tui Domini tu scripiã desere fœlix:  
 I, Liber, & cunctis candidus esto viris.  
 Illic Davidem sacrum, sanctumque poetam  
 Tu tibi habes, opus hoc, dulce poemã Dei.  
 Littera sacra suos vates non despicit, illos  
 Vendicat, & pulchro laudis honore probat.  
 Catholica hos etiam diuina Ecclesia laudat.  
 In multis profert, commemoratque, locis.  
 Nil igitur mirum, si tu complecteris illud

Diuinum, & sacra dulce poësis opus.  
 Tu diuine Plato, vates, castosque poëtas  
 Laudas, hos gnatos asseris esse Dei.  
 Vates diuinos, appellas, qui neque tales  
 Fiunt naturæ sorte, nec arte sua.  
 Illos afflatos diuino numine dicis.  
 Hos diuum curam Naso poeta vocas.  
 Et censes illos tu sacrum numen habere:  
 Hos Regum curam nunc in honore facis.  
 Atque in te Deus est vnus, quo agitante calescas  
 Dicis, & id docto differis ore tuo.  
 Spiritus hanc molem tu profers diuite lingua.  
 Ex hac ætherea sede, venire tibi.  
 Vrilia in vatium libris quàm plurima Diuus 2. lib. de ciuita. Dei, & lib. 1. cõfessionũ.  
 Hic Augustinus se didicisse refert.  
 Esse suum ciuem Colophon sibi dicit Homerum.  
 Clara Chios, proprio vendicat ore suum.  
 Huc Salamin repetit, cõfirmat Smyrna fideli Cic. In orat. pro Arch. poet.  
 Voce suum, vates nobilis ille, fuit.  
 De stirpe illius certant insigniter vrbes  
 Seprem, Smyrna, Rhodos nomine clara suo.  
 Vrbs Colophon, Salamin, ius, Argos diues, Athenæ  
 Vrbs celebris quæ omni floruit arte bona.  
 Quid? vatium nomen sanctum est, sanctosque poëtas  
 Affirmat scriptis Entius ille suis.  
 Antiqui primam sophiam dixere poësim  
 Quæ nos à cunis, vnguiculisque docet.  
 Nos ad viuendi rationes ducit, & illa Strabo lib. 1. Geographica  
 Informat mores quos polir arte sua.  
 Edocet affectus, generosas res iubet, omni  
 Cum plausu mentis, letitiaque ioco.  
 Vrbes Græcorum gnatos docuere poësim  
 A teneris annis, sedulitate bona.  
 Idque voluptatis nulla ratione, sed ansa

Castæ mensuræ commonuere sequi.  
 Summi oratores diuina poemata sumunt  
 Ad causæ robur, perpetuamque fidem.  
 Hæc etiam sumunt vel ad ornamenta, decusque  
 Facundæ vocis, colloquiique sui.  
 Sic sacrum numen, sic mens diuina poetis:  
 Et sic est magnus nominis huius honos.  
 Hi commendantur diuino munere nobis  
 Et dono summi principis, atque Dei.  
 Sic vitæ monstratur iter, sic gratia regum  
 Tentatur sacris, Pieriisque modis.  
 Clarus Arator, Sedulius, doctusque Iuuenus.  
 Tractarunt legis fœdera sacra Dei.  
 Ausi sunt etiam heroo celebrare corhurno  
 Christum, atque illius mystica gesta canunt.  
 Sylua poetarum his hederis, lauroque decora  
 Illa Evangelii verba sacrata refert.  
 Sed iucunda viris doctis fuit illa, supellex  
 Aurea Dauidis, qua datur vna fides.  
 Vincitur numeris lyricis, citharæque camœna  
 Hos apud Hebræos ille poetis honor.  
 Nonnulli lyricis depingunt versibus illum.  
 Hunc elegis alij, ritus vterque placet.  
 Hic phrasîs Hebrææ textus, seu versio, nulli  
 Illorum illaxit commoditate sua.  
 Illa quidem facilis, terso sermone latino  
 Texitur, hic medius dat stylus artis opes.  
 Hic stylus est grauis, & magnus, docet & mouet apertè:  
 Delectat mentem, colloquiturque Deo.  
 In Dominum affectus, motus, habitumque frequentem  
 Illa phrasîs transfert, conciliatque Deum.  
 Illa suas dotes veras nunc explicat, vnum  
 Hoc Campensis opus clarius ille dedit.  
 Mularum campum florentem inuisit, & horti

Quintilianus  
 lib. 1. & 10.  
 lib. c. 1.

Horat.  
 lib. de arte.  
 poetica.  
 & Carminū  
 24. Ode. 8.  
 & sermonū.  
 1. lib. 9.

Cœlestis, syluis pascua picta vider.  
 Pindarus à Græcis iactetur, & inclytus Orpheus  
 Amphionque lyræ carmine saxa mouens.  
 Hic noster vates, sacra principisque poetis  
 Ille poetarum maximus, vnus honos  
 Et solus multò præstantior ille poetis  
 Omnibus, est animus, corque, fidelisque Dei.  
 Vnus amor Domini, sincerae deliciae que:  
 Ex quo descendit Christus Iesus homo. Hieremiæ  
 23. Matth. 1.  
 21. & 22.  
 Catholicæ fidei fons, atque perennis origo:  
 Luc. 1.  
 Fœdus amicitia, spemque, fidemque, dedit. Paul. rom. 1.  
 Hic furias mouit, dirasque, trucis que Megeras  
 Expulit è Saulis pectore, voce lyræ.  
 Hic est diuinus vates, sapiensque propheta,  
 Quem reperisse Deus sponte fauente, refert.  
 Ex animi voto, Deus hic pronunciat illum  
 Se inuenisse, suum num vocat ille patrem?  
 Non minus excellens est quam author, sacra poetis:  
 Nobilium est vatum maximus ille pater.  
 Nec minus illa Deo placuit diuina poetis  
 Quam author, preconem quem sibi Christus habet.  
 Filius ille Dei, terræ venturus in orbem  
 Est prædictus ab hoc gentibus vna salus.  
 Omnibus his vatum libris, (liber inclyte) debes  
 Præferri illustri conditione tua. Psal. 89.  
 In tot bellorum metuenda tonitrua, sæua Paul. ad  
 Fulmina, vel furias, & graue Martis opus: Hab. c. 1.  
 In Chaos horrendum scelerum, & tot seditiones:  
 Tot tempestates, & genus omne mali.  
 In famis arumnas, tumidos fluctusque malorum:  
 In crudelem Hydram, Cerbereum que canem.  
 Assiduis precibus quas tu capis (ô liber) omnes  
 Tuti, & secui nocte, dieque sumus.  
 Hic sunt infixi veræ pietatis honores:

Illic solamen, lætitiæque vigent.  
Aurea ibi phrasis est, virtusque poëscos illic  
Catholicæ, & veri solis imago Dei.  
Est diuinorum arcanorum hic aurea sylua:  
Quam non Orator, siue poëta capit.  
Hic diuina latent mysteria, & vnicus horum  
Thesaurus, Sophiæ fructus, & ardor, inest.  
Illas auratas pæctoli illustris arenas,  
Hic floccifacio, nilque Beryllus hic, est.  
Hic omnes lapides pretiosi nil satis aptè  
Respondent, radiis sufficiuntque suis.  
Promissum hic Christum à patribus sacro ore prophetæ  
Iudæis, legis fœderis arte, vides.  
Illum Iudæis præclaro stemmate Regem  
Natum, ab eis pulsum, sepositumque, refers.  
Aspicias afflictum, illum denique morte seuera  
Proscriptum, vita qui sibi functus, ouar.  
Et qui victor ouans, de victa morte resurgit,  
Hac Deitate sua quæ replet orbis opus.  
Huncque resurgentem in cælos ascendere cernis:  
Vnde hic prodierat, Filius ille Dei.  
Et miraris eum victorem ascendere cælos  
Cum pompa, Angelicæ militiæque choro.  
In cælum assumptus sedet ad Patris omnipotentis  
Dextram, disponit cum Patre cuncta suo.  
E cælis veniet, viuos vt iudicet omnes:  
Et sanctos, vt homo ius dabit ille suum.  
Hic qui iudicium subiit, iudex erit, omni  
Genti iudicium, iustitiæque feret.  
Omnia sub vatis persona, hac editione  
Atque sub occultis, implicitisque locis.  
Atque sub arcanis emblematis, arte fideli  
Cernis, & id cordis iustificante fide.  
Vnus hic Antistes vatum clarissimus Odas

Concinit harmoniæ, symphoniæque; lyra.  
Hic pastor cum ouibus sumit sibi pascua læta:  
Diuina hic inter lilia pascit oues.  
Hicque rosas multum redolentes, Ambrosiæque:  
Et varios flores carpere sæpe potest.  
Hæc siquidem tellus pluuioso sydere nunquam  
Atra intemperie præcipitante perit.  
Illa nec ardenti conflagrat sole: sed hic fons  
Quattuor ex riuis, fluminibusque fluit.  
Ex hoc terrestri cælo labuntur ad illum  
Fontem Euangelij fons & origo venit.  
Quattuor insignes Authores huius, ad illum  
Accelerant, & ad hunc musica tota canit.  
Omnes Doctores quos littera sacra decorat  
Concurrunt ad eum præcipiente fide.  
Oculus thesaurus hic est huberrimus hic fons  
Est cælestis aquæ, quæ sibi Nectar habet.  
Quæ salit in vitam æternam vitæque salutem.  
Castalium hic fontem non dat Apollo suum.  
Hicque neque pascit oues: non hic Parnassus, & altus  
Mons Helicon Musis qui iuga sacra tener.  
Non illic Musas, clypeum, celerisque sagittas  
Et citharam à Ligio, Mercurioque capit.  
Illa poësis agens heroica carmina, laudat  
Æternum Dominum qui tria regna regit.  
Nunc hylares versus, elegos, tragicosque recenset  
Sic varios modulos pondere vocis habet.  
hic tragicas voces, & dicta heroica, fletus  
Hic elegos, cantus lætitiæque vides.  
Illi sunt faciles, illi placuere Poëtis  
Multis, certatim sic placuere mihi.  
Et versus elegi, affectus leuésque, grauesque  
Complecti gaudent hac breuitate sua.  
Parturiunt ethicem, & virtutes vndique morum,

Activas, & eas quæ speculando vigent.  
 Ipse, sub occulto (ð liber) hic a nigmatè Christum  
 Et quasi per speculum, spémque fidémque, yides.  
 Vt tibi sit facie ad faciem aspiciendus: & illo  
 Possis cum æterna prosperitate frui.  
 Hic Christum, atque Deum poteris cognoscere semper  
 Et poteris cum illo nocte, diéque loqui.  
 Est Deus hic author mundi, sine corpore, viua  
 Et simplex ratio, perpetuóque potens.  
 Æternus Deus est, simplex essentia, nullis  
 Intercepta locis, omnia clausa subit.  
 Circumscripta quidem non est hæc illa figuris:  
 Comprehendi humana conditione nequit.  
 Vnus in hac vna mundi mole, est Deus, ipso  
 Amplior est mundo, quem regit arte sua.  
 Omnia plena Deo, latet hic sub sole, sub aura:  
 Sub dite, & pelago contiguóque solo.  
 Æthereos orbes habitat, simul omnia quæ sunt:  
 Quæ venient, & quæ sustulit orbis opus.  
 Iam finita in se cernit, sic omnibus Author  
 Hunc tantum authorem tu capis ipse tibi.  
 Hunc tibi rotus habes thesaurum totius orbis.  
 Quem hic orbis totus claudere ritè nequit.  
 Tutior esse domi posses (liber) attamen exi  
 In lucem, fœlix, auspicióque bono,  
 Qui soli, veróque Deo, Dominóque fauebunt:  
 Hic poterunt læta fronte, fauere tibi.

#### ANACEPHALÆOSIS.

**H**ic liber Hymnorú, & laudú. Quid? Spiritus huius  
 Sancti est eloquium, vox quoque viua Dei.  
 Aut cum rege Dec, est hominis deuota loquela:  
 Cui prodit partes, officiúmque suum.

Dicitur hic Græcis *καλλήμων*. Ille Latinis  
 Organum, at Hebræi constituere Nablum.  
 Hoc Enchridion Psalmorum, siue Páरणon;  
 Illud diuinum fœdus vtrumque capit.  
 Hic in persona Christi, sponsaque fidelis  
 Atque sua, David dat sua verba Deo.  
 Hic Apocalypsis vates fuit alter, hic heros  
 Pastor, Rex sapiens, atque Propheta Dei:  
 Hic sese produnt diuina Oracula sanctum  
 Ad Sion montem, Hierusalémque decus.  
 Hic etiam sese ostendunt arcana profunda,  
 Quæ didicit vates sanctus, ab ore Dei.  
 Tres quinquagenas liber hic complectitur, & tres  
 Humanæ species conditionis habet.  
 Prima refert illos quos primò pœnitet, & qui  
 Flent scelus, & vitæ tempora mœsta gemunt.  
 Indè illos qui in virtutem è virtute, perenni  
 Iustitia incedunt, illa secunda tener.  
 Tertia perfectos, in prosperitate beata  
 Æternæ vitæ, claudere sine, cupit.

D. Hieron.  
 in Prologo  
 Psalmorú.

*AD DOMINVM IOANNEM SAVARIVM  
 Doctorem Theologum in Academia, & sacra facultate Lute-  
 tianorum, Athenarúmque Christiani Imperij, Canonicum,  
 & Cantorem in eade sacra diuio Volfrano Albanilla.*

**I**vre faues studiis, nec vis periisse labores  
 Quos omni doctus Doctor in arte, probas.  
 Ergò meum studium, primi partúmque laboris  
 In lucem è tenebris cum reuocare cupis.  
 Cúmque meis adhibes scriptis, doctissime Censor,  
 Exactam limam, iudiciúmque tuum.  
 Erga me proferis synceci pignus amoris:  
 Cuius ero meritò tempus in omne, memor.

Non opis est nostræ dignas persolvere grates  
Fœderi amicitia, quam tuus auget amor.  
Hoc illo officio astringis tibi me arctius, & tu  
Me tibi deuinctum reddis amore tuo.

AD DOMINVM HONORATVM  
Bryet, Decanum Canonicorum &  
Capituli in æde Abbauillæ  
Diui Vvlfрани.

EPIGRAMMA.

**M**ITIS *Honorate, hoc virtutis honore coruscas  
Et sua dat virtus præmia grata tibi.  
Est merces virtutis, honos. Tibi, (cum imperet) ille  
Subiicitur, Domini per placet vnus honos.  
Roma suos dominos dominorum subiicit. Illa  
Seruorum seruos nunc in honore capit.  
Seruorum seruus, Dominorum maximus, vnus  
Est Dominus Christus, qui regit orbis opus.  
Presbyteri excellens status est, & dignus honore:  
Sic domino confers omnis honoris opes.  
Quamuis sit radix huius virtutis amara.  
Dat dulces fructus hoc in honore Dei.  
Militiæ cœlestis hic est tuus inclytus ordo  
Dat gradum honoratum, magnificumque, tibi.  
Sic in honore tibi dant omnes fœdus amoris:  
Virtutisque tuæ præmia digna serunt.*

AD EVNDEM BRYET CVRIONEM  
*Ecclesiæ Diui Vedasti in Mar-  
quennæo solo.*

**R**EX Agamemnon fuit hic Homero  
Pastor, & Christus Deus hic sacerdos  
Atque Rex Regum bonus ille Pastor  
Dicitur orbi.

Ergò cum tu sis vigilans ouilis  
Pastor excellens, simul & sacerdos,  
Nunc tibi adscribi poterit supremi  
Nomen honoris.

Hic leges flores, viridésque plantas:  
Quas dabis lætis ouibus, peragrans  
Rura Lyncæis, oculis videbis

Pascua læta.  
Lilia ex his sentibus hic odora  
Erues, illas animas fouebis  
Nectare, & lauta Ambrosia, dabisque  
Pastor Olympum.

IN SACROS PSALMOS LA-  
tinè à Franc. Moureto apud Pontiniensium  
Abbauillam Consiliario & Aduocato Regio  
redditos.

**P**ublica quod curas fisci que negotia: *Maui*  
Atque Titi recta dirimis luctamina lege  
Hinc benè apud memores Regem populùmque manebit  
Gratia, sed uiuent alij morientur & olim  
Ingrati: Tu ergo quod dia poëmata scribis,  
Quæque Deo Dauid puro de corde canebat  
Castus vota refers latia donata camœna,  
Vnde probo cunctæ uenerentur numina gentes  
Ore simul, nec ab istis præmia digna rependi  
Posse puta, meriti tanti stat gloria cœlo.

Franc. Rometius.



ENCHIRION PSALMORVM

DAUIDIS REGII PROPHETÆ,  
ex Hebraica Veritate, cum Psalterij Canticis, in cal-  
ce singulatim adiectis, & interpretationibus ex He-  
bræorum Commentariis in eosdem Psalmos, passim,  
& intercisè, in Latinum Carmen redactum & illu-  
stratū. Per FRANCISCVM MOVRETTVM  
Aduocatū & Consiliariū Regium in vrbe Ab-  
bauillæ, & iurisdictione præfecturæ Pontiniensis.

PRIMVS TOMVS.

Qui dicitur liber orationum Dauidis filij Iesse. Qui di-  
uiditur in primum, & secundum librum Psalmorum.

PSALMVS PRIMVS.

Beatus vir qui non abiit.

ARGVMENTVM.

*Innocentiæ laus est.*



Fœlicem hominè qui non adit vlla malorum  
Consilia: & cui non impia facta placent!  
Qui non consistit, dubia nec sponte moratru  
In sceleratorum præcipitante via.  
Qui neque risorum in confessu confidet. Illa  
Sed Domini gaudet lege docente frui.  
Hac delectatur, trahitur vehementer, & huius

A

Exardet studio, deliciâsque cupit.  
 Hac in Lege Dei totus meditatur in horas:  
 Hanc colit, obseruat, laudat, honorat, amat.  
 Seu placidis somnis redimita papauere nigro  
 Nox, membra hæc hominum fessa labore, leuet:  
 Seu caput igniferum Sol aureus efferat alto  
 Oceano. & clarum reddat in orbe diem.  
 Arbori hic est similis plantatæ fluminis altam  
 Ad ripam. cuius non perit vllus honos.  
 Quæ florem, & fructum insignem apto tempore reddit:  
 Cuius nec frondes (quando stat aura) cadunt.  
 Cuius maturus fructus sceleriter omnis  
 Prouenit, & cunctis commoda læta parit.  
 Impij at hi contrâ. Sicci sunt pulueris instar,  
 Quem ventus flatu, ludibriôque rapit.  
 Quem volucris torquet gyro. Quem dissipat, & quem  
 Impulsu è terra fert per inane, citò.  
 Hinc fit, vt impij, & hi scelerati non benè viuant  
 Iustorum in cœtu, conciliôque bono.  
 Nam vt via iustorum Domino placet. hæc ita tandem  
 Impia prauorum semita, iure perit.

PSALMVS II.

Quare fremuerunt gentes.

ARGVMENTVM

*Irrefragabile de Christo vaticinium. Tracta est autem  
 tumultuatio ab interregnis ad impiorum furorem. Quo-  
 niam Dominus tanquam potens rex aliquis, filium suum  
 regno inauguratû, inuitis eis super omnia in sublime tollit.*

**V**T fremdunt gentes? populi ceruice feroci  
 Vt trepidis animis vana repentè parant?  
 Vt rabie furibunda cohors molitur inane  
 Bellum. importunum perfidæque scelus?  
 Quis furor hanc agit huc, illuc. temeraria cœpta

Vt conspiret in hac prodicione truci?  
 Aduersus Dominum, & Christum eius, totius orbis  
 Reges concurrant, conueniuntque Duces.  
 Aiunt. Illorum rumpamus vincula, Lora  
 Illorum, à nobis proiciamus humi.  
 At Dominus qui habitat cælos irridet, & illos  
 Ludit. & hæc nihili cœpta superba facit.  
 Sic ille iratus turbat vehementi furore:  
 Atque affatur eos voce potente sua.  
 Ille ego sed sancti Sion in vertice montis  
 Illum Regem vngam, præficiamque meum.  
 Hunc Domini lege erudiam. Sic lætus apud me  
 Cogito. Tu meus es filius, vnus amor.  
 Solus ego te hodie genui (chare vnice fili)  
 In te delector, complacèoque mihi.  
 Et te semper ego gigno de mente paterna:  
 Et gignam posthac tempus in omne mihi.  
 Ad vitam cum te reuoco de faucibus Orci:  
 Te gigno (ô vultus dulcis imago mei)  
 Vt tu aditum adperias ad cæli nobile regnum:  
 In quo perpetuò vita beata manet.  
 Vt cælum referes, rabida de morte triumphans,  
 His qui me vera cum pietate colunt.  
 O mea progenies multùm dilecta, potenti  
 A me patre tuo, quod placet, ergò pete.  
 Gentium & ampla tibi patrimonia, iure paterni  
 Hæredis, magna sub ditione dabo.  
 Et tua (mi fili) pulcherrima prædia, fines  
 Extremi, immensû totius orbis erunt.  
 Tu populos omnes (supreme Monarcha) tenebis  
 Imperij, inuicta sub ditione tui.  
 Qui si fortè tuo Edicto parere recusent:  
 Hos tua legitimè ferrea virga reget.  
 Hos tanquam figuli vas franges: ipse rebelles

Delebis populos, his que feuerus eris.  
 Idcirco reges sapite, atque admittite rectam.  
 Vos disciplinam, qui sacra iura datis.  
 Qui vestris terram censetis legibus æquis:  
 Et iusta pœna plectitis omne scelus.  
 Qui à sede excelsa ius dicitis omnibus: & qui  
 Vultis iudicium, iustitiámque dare.  
 Vt contendatis Domino deferre timorem:  
 Huicque exultetis cum reuerente metu.  
 Filium vt amplectamini: vt illum denique regem  
 Vestrum agnoscat, vosque colaris eum.  
 Ne illo infenso, atque irato, pereatis: iniquum  
 Ob vestrum studium, ridiculasque minas.  
 Illius ira, breui nam cum exardebit illum  
 Qui sperant, quantæ prosperitatis erunt?  
 O felices illos! Qui sese ac sua subdunt  
 Imperio Regis, iudicis, atque Dei.

P S A L M V S III.

Domine quid multiplicati sunt.

T I T V L V S.

*Carmen David super fuga. Cum irrueret in eum  
 Absalom filius eius. Vel à conspectu  
 Absalonis filij eius.*

**Q**uam multi sunt, ò Domine, atq; inuictæ monarcha,  
 Qui malè me affligunt, & fera bella mouent?  
 Quam multi qui in me insurgunt, plénique cruore  
 In caput insiliunt, iniiciuntque manus?  
 Iuratis odiis vnum me cominus vrgent.  
 Qui meus est gnatus, me premit hostis atrox.  
 Quam multi, de me, qui dicunt, Rex Deus illum  
 Non seruabit. eos non pudet ista loqui.  
 O grauis, & vehemens angustia! cernat amicus  
 Illam: perfrictæ frontis adesse solent.

Dicant quæque velint, falluntur: cum (bone princeps)  
 Rebus in afflictis sis mea certa salus.  
 Cum meus inuictus sis propugnator, & vna  
 Insignis mea sis gloria (summe Deus):  
 Qui caput hoc humile exaltas atque erigis, vnus  
 Et regno dignus iudicor esse tuo.  
 In regni culmen me è paruo extollis ouili:  
 Abiecto que pede das tua scepra mihi.  
 Et præ tristitia vehementi, acríque dolore  
 Deiecto, mihi tu gaudia plena refers.  
 Voce humili ad Dominum dum clamo, exaudit: & alto  
 È sancti montis vertice, vota capit.  
 O rem pergratam Domino qui dirigit astra.  
 Cum quis spe certa postulat huius opem.  
 Securus iaceo. Quid? dormio, & ipse resurgo.  
 Me fulcit Dominus, qui fera bella domat.  
 Impetus, & feritas furibunda, feròxque tumultus  
 Corruet, & rabies, fulmineæque minæ.  
 Quæ me circumstant populorum millia centum,  
 Nil metuo: nam tu robur, opemque dabis.  
 Ad me seruandum prodibis victor in hostes:  
 Tu Domine omnipotens, tu Deus ille meus.  
 Percuties fauces, maxillatque hostis atroci,  
 Sanguine qui innocuo se fatiare cupit.  
 Comminues dentes reproborum qui malè de me  
 Dicunt: & sæua me feritate premunt.  
 Est tua vera salus (Domine): hunc populum ergò fidelè  
 Prosequere, ingenti tu bonitate tua.  
 Tam bonus, & cunctis tam promptus es auxiliator,  
 In te qui sperant (ò generose Deus)  
 Vt deploratis rebus sis anchora sacra:  
 Quod certò constat, nec laruisse potest.



Cum inuocarem, exaudiuit me Deus.

TITVLVS.

*Adhortatio ad organa Musica, Carmen David.*

ARGVMENTVM.

*Cohortatio est ad pietatem, & innocentiam. Increpan-  
tur impij. Et quæ sit piorum foelicitas, ostenditur.*

**O** Deus! ò mea iustitia: hîc qui funditus ad te  
Clamantem exaudis me pietate tua:  
In larum & campum tu qui me educis in arcto  
Carcere districtum, tu miserere mei.  
Tu votis responde meis grauibusque querelis.  
Exaudi assiduas aure fauente preces.  
Mortales homines sperata, abiectaque, quousque  
Maestate mea, vana coletis humi?  
Quæso, quousque meæ in fonti nugacia vitæ  
Vos sectabimini? Nil erit iste labor.  
Quæso, quousque viri vos agnoscetis: amicus  
Quod Deus eripit hunc, quem vehementer amat?  
Exaudit me rex Dominus, cum mæstus ad illum  
Clamo, imploratum nec mihi tollit opem.  
Contremite, & nolite Deo peccare, iacentes  
In lectis tacitis. voluite mente diu.  
O res illorum stultissima, qui mala volunt  
Contra hunc quem regem præficit ille Deus.  
De vobis malè nil merito, haud maledicite regi:  
Vos sacra iustitiæ sacrificate Deo.  
O coniurati, peccatum agnoscite: vitam  
Offerte innocuam, mundiciemque Deo.  
Vos erga regem vestrum resipiscite, mentem  
Commutate malam, perfidiæque minas.  
Sperate in Domino: fragili nec fidite vitæ.

Nec multis opibus quas comitatur honor.  
Quisnam diuitias, Quisnam bona cætera præster  
Nobis? hæc certe dicere turba solet.  
Cum (ò Domine) in tenebris, nobis monstraueris ingens  
Formosi vultus lumen abundè tui.  
Qua re, lætitiæ tu infudisti vndique cordi  
Maio rem, quàm habeant qui mihi damna volunt.  
Prouentus diues farris, multique voluptas:  
Illis mirificè gaudia vera fouet.  
Sed maiora mihi fert gaudia (maxime princeps)  
Hic tuus excellens, munificusque fauor.  
Ille mihi satis est, & plus satis, & magis vnum.  
Præfero te cunctis, innumerisque bonis.  
Tutò igitur foelix accumbam in pace: simulque  
Dormiam, & hic somnus, pax mihi mentis erit.  
Curæ diffugient, animus mihi ritè quiescet:  
Es mihi tu summum, perpetuumque bonum.  
Nam solus præstas (Domine) vt formidine liber  
In regno possim Rex habitare meo.

P S A L M V S V .

Verba mea auribus percipe Domine.

TITVLVS.

*David carmen adhortatorium ad hereditates.*

ARGVMENTVM.

*Describuntur duæ hereditates, & vtriusque finis.*

**A**uribus intentis Domine audi tristia verba:  
Intima tu mentis percipe sensa mea.  
Attende huic querulæ voci clamoris, amice  
O Rex omnipotens, & meus ipse Deus.  
Nanque tibi supplex adero, supplexque requiram  
Augustum numen, subsidiûmque tuum:  
Et tempestiuè exaudi vocem atque querelas,  
O Domine, & promptam questibus adfer opem.

A iij

Tempeſtiuè etenim cordis penetrabilibus imis,  
 Ad te componam vota, precèſque meas  
 Erectis oculis, & contemplantor ad aſtra :  
 Donec opem afflicto tu mihi ſponte feras.  
 Nam Deus es terræ, cœlique Monarcha, timendus :  
 Cui non impietas flagitiſoſa placet.  
 Cum quo non habitat vir liuidus, atque malignus :  
 Cum quo nec reprobus fœdus inire poteſt.  
 Ante tuos oculos violenti non benè conſtant :  
 Vultus nec ſiſtunt è regione tui.  
 Prorſus habes odio capitali qui ſcelus atrox  
 Patrant: nec vitæ crimina fœda gemunt.  
 Perdis mendaces, crudeles, atque dolofos  
 Execraris, & hac pellis ab æde tua.  
 Fretus ego vbertate tuæ bonitatis, ad ædem  
 Hanc ſacram venio, conſugiòque tuam.  
 In templo ſancto veneror tua numina ſupplex:  
 Te pura mentis religione timens.  
 Cùm fuerim pietate tua adiutrice reuerſus  
 Caſibus à tantis, exiliòque graui.  
 Iuſtitia Domine alme tua me ducito ſaluum:  
 Ob rabidos hoſtes qui mihi bella gerunt.  
 Et tu coram me, vt non errem à tramite recto.  
 Sterne viam planam, Dúxque, Comèſque, tuam.  
 Nam rectum non eſt in eorum hoc ore loquaci.  
 Nil præter fraudes, ſpurcitiãſque ferunt.  
 Delectant oculos vt marmore ſtructa ſepulchra  
 Extus, at interius putre cadauer olent.  
 Sunt corrupti intus, fœdúmque, patènsque ſepulchrum.  
 Eſt horum guttur, dira venena vomunt.  
 Sub lingua fallace ſua, ſub imagine blanda  
 Fingunt blanditias, quæ mala cuncta tegunt.  
 Huc tendunt, vt me pellectum fraudibus ad ſe  
 Subuertant, à te deficiãmque (Deus)

O Deus, hos meritò damna, radicibus illos  
 Perde, cadant cauſa, conſiliſque ſuis.  
 Pro turba ſclerum ipſorum hos è limine vitæ  
 Eiice: te Regem prodidit iſta cohors.  
 Contrà verò omnes qui ſperant iugiter in te,  
 Effuſis animis gaudia iuſta ferant.  
 Aeternùm exultent, ſaluos vbi protegis, omni  
 In bello miſero: quod parat hoſtis atrox.  
 Exultent omnes in te, qui corde fideli  
 Dulce tuum nomen cum pietate colunt.  
 Nam tu proſequeris (Domine inuictiſſime) iuſtum:  
 Et tu illum exornas ſæpe fauore tuo.  
 Gratia & ipſe tua, vt ſcuto tu protegis, atris  
 Ne lædi iaculis poſſit ab hoſte truci.

PSALMVS VI.

Domine ne in furore tuo arguas me.

TITVLVS.

David carmen adhortatorium ad Organa  
 Muſica, διὰ πνεῦμα

ARGUMENTVM.

Longanimitas orat: dilatúmque deſiderium velut oppro-  
 brat. Tandem verò gratulatur ſe exauditum  
 eſſe, & hoſtibus imminere pudorem.

NE tu, quæſo, graui, & iuſta ſuccenſus in ira,  
 O Domine, argue me: nec graue plecte ſcelus.  
 Dum furor in curſu flagrat, ne corripe: nec tu  
 De me ſupplicium ſume, tremende Deus.  
 Ne punire velis gnatum tu fronteſeuera.  
 Quis poſſet bilis ferre flagella tuæ?  
 Admoue blandam aurem iam triſtibus ipſe querelis  
 O Domine, ô Clemens Rex: miſerere mei.  
 Nam ſum ægrotus ego. Domine, ô medice optime, ſana  
 Me: nam deſpero totus, & angor ego.

Et mea mœsta anima hoc morbo vehementer acuto  
 Tentatur, multis opprimiturque malis.  
 Nulla salus animæ superest (pater alme): quousque  
 Tu verò cessas? Tu Deus, ipse redi.  
 Vt pressam eripias animam, pietatis ocellos  
 Verte, & me saluum fac bonitate tua.  
 Inter damnatos etenim (Rex inclite) non est  
 Qui reminiscatur per mala tanta tui.  
 Tristem apud infernum. Quis (credis) nobile nomen  
 Magnificet, laudes concelebrétque tuas?  
 Ipse laboro gemens, lectum omni perluo nocte:  
 Humecto lachrymis triste cubile meum.  
 Per mœrorem acies oculorum nunc mihi crimen  
 Ploranti periit: nec mihi visus inest.  
 Inter tot rabidos hostes emarcuit omnis  
 Vis mea: consenui putridus ager ego.  
 At nunc ô scelerati omnes velociter à me  
 Discedetis: & hæc vos mala vestra prement.  
 Namque grauis fletus vocem exaudiuit amaram  
 Omnipotens Dominus, qui mihi præstat opem.  
 Supplicis audiuit vocem, accepitque benignus  
 Rex Dominus, crebras quas ego fundo preces.  
 Omnes ergo mei pudefient turpiter hostes  
 Ac turbabuntur cum vehemente metu.  
 Mutabuntur, & hi pudefient, ocuis arua  
 In celerem vertent turpia terga fugam.

Domine Deus meus in te speravi.

TITVLVS.

*Indignatio David quam cecinit super facto  
 Chusi filij Iemini.*

*Testatur innocentiam suam. Iniuriam committit iusto  
 iudici. Eum docet nusquam cessare.*

**O** Domine Omnipotens, Deus ô meus vnicus, in te  
 Spero, & totam spem figo, locoque meam.  
 Omnibus ex illis qui me sectantur, & vrgent,  
 Me salua, eripe me: ne mihi damna ferant.  
 Ne rapiant, ac me discerpant vt leo sæuus:  
 Qui captas prædas ore rapace vorat.  
 Nullus enim est qui me pressum adferat, hostis acerbus  
 Dentibus innocuum me lacerare cupit.  
 O Domine alme Deus meus, abdita tu omnia nosti:  
 Hanc rem si feci quam Saul ille tulit:  
 Si ipsius vitæ, & regno, ipsiusque saluti  
 Insidias struxi, fraudibus atque dolis:  
 Si culpa hæc in me infonti deprehenditur, & si  
 Hos malè ego affeci, qui mihi damna dabant:  
 Si sæuum temerè spoliaui conscius hostem,  
 Iam hostis sectetur, sauitiâque premat,  
 Et me comprehendat, stratum pedibusque cruentis  
 Conculcet viuum me violenter humi.  
 Gloriam at ille meam, quæ est vita charior omni,  
 In cœnum figat præ feritate sua.  
 Funditùs extingat famam virtutis, & orbi  
 Deleat illustri nominis omne decus.  
 Hoc ita nunc fiat, si quid iam mente reuolui:  
 Nec sit posteritas hîc memor vlla mei.  
 Exurge, & vehere (ô Domine) indignatus in hostes:  
 Iratum te illis obiice, tempus adest.  
 Illam vindictam promissam tu mihi præsta  
 Et tu polliciti sis memor ipse tui.  
 Vt te circundet populorum concio: Regem  
 Teque suum Dominum religione colat.

Huius gratia & exaltare iterum (ô Deus) alto  
 In regni folio te modò pone tui.  
 Me, ô Domine omnipotès, populorù æquissime vnde:  
 Vindica: vt æquum ius cum ratione iubet.  
 Infantis causam iustam adfere, sis meus vltor:  
 Vt vult integritas cognita iure tibi.  
 Obsecro cesser reproborum noxa maligna:  
 Iustum autem fulci Rex bone, iuste Deus.  
 O æterne Deus, cui corda atque vndique renes  
 Sunt benè perspecti, cunctaque nuda parent.  
 Occultas hominum mentes, ac intima senfa  
 Qui spectas, oculi vi penetrante tui.  
 Acceptam fero securam, turamque salutem  
 Inuictò (cæli qui regit astra) Deo.  
 Corde viros rectos seruat, clypeoque tuetur:  
 Est iustus vindex, maximus ille Deus.  
 Omnipotens Deus omni tempore iusta minatur,  
 Sontes castigat, supplicioque premit.  
 Ancipitem gladium vibrat, nisi sponte redimus:  
 Et nisi nos veniam corde precamur ei.  
 Intenditque arcum indignatus, & instruit illum:  
 Vt nos interimat, præparat arma sibi.  
 Felle venenato lethales ille sagittas  
 Inficit, vt possint vrere vulnus atrox.  
 Illæ sunt veluti flagrantia fulgura, sæuo  
 Igne vt confodiant cuspidis arte malos.  
 En monstrum! Saul hic sceleratus parturit: imo  
 Nil animo versat, quàm mala queque mihi.  
 Dissimulato odio damnnum mihi cogitat omne:  
 Conspirat mortem fraude latente meam.  
 Inuidus ærumnam! internam, inclusumque dolorem  
 Concepit: cum sint prospera cuncta mihi.  
 Rem nihili pariet, mihi nam patefecit apertè  
 Hoc capitale odium, quod graue virus habet.

Sucessum nullum illius conatus habebit:  
 Nec poterit praua mente nocere mihi.  
 Hic clam contra me fraudes excogitat omnes:  
 Incidit, fodit, composuitque lacum:  
 Sed cadet in foueam quam condidit: in caput eius  
 Ærumnæ recidet fulmen, & omne malum.  
 Ipsi in capitis culmen descendet acerbum  
 Hoc scelus, in casses irruet ille suos.  
 Huius ab insidiis ereptus, nunc ego grates  
 Perfoluo Domino, qui mea vita fuit.  
 Qui fuit in duris rebus tutela, salusque:  
 Huius iustitia saluus ab hoste fui.  
 Cantabo excelsi Domini super omnia nomen:  
 Cum me à crudeli vindicet hoste meo.

PSALMVS VIII.

Domine Dñs noster quàm admirabile.

TITVLVS.

*Dauid carmen adhortatorium ad gratiarum actionem  
 Torcularium, siue vindemiæ.*

**O** Domine omnipotens, excelsi solus Olympi  
 Rex, noster Dominus, qui benè cuncta regis:  
 Quàm admiranda tua est maiestas summa per omnem  
 Terram! quæ laudem tollit ad astra tuam.  
 Quàm ori docto infanrum, & lactentum inseruisti:  
 Inseruisti ingens tu quoque robur ei.  
 Hostes namque feros, inimicos, atque rebelles  
 Captiuos ducis sub ditone tua.  
 Et mirum, tu victor ouanes vlcisceris: illos  
 Et tu subuertis, Rex metuende, Deus.  
 Sublimes cælos digitorum quando tuorum  
 Facturam insignem mente reuoluo mea.  
 Dum cerno orbis, atque globos, Sphæræque decoro  
 Ordine: stelliferæ militiæque situs.

Quando vagos video discurrere nocte planetas:  
 Rectus, & intueor sydera fixa polo.  
 Et dum contemplor lunam, stelláque micantes:  
 Quas tu fecisti prouidus arte tua.  
 Dum nocti statuis lunam, solémque diei:  
 Hęc duo dum cœlo lumina iuncta facis.  
 Cùm soli præbes ductum, imperiúmque diei  
 Et lunæ, noctis das (Deus alme) vices.  
 Quid? dum pallentem lunam rutilantibus astris  
 Cingis, vt excellens hæc diadema ferat.  
 Híc cum candorem nitidi consydero solis,  
 Qui veluti Princeps, sydera clara regit.  
 Et cum vim lunæ intueor super æquoris vndas  
 Pugnaces, vt bis, nocte, diéque fluat:  
 Et contrà, arbitrio refluat, nec flumina cuncta  
 Commotum Oceanum, pacificúmque, grauant.  
 Artificis sublimis opus demitor, & ipse  
 Exclamo attonitus, dicóque: Quantus homo est?  
 Ecquid homo? quòd tu meministi, summe Monarcha,  
 Illius, & curam tempus in omne geris?  
 Atque quòd huius habes rationem, & fœdus amoris  
 Sanctum tu cum illo gratis inire soles?  
 Tu minuisti (ò Rex mundi) paulò minùs illum  
 A vero, immenso, perpetuóque Deo.  
 Gloria, & altus honos illum circumdedit: illi  
 Hęc tua maiestas hoc diadema dedit.  
 Hunc operum manuum (eximia bonitate) tuarum  
 Fecisti Dominum, rex generose Deus.  
 Hunc vt præstantem Diuùm, qui legibus orbem  
 Temperet, arbitrio, consilióque, facis.  
 Ille globo mundi medio (vt rex præsidet: illi  
 Consilio præstas cuncta regenda suo.  
 Ipsius pedibus subiecisti omnia (mundi  
 Rector) oues omnes, cornigeróque boues.

Immanésque feras agri, volucrétque loquaces:  
 Quæ leuibus pennis aëra quémque secant.  
 In pelago, pisces horum turbámque natantem:  
 Et quicquid transit per maris huius iter.  
 O. Domine omnipotens, excelsi solus Olympi  
 Rex, noſter Dominus, qui benè cuncta regis.  
 Quàm admiranda tua est maiestas, summa per omnem  
 Terram: in qua fama est nominis alta tui.

PSALMVS IX.

Confitebor tibi Domine in toto  
 corde meo.

TITVLVS.

*David Carmen adhortatorium על ברחלו id est  
 incrementum filij adpellatum.*

ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio est David qui seipsum hic filium  
 nominat pro exaltatione sua.*

**E**X toto te corde meo (Domine Arbiter orbis)  
 Cantabo, & miras res celebrabo tuas.  
 In te lætabor (princeps altissime) solo:  
 In te exultabo, spes mea sola, Deus.  
 Exaltabo tuum nomen, licet illud honore  
 Omni sit maius, nobiliúsque, viris.  
 Quòd meus ille retrò fugiens inimicus abiuit:  
 Corruit, ac periit vi dominante tua.  
 Nam tu me vltus es, illi cùm essem viribus impar:  
 Et causam exactè cernis vtramque tibi.  
 Ipse meæ causæ, & litis tu suscipis æquum  
 Id patrocinium, quo mea iura probas.  
 Et perfecisti iusta ratione iubente  
 Iudicis officium, iudiciúmque meum.  
 Tu tandem (ò iudex iuste, & metuende Monarcha)

Sedisti in celsa fede, thronoque tuo.  
 Compescis gentes, reprobos tu perdis, & horum  
 Nomen, tu deles, & sepelire cupis.  
 Hostile & ferrum prorsus tu tollis, & vrbes  
 Excindis: vallos, mœnia sternis humi.  
 Illarum vt nomen cum ipsis intercidat, hostis:  
 En vbi conatus, terribilisque minæ:  
 Inuictus Dominus qui regno triplice gaudet:  
 Imperium æternum, magnificumque, tenet.  
 Qui solium regale suum omne instruxit ad æquum  
 Ius obseruandum cum pietate bona.  
 Iustitia totum terrarum temperat orbem,  
 Et recto iudex ordine cuncta regit.  
 Ex æquo populis ius dicit, legibus æquis,  
 Cunctis ius reddit, distribuitque suum.  
 Æqua lance sua causas expendit, & æquum  
 Dat iustis meritum, suppliciumque malis.  
 Est inopi Dominus Princeps Augustus, Asylum:  
 Illi perfugium (dum tribulatur) hic est:  
 Illi perfugium vnum angustiae atrocis in illo  
 Extremo articulo, tristitiaque graui.  
 Hinc est, vt sperent in te qui corde fideli  
 Cognouere tuum nomen (amice Deus)  
 Nam Domine omnipotens tu nunquam deseris illos  
 Qui benè te quærunt, & benè semper amant.  
 Vos canite immensum Dominum, illustrémq; Monarcham  
 Qui montis Sion culmina sancta colit.  
 Consilia illius memorate fideliter omnes  
 Vos inter populos, vt venerentur eum.  
 Sanguis enim memor oppressorum inquit in illum:  
 Nec clamorem horum præterit aure sua.  
 Tu misereris (Rex Domine) atque intentus es vnus  
 In mala, quæ mihi nunc irrogat hostis atrox.  
 De ditone necis tu me adseris, vt decus omne

In Sion

In Sion narrem, commemorémque tuum.  
 Vt simul exultem, Goliath cum vicero funda:  
 In sola (ô princeps iuste) salute tua.  
 Cum gentes contra, interitum mergantur in omnem:  
 Quem struxere dolis, insidiisque mihi.  
 Quid? pes illorum reti, quod calliditate  
 In me intenderunt, captus, abire nequit.  
 Iudicium Dominus notum facit, impius iste  
 Peccator, meritò cum perit arte sua.  
 In proprio hoc opere exitij comprehenditur, atque  
 Occultis vitiis illaqueatus, hic est.  
 Egregium facinus voluendum mente profunda:  
 Quàm tutum est robur, subsidiùmque Dei?  
 Præcipites abeunt reprobi violenter ad orcum:  
 Et qui contemnunt dulcia iussa Dei.  
 Et gentes omnes, Domini quæ mente maligna  
 Obliuiscuntur: mortis in antra ruunt.  
 Pauperis at prorsus sient obliuia nulla:  
 Illius memor est, sollicitusque Deus.  
 Spes afflictorum nunquam fallitur, acerbam  
 Post mortem his Dominus præmia digna dabit.  
 Exurge ô Domine omnipotens, æquissime iudex,  
 Vt non inualeat futilis vnus homo.  
 Coram iudice te, gentes sistantur, & harum  
 Causam tu tractes: vt sua facta sciant.  
 Impia facta sciant se commisisse, potentem  
 Nec coluisse suum relligione Deum.  
 Ingere tu, iudex illis metuende, pauorem:  
 Illis pone iugum tu violente manu.  
 Scilicet vt se homines agnoscant esse caducos:  
 Ad graue conceptos, progenitosque malum:  
 Natos ad pœnam, miseros casusque labores  
 Omnes mille cruces, militiamque grauem.  
 Expendant illi multum prudenter apud se:

B

Quàm fit vita fugax, & breuis umbra viri.  
 Quàm fit somnium inane. inconstans quàm fit imago.  
 Bulla citò fugiens. nudus, & exul homo.

PSALMVS X. secundum Hebræos.

Domine vt quid recessisti longè

**Q**ui ergò, nunc fit vt ô Domine absis tam procul  
 Angoris lateas tempore valde truci? (vt tu  
 Intolito fastu reproborum qui sibi semper  
 Applaudunt, humilis pauper, inopsque perit.  
 Audax illorum sibi nil non arrogat, ille  
 Fastus: eos temerè sæua tyrannis agit.  
 Ô si comprehendatur acerbis fraudibus illis  
 Quas malè coniurant, consiliòque parant?  
 Impius effertur: sibi multum perplacet, alti  
 Quando animi impleuit vota maligna sui.  
 Laudatur prædo. & quisquis blasphematur iniquè  
 Excelsum Dominum, quem decet omnis honos.  
 Hoc, pro fastu animi nihili facit impius. vltro  
 Non implorat opem, supplicatque Dei.  
 Non in consiliis sceleratis omnibus illum  
 Aduocat, in mundo cum neget esse Deum.  
 Omnes illius viæ iniquæ, siue prophanæ  
 Sunt, & præcipites asperitate rigent.  
 Omnibus ille modis noctesque parat.  
 Conatur, cunctis perniciemque parat.  
 Huius ab aspectu toruo sublata per horas  
 Iudicia hec tua sunt (ô metuende Deus)  
 Præualidos hostes omnes contemnit. apud se  
 Nam sic constituit, talia verba vomens.  
 Non mutabo vllum tempus, cum fraude maligna,  
 Quod non traducam floridus, atque potens.  
 Hic execratur cunctos, & scandala profert.  
 Illius os, plenum est fraude, doloque malo.

Sub lingua illius sedet ac labor, ac dolor omnis:  
 Et fraudes sermo pestifer huius habet.  
 Ille foris circum cortes, vt latro cruentus  
 Versatur, crebras insidiasque locat.  
 Nil prætermittit: nil non excogitat, vt clam  
 Oppressum infontem cæde feroce petat.  
 Intentis oculis obseruat prætereuntes:  
 Occulta insidias collocat arte sua.  
 E latebra insidiatur. vt è latitanti cubili  
 Insidiatur oui cum feritate leo.  
 Insidiatur, vt hunc nudet, spoliètque relictum  
 Vt spoliet. nassa hunc fraude trahendo mala  
 Prætereuntes concutit atrox, deprimat, & vi  
 Deicit. oppressos corpore, sternit humi.  
 Sic secum putat. ignorat Deus, & modò vultum  
 Auertit. nostri nil rationis habet.  
 Auertit vultum, vt prorsus non cernat. & has res  
 Humanas minimè curat in orbe vago.  
 Ergo exurge potens Domine. ô Deus optime, dextram  
 Extende vlttricem, qua cadat hostis atrox.  
 Illorum qui sunt oppressi: ne pater alme  
 Obliuiscaris tu pietate tua.  
 Impius ore Deum nam cur contemnat. & orbem  
 Quòd nihili cures, corde feroce vomat:  
 Tu videas igitur. nam obseruas ritè laborem  
 Atque doloris onus, quo premit iste tuos.  
 Hec illata tibi conuitia iure rependas:  
 Vt des hæc manibus (iuste Monarcha) tuis.  
 De reprobis qui te non curant, valde seueras  
 Et iustas pœnas, suppliciumque cape.  
 Est tibi iure bono imprudens, humilisque relictus  
 Pupillo auxilium fers in agone truci.  
 Contere tu reprobi robur, virèstque maligni:  
 Et tu inquire in atrox impietatis opus.

Vt simul hi pereant cum illa impietate recisi:  
 Et dignas pœnas, flagràque iusta ferant.  
 Permanet æternùm Dominus rex solus. At omnis  
 E terra, illius gens inimica perit.  
 Tu desiderium afflictorum, & vota piorum  
 O Domine, exaudi, tu cape (quaxio) preces.  
 Pectori & illorum quos agnoscit exrus, & intus:  
 Intentam tu aurem (rex bone) præbe tuam.  
 Pupillum, atque afflictũ humilem tu vlciscere Princeps:  
 Hos vltiçe manu protege, iuste Deus.  
 Ne mortalis homo vim posthac audeat vltra  
 Inferre, & tandem desinat esse minax.

PSALMVS XI.

In domino confido.

TITVLVS.

*David adhortatio.*

ARGVMENTVM.

*Constans fides: vt nunquam non tenta-  
 tur, ita nunquam vincitur.*

**C**onfido Domino, quo pacto fronte molesta  
 Nunc vos diceris talia verba mihi?  
 Protinus hinc fuge tu citius volitante volucris  
 In montes: rupis tu pete lustra tuæ.  
 Ecce etenim impij, & arcum intendunt. Ecce sagittas  
 Aprant neruo, vt clam te iaculando, petant.  
 Vt clam, illos qui sunt integro corde, trucident:  
 Funditũs vt perdant, interimantque bonos.  
 At iustus quò se vertet? quò pressus abibit?  
 Quò tandem fugiet: Nam fuga nulla datur.  
 Perfugij nullus locus est, non est locus vsquam  
 Tutus ab his reprobis, qui mihi fata parant.  
 Ille sua sancta Dominus supremus in æde

**Q**ui sola mundum condidit arte sua:  
 Cuius & in cœlo solium æquum est: inspicit omnes:  
 Et nitidis oculis omnia nuda videt.  
 Palpebris hominum gnatos scrutatur, & illos  
 Percipit, atque videt vi penetrante sua.  
 Nouit, quid tolerant: quid agant, intelligit, illos  
 Audit: & intentus cuncta repentẽ videt.  
 Rex Dominus iustum benè contemplatur, at odit  
 Impium in his vitiis, qui sibi sponte placet.  
 Odit & ex animo studiosum criminis, ille  
 Impietate truci digna flagella parat.  
 In peccatores laqueis pluit: & Deus illos  
 Horribili pœna, verberibusque premit.  
 Ignis, edax sulphur, tempestas, atque procella  
 Pocula sunt: quibus hos potat, vt vrget opus.  
 Hæc meruere sibi tormenta grauissima, merces  
 Hæc horum calicis, supplicijque manet.  
 Nam Deus iniustos punit, dat præmia iustis.  
 Iustitiam Dominus iustus, & æquus amat.  
 Non soler à iustis oculos, auertere rectos  
 Intento vultu respicit ille suo.

PSALMVS XII.

Saluum me fac Domine.

TITVLVS.

*David carmen adhortatorium. Δὲ πᾶσι Canendum.*

ARGVMENTVM.

*Queritur de publica perfidia. deprecatur perfidorum con-  
 sortium, eò quòd vbi regnent vani, illic omnia  
 sint plena impietate.*

**T**V fer opẽ (ò Domine) hoc afflictò tẽpore. sanctus  
 Nullus enim est reliquus, vitæque sancta perit.  
 Agnatis hominum verũmque, fidẽsque, recessit:  
 Cum socio loquitur friuola quisque suo.



Sermonem blandum, & fictum, meditatur amico.  
 Omne cor. excindat labra dolosa Deus.  
 Omne os blandiloquum, & linguam, quæ grandia fatur  
 Contempnim: excindat, conterat, atque premar.  
 Qui dicunt: linguas nostras, & labra diserta  
 Nos confirmemus, vique paremus opes.  
 Nitamur labiis nostris. est summa facultas  
 Dicendi nobis, sermoneque promptus inest.  
 Verum: quis tandem nobis dominabitur? & quis  
 Sermonem nostrum, qui cohibere potest?  
 Ob casus oppressorum, gemitumque frequentem  
 Pauperum. hic insanus quos furor hostis agit.  
 Exurgam, dixit Dominus Deus, huncque saluti  
 Restituam. hunc inopem proteget vnus amor,  
 Respirare illum faciet, promisit. & illi  
 Certo promisso pondera firma dabit.  
 Eloquia excelsi Domini, purissima verba  
 Sunt. nullum fallunt, decipiuntque virum.  
 Sunt velut argentum à terra in fornace rubenti  
 Valde repurgatum, quod liquat ignis edax.  
 Quod flamma aurificis purgat iam terque, quaterque  
 Vt fax in fumos crassa repente fluat.  
 Ergò tu Domine abstine, & (vt verissimus es tu)  
 Serua illos: ne gens impia, damna ferat.  
 Tu nos oppressos custodi semper, ab istis  
 Infœlix hominum qui genus esse solent.  
 Nam passim fiunt sceleratis omnia plena:  
 Gens vana excelsum cum caput illa gerit.  
 Cum fax illa hominum prunas tenet, euehiturque:  
 En homines reliqui nunc sine laude iacent.  
 Viliter, abiectè, & fœdè tractantur ab illis:  
 Et pelluntur ab his ad graue quodque scelus.

Vsquequò Domine obliuisceris.

TITVLVS.

David Carmen adhortatorium.

ARGVMENTVM.

Longanimitatis oratio est.

Quæso. quousque mei Domine obliuisceris. àne  
 Perpetuò afflicto sat mora longa fuit.  
 Quæso quousque mihi tandem irasceris, & à me  
 Abscondes vultum (mi Deus alme) tuum?  
 Aegro animo, afflicto, cura, & languore. quousque  
 Consilia hic voluam cum ratione mea?  
 Cor pressum at quanto exercebit tempore, durus,  
 Importunus, iners, continuusque, labor?  
 Sæpè solent aliis nocturno tempore curæ  
 Sopiri. at redeunt nocte, dièque mihi.  
 Summe quousque Deus, ferus exaltabitur hostis:  
 Et me prostrato læta trophæa feret?  
 Quæso quousque suas cristas hic eriget in me:  
 Atque triumphabit victor hic ille ferox?  
 Contemplare, atque auxiliare. (ò summe monarcha  
 O Domine, ò clemens, & benedicte Deus.  
 Tu cæcos oculos illustra. ne mihi mæsto  
 Obrepat mortis ferreus ille sopor.  
 Nec dicat meus hostis atrox, sum victor, & illo  
 Sum factus maior viribus ipse meis.  
 Ne si fortè loco mouear, latentur abundè  
 Qui sunt infensi (non ratione) mihi.  
 Namque tua nitior bonitate, & turus in illa  
 Omnem spem fixi, composuique meam.  
 Cor meum in aduentu dulci, placidòque salutis  
 Quam à te expectaui, gaudia plena parit.  
 Vt canam ego tibi laudes, cum hanc mihi rebus acerbis

Largitus fueris dexteritate tua.

Dixit insipiens in corde suo.

TITVLVS.

*Dauid adhortatorium carmen.*

ARGVMENTVM.

*Causatur omnes esse peccatores, & futurum vt impij metu exanimentur. Pius autem diues gaudium à Zion cœlesti vsuenturum sit.*

**N** Vllum hîc esse Deum sibi vani in cordibus aiunt,  
 Expertes sensus, iudiciique sui.  
 Sectantur studia horrenda, & corrupta. lupatis  
 Prorsus demissis in scelus omne ruunt.  
 Nec quisquam inter eos rectè facit. inclyta virtus  
 Exilium patitur, relligiôque iacet.  
 Dictitat indulgens vitiis insania. finxit  
 Credula formido calliditate Deum.  
 Præcipiti casu fors omnia voluit in orbe.  
 Humanis rebus fertque, refertque vices.  
 Cùm super hos hominum gnatos aliquândo per orbem  
 De cœlo Dominus cerneret ille suo.  
 Vt tanta in turba, numerôque videret: an esset  
 Qui aut saperet, cultum diligeretque Dei.  
 Aut gereret curam venerandi numinis huius  
 Atque studeret ei corde placere bono.  
 Hîc à rege Deo Domino defecerat omnis.  
 Corruptus vitiis hîc simul omnis erat.  
 Nullus quod rectum est faciebat. non erat vnus  
 Qui pura coleret relligione Deum.  
 Nùm saperent omnes: nec recta capeffere possent  
 Addicti sceleri, nequitiaque graui?  
 Qui populum rodunt vt frustum panis: & huius

Sanguine viuentes, corpus, & ossa vorant?  
 Qui non implorant Dominum, qui dirigit orbem?  
 Qui nec eum puro corde, fidèque vocant?  
 Istic ergò illi trepidabunt, quùm Deus adstans  
 Iustorum ad partem talia dicet eis.  
 Consilium verax inopis, vos exposuistis  
 Ludibrio, sed ei dat Deus vnus opem.  
 Spes eius, Deus est: qui turpia crimina vestra  
 Plectet iustitia, quæ flagra digna feret.  
 Quis dabit Israël de zion monte salutem,  
 Quam nimis optauit, percupitque diu?  
 Quùm Dominus populum tristem, captumq; reducet:  
 Et populi soluet ferrea vincla sui.  
 Tùm Iacob exulrabit ouans, lætabitur exul  
 Israël: qui tot damna, crucèsque tulit.  
 E ceruice iua, cum libertate repellet  
 Subiectum exilij, seruitiique iugum.  
 Hostis & ereptus violente tyranni de. tandem  
 A Domino toties exhilaratus erit.  
 Ocio vt ingenti, & iucunda pace fruatur  
 In vitæ tempus, relliquiasque suæ.

PSALMVS XV.

Domine quis habitabit.

TITVLVS.

*Dauid carmen.*

ARGVMENTVM.

*Piorum hereditas, & in hoc mundo vita.*

**Q** Vis tua (mi Dñe) hæc habitet tentoria? sed quis  
 Versetur sancti montis in arce tui?  
 Qui ducit vitam innocuam. & qui operatur in illa  
 Vita, quod iustum est, & fugit omne malum.  
 Qui verum recto meditatatur corde. nec vnum

Aut aliud duplici corde, vel ore refert.  
 Qui blanda lingua nunquam circumuenit vllum:  
 Et mala vicino non facit vlla suo.  
 Qui socio atrox opprobrium non intulit. & qui  
 Nullius reputat, qui scelus omne probant.  
 Verum habet in pretio, Dominum qui sponte verentur:  
 Et Deum (vt heredes, filioli que) timent.  
 Qui quæ iurauit vicino, non facit vnquam  
 Irrita. iuratam sed tenet ille fidem.  
 Non scenus nummis exercuit: atque voraci  
 Vtura nullas accumulauit opes.  
 Nec super infontem accepit sibi munus auara  
 Dextra, vt deferret testis iniquus eum.  
 Qui facit hæc non omnino, æternumque mouetur.  
 Firmus at immotæ rupis adinstar erit.  
 Semper ciuis erit cœlestis, nobilis vrbis:  
 Hunc nihil eiiciet Regis ab arce Dei.

PSALMVS XVI.

Conserua me Domine.

TITVLVS.

David Michtham תִּשְׁתָּ' עַיִן חַלְדַּיִם hoc est deliciæ.

ARGVMENTVM.

*Confessio est. perspectis totius mundi rebus nihil fir-  
 mum esse. nihil autem esse sanctius, ac certius, quàm om-  
 ni fiducia Domino adherere.*

**M**E (Deus omnipotens) custodi. nam miser in te  
 Vno, confido. spes mea sola manes.  
 Confiteor Domino. Dominus meus optimus es tu:  
 Et nihil ad te sunt, hæc mea quæque bona.  
 Non vinciris, ea in me tu conferre. nec (illa  
 Vt mihi tu facias) obligat vllus amor.  
 Omne bonum sine te. non est mihi. nam venit ex te.

Nec

Nec confert bonitas hæc mea tota tibi.  
 Totus ego incumbēbam aliquando (Rex bone) sanctis.  
 Præcipuisque viris, quos globus orbis habet.  
 Præclarisque viris, qui illo versantur in orbe.  
 Quos opera, & placida sponte iuuabo mea.  
 Omnibus ipse modis, illis prodesse studebam  
 Nominis hac vna nobilitate tui.  
 Sed deflectebant Iudæi, perfida turba  
 A cultu fidei, seruitioque tuo.  
 Et retrocedebant, cum incommoda sapius horum  
 Increbrescebant cincta dolore graui.  
 Non ego libabo libamina sanguinis horum,  
 Qui malè sponte sua deseruere Deum.  
 Externos finxere Deos, idola colentes:  
 Et veri abiiciunt iussa, fidemque Dei.  
 In labia ista mea, horum perfida nomina numquam  
 Adsumam, cum sint hæc odiosa mihi.  
 Sed pars summa meæ sortis, successio diues  
 Est Dominus. cibus est, & meus ille calix.  
 A Domino veniunt illius commoda vitæ.  
 Ille mihi victum dat bonitate sua.  
 O vos ergò mei cruciatus, vosque labores  
 Fælices estis, vos Deus ille manet.  
 Tu fulcis Domine illam sortem robore firmo.  
 Et cecidit bona fors in loca pulchra mihi.  
 Hæc præclara mihi successio perplacet. illa  
 Nil mihi fælici gratius esse potest.  
 Ritè meam mentem Deus explet. præter amœnum  
 Et larum hunc fundum, nil ego solus amo.  
 Persoluo Domino grates, quòd me admonet. ille  
 Est à consiliis, colloquiisque mihi.  
 Nam & me sollicitum mea mens sibi conscia noctu  
 Corrigit, inspirat consilioque bona  
 Suspicio Dominum coram me iugiter. adstat

Ne mouear. dextrâ Dux, comes, ille mea. tandem  
 Hinc fit, vt omne meum cor gaudeat, vt mea tandem  
 Exulter virtus, & meus altus honos.  
 Hinc fit, vt & tandem securè, & ritè quiescat  
 Illa caro hanc animam repperitura suam.  
 Nâque meâm hanc animâ ad Limbū nō ipse relinques:  
 Et functum corpus non teget vrna diu.  
 Nec dabis vt sanctus: tuus & dilectus, & orbis  
 Rex, corrumpatur. Non sinet istud amor.  
 Duxque, comêque mihi profugo (Deus optime) vitæ  
 Tu notum facies, & referabis iter.  
 Tu facies, vt ego immortali corpore surgam:  
 Vitam immortalem tu mihi iure dabis.  
 Me vultu rutilante tuo exhilarabis. amica  
 Lætitia in dextra est tempus in omne tua.  
 Hîc vbi solus ades, confers solamen, & agris  
 Omne voluptatis, lætitiæque genus.

PSALMVS XVII.

Exaudi Domine iustitiam meam.

TITVLVS.

David oratio.

ARGVMENTVM.

*Veluti contendit cum Deo: Quod innocentie studentem  
 grauitè tentet. Atque orat vt Domino pro-  
 regatur ab aduersariis.*

**S**ynceram integritatem æquas, iustasque querelas  
 O Domine exaudi: nūlque tuere meum.  
 Clamoti tremulo attende, auscultaque precanti  
 Voci: quam tibi nunc profero (summe Deus)  
 Prodit de labiis puris, minimèque dolosis.  
 A te iudicium prodeat omne meum.  
 Iudicium de iure meo fer candide iudex,

Arbiter in causa tu Deus esse velis.  
 Quæ sunt recta, tui æquè contemplentur ocelli:  
 Cor meum in aduersis casibus, igne proba.  
 Explora nocte, & me totum incende. frequentis  
 Aerumne facibus, corpus adure meum.  
 Circumfunde animum tenebris, & nocte doloris:  
 Nunc adsit de me quæstio facta tibi:  
 Me excoque, vt argentum ardenti solet igne probari:  
 In me nil cernes, inueniêsque mali.  
 Nam ne quidem verbo statui tua dulcia iussa  
 Transgredi. ego quicquid sentio, ritè loquor.  
 Sum simplex animo: simulo nihil ore doloso.  
 Nil cor ab infanti discrepat ore meo.  
 A prauis hominum factis ego tempero. fallax  
 Et peruerforum desero prorsus iter.  
 Hoc, propter verbum labiorum dulce tuorum:  
 Hoc, propter leges, & tua iussa (Deus)  
 Infirmos cupias conatus ipse iuuare.  
 Auxilium imploro (Rex generose) tuum.  
 Ne mea turbentur vestigia, sustine gressus:  
 Dum gradior per iter, quod mihi ritè iubes.  
 Clamo equidè ad te, vt succurras Deus, inclyte princeps:  
 Præbe autem placidam quæstibus ipse meis.  
 Tristia . . . a audi. sub tanta mole laborum  
 Cùm iaceam, & ne me desere (quælo) tuum.  
 Qui seruas dextra tua ab insurgentibus in te  
 Fidentes: monstra te bonitate mihi.  
 Destina & immensam bonitatem tu optime regum  
 Rex, es totius fons, & origo boni.  
 Vt pupilla oculi tenui circumdata velo  
 Custodiatur: vt hanc nil violare queat.  
 Sic me custodi. nam sum te authore, Deoque  
 Rex Hebræorum factus, & vnctus ego.  
 Vt fouet, & seruat pullos gallina sub alis.

Illos miluus edax ne premat ore truci.  
 Ipse sub alarum vmbra tu me absconde tuarum  
 A reprobis, qui omni me feritate premunt.  
 Hostibus à rabidis, qui affligunt me vndique pressum.  
 Qui circumuallant hanc animamque meam.  
 Qui me prosternunt opibus, reteguntque, superbè  
 Ore suo rabido, fulmineòque tonant.  
 Quò nos confugimus, nos insectantur. & arcum  
 Nostrium iter occludunt obsidione graui.  
 Ad terram vertunt oculos, cupidòque leoni  
 Prædæ, sunt similes, vt mihi damna ferant.  
 Illi sunt similes rapido, iuuenique leoni  
 Occultas prædæ qui struit insidias.  
 Tu surge ô Domine omnipotens defensor, & illum  
 Occupa: & afflictò ne mihi differ opem.  
 Sterne supinū illū. & tu ab eo impio (ô inclyte victor)  
 Nunc redime hanc animam, quam ditione premit.  
 Hic, tuus est gladius: per quem tu crimina nostra  
 Punis. dum iustus commouet arma furor.  
 Impius ille, tuum iustum est scelerumque flagellum:  
 Quo iniustos plectis, iustitiámque probas.  
 Hanc animam victrice manu, à mortalibus illis  
 O Domine eripe nunc. sat mala dura tulit.  
 Aufer eam à vanis sæcli mortalibus huius  
 Qui fidunt opibus, quas peperere sibi.  
 Qui hac in mortali vita fugiente, fruuntur  
 Parte sua, fluxas deliciasque fouent.  
 Nam pinguem illorum ventrem tu funditus imple  
 Fertilitate penus (summe Monarcha) tui.  
 Vt cum sint saturi: gnatis infantibus illi  
 Mitrant reliquias, diuitiasque suas.  
 Sed comparebo coram te mi Deus, illa  
 Cum integritate, vna iustitiáque tua.  
 Et satiabor ego, quando tua gloria scælix

Apparebit. & hic vultus, amorque tuus.  
 Cum te cognoscam multò manifestius, vnum  
 Te facie ad faciem conspiciendò Deum.

## PSALMVS XVIII.

Diligam te Domine fortitudo mea.

## TITVLVS.

*David serui Domini Carmen adhortatoriu, qui cecinit  
 Domino res carminis huius, quum liberaret eum Domi-  
 nus, cum de manu omnium inimicorum suorum tum de  
 manu Saul, & ait.*

## ARGVMENTVM.

*Gratias agit. narrat quò periculorū venerit:  
 Diuinam potentiam describit. & eius beneficia cantat.*

**D**iligam te Rex Domine, & supreme Monarcha  
 Inuictum robur, præfidiúmque meum.  
 Es Domine omnipotens princeps exercitus omnis  
 Præruptum, quod atrox hostis adire nequit.  
 Es mihi tu rupes. tu fortis, & inuia turris:  
 Es munimentum, cum fera bella premunt.  
 Perfugium tutum: cum dura pericula quæque  
 Vndique me affligunt, & mala cuncta mouent.  
 Es Deus ipse meus. mea tu firmissima petra:  
 Quo nitar. scutum sæua per arma meum.  
 Et cornu validum: indomitumque salutis Asylum  
 Securum. ereptor fortis ab hoste truci:  
 Rebus in afflictis Solamen. certa Salutis  
 Anchora. tu statio, portus, & aura, mihi.  
 Laudibus immensis Dominum dum canto potentem:  
 Saluus sum à rabidis hostibus ipse meus.  
 Lata comes, cunctis melior pax vna triumphis  
 Per te alijs placidis aduolat illa mihi.  
 Me circumdederant mortis trucidique funes.

Illius & pedicis vndique cinctus eram.  
 Torrentes Belial contra me (proh dolor) vnum  
 Inflat fuerant, meque premebat aqua.  
 Inferni laqueus me circumuenerat: illo  
 Dum districtus eram, non erat vlla quies.  
 Me rete horrendæ mortis præuenterat ægrum:  
 Illius & pedicæ tendiculæque truces.  
 Rebus in angustiis sic tortus, & vndique pressus  
 Casibus & miseris exagitatus ego.  
 Corde vnū Dominum implorabā, illūque vocabam,  
 Clam. bam ad Dominum voce, Deūque meum.  
 Mœstam igitur vocem vultu exaudiuit amico,  
 De templo sancto, magnificōque, suo.  
 At meus vt primū clamor peruenit ad aures  
 Illius, & quietus audiit ille graues.  
 Terra mouebatur, subitōque fragore tremebat:  
 Et dabat excelsos, horribilēque sonos.  
 Montium apertorum caua fundamenta fremebant:  
 Concuciebantur, fractaque prorsus erant.  
 Hic etenim motus, vehementi ardebat in ira:  
 Hostes vt trepidos, attonitōsque daret.  
 Sic ascendebat fumus de nare. vomebat  
 Ore rubente ignem, qui citò cuncta vorat.  
 Vt tum carbones inflammarentur: & atræ,  
 Flammæ cum fumo subsiliente forent.  
 Flectebat cælos, ac descendebat: & huius  
 Sub pedibus niueis aër opacus erat.  
 Pegaseo Cherubim vectus volitabat in altum  
 Aera, qui medium præbet in orbe locum.  
 Qui sese in nubes, elementaque cætera fundit  
 Complexu, celeri præleuitate sua.  
 Præpetibus pennis ventorum exinde volabat,  
 Omnes perlustrans vi penetrante polos.  
 Circumponebat tecti castrensis adinstar

Obscuras tenebras sedulitate sibi.  
 In quibus inclusus, nobis tectūque lateret  
 Hunc oculis poterat nemo videre suis.  
 Nubibus imbrificis, & aquis se denique nigris  
 Vallabat sed mox fulgor abegit aquas.  
 De nitido fulgore huius conspectus, abibant  
 Nubes, & grando, fulmen, & ignis edax.  
 Tūc supera Dominus Dominator ab arce tonabat:  
 Excelsus vocem tum dabat ille suam.  
 Mugitum ædebant sinuosa volumina cæli  
 Horrifico tonitru, fulmineoque modo.  
 Fulgebant tremuli ruptis è nubibus ignes:  
 Et sonus inclusus murmura rauca dabat.  
 Hic grando, atque ignis radii, flammæque voraces:  
 Mittebat dextra spicula dira manu.  
 Hæc dispergebat sparsos iratus in hostes  
 Multiplicabat in hos fulgura. voce sua.  
 Dissiciebat ea in terram violenter: vt omnes  
 Illos terreret sæpe furore graui.  
 Spirabat ventos ex naribus. Orbis hic ingens,  
 Et totum terræ valde tremebat opus.  
 Fontium apertæ venæ, altæ scatebræque parebant.  
 Hanc iram expertæ (summe Monarcha) tuam,  
 Et retegebantur latitantia totius orbis  
 Fundamenta tua voce, (tremende Deus)  
 Vt te obiurgante, & te respirante. Furentis  
 Iræ præ stomacho conspicienda forent.  
 Ergo manum ex alto mittebat, & arripiebat  
 Me. ex multis & me tūc retrahebat aquis.  
 Namque absorptus eram penitus vehementibus vndis;  
 Naufragii tabulas & patiebar ego.  
 Me de vi hostium acerbiorum qui bella mouebant  
 Eripiebat in hoc agmine valde truci  
 Præualidis etiam me oppressum osoribus, vltro

Exoluebat. ab his nam superatus eram.  
 In autum illorum rabies præuerterat arctis  
 In rebus. sed opem Rex dabat ille mihi.  
 Educebat me in latum ex angoribus. & me  
 Inuicta clemens eripiebat ope.  
 Nam me sponte bona sibi charum elegerat. huius  
 Sic amor, atque fauor magnificandus erat.  
 Reddebat mihi dux Dominus, Rex totius Orbis  
 Iuxta iustitiam, munditiemque meam:  
 Iuxta munditiem manuum mihi sponte mearum  
 Illius hic in me retribuebat amor.  
 Namque vias Domini obseruâram pectore toto:  
 A Dominante Deo non alienus eram.  
 Omnes illius leges, quæ regna gubernant,  
 Ante oculos tenet. nam mihi recta iubent.  
 Illius mores nec amando totus in horas  
 A me. nam Dominus quæ mihi mandat, amo.  
 Hinc fit, ut ipse equidem erga ipsum nunc integer adsum:  
 Ipsum me à vitio continèamque graui.  
 At mihi Rex Dominus reddat, gratisque rependat  
 Iuxta iustitiam, munditiemque meam.  
 Iuxta munditiem manuum mihi sponte mearum  
 Reddat munifica pro bonitate sua.  
 Erga hominem sanctum tu sanctus es. integer erga  
 Integrum. & mundo mundus adesse soles.  
 Erga electum electus es. & peruersus es ipse  
 Erga peruersum Rex bone, iuste Deus.  
 Nam saluas humilem populum. tu deprimis æquo  
 Iure superborum grande supercilium.  
 Luce meam accendis tu obscura nocte lucernam  
 O Domine excellens. tu Deus ille meus.  
 Et nigras tenebras illustras lumine claro:  
 Has procul hic à me disicis, atque fugas.  
 Si quid contigerit mihi (Rex inuicte) secundi:

In causa es. qui das prospera quæque mihi.  
 Qui res aduersas, qui tot mihi fata dolorum  
 In promptam vertis prosperitatis opem.  
 Te duce perrumpo cuneos, inimicæque castra,  
 Instructas acies hostis, & arma premo.  
 In te transilio murum per saxa, per ignes:  
 Nec valet hostis atrox ipse nocere mihi.  
 Transgredior fossas, vallos, & mœnia celsa  
 Hoc in te Domino Rege, Deoque meo.  
 Expugno per te furiosas protinus vrbes.  
 Et modò sum per te victor in hoste truci.  
 Illa Dei immaculata via est, Deus omnia præstat:  
 Atque bona peragit, constituitque fide.  
 Quicquid promittit, præstat sermone fideli.  
 Seruat promissis omnibus ille fidem.  
 Sermo repurgatus Domini. velut omne metallum  
 Igne repurgatum face latente sua.  
 Igne probatum illud nullam complectitur in se  
 Scoriam. at ardenti purius igne micat.  
 Sic Domini sermo, fucò est alienus ab omni.  
 Admixtos falsò respuit ille dolos.  
 Est Dominus scutum cunctorum, qui bene fidunt:  
 Et sperant. in eo. cum mala dura ferunt.  
 Ut clypeo miles seruetur, sic Deus illos  
 Qui fidunt ipsi, seruat ab hoste fero.  
 Quis Deus est præter Dominum, qui turbine versat  
 Cælum: & qui cælo sydera clara dedit?  
 Quis præter Dominum nostrum, regemque Deumque  
 Omnipotens? sed quis fortis ut ipse Deus?  
 Ipse est ille Deus, qui robore me vndique cingit:  
 Quique meam integram seruat vbique viam.  
 Cum premit hostis atrox: & vitæ quando saluti  
 Consulo, veloci prospiciòque fuga.  
 Ceruorum pedibus currentum per iuga quæque

Celsa, pedes similes hic facit esse meos.  
 Me in loca constituit sublimibus horrida cliuis:  
 Ut liceat multò tutius esse mihi.  
 Instruit ad pugnam mea brachia dura manúsque:  
 Et digitos fortes tractat ad arma meos.  
 Hostis ut aratos frangam velociter arcus  
 In bello, forti, præualidæque, manu.  
 Tu mihi protendis clypeum, quo seruor ab hoste,  
 Qui mihi continuò prælia dura mouet  
 Me dextra inuicta sustentas. Tu Deus auges  
 Mansueta, & solita me bonitate tua  
 Et ne per insidias tali labantur, apertam  
 Sub me dilatas per loca stricta viam  
 Persequor armatos hostes: atque assequor vno  
 Cinctus præsidio cunctipotente tuo,  
 Nec redeo: donec toti absumentur, & illos  
 Concido, & sterno tam violenter humi.  
 Ut nequeant propria virtute resurgere lapsi  
 Sub pedibus, sic das clara trophæa mihi.  
 Ad bellum me Rex accingis robore forti.  
 Tractas ipse meas ad fera bella manus  
 In me qui insurgunt: sub me prosterneis, & vna  
 Euersos ponis sub ditione mea.  
 Das inimicorum iugulum mihi, dissipat hostes  
 Ordine confusos hæc tua dextra potens.  
 Sic perit illorum fugiens exercitus, illos,  
 Sic das in celerem, præcipitèmq; fugam.  
 Auxilium implorant superati, dum mala poscunt:  
 Sed nemo exaudit, nec miseretur eis.  
 Ad Dominum clamant & fundunt vota, precèsque:  
 Sed non fert illis (cùm dolor vrget) opem.  
 Illos comminuo dispersos pulueris instar,  
 Qui vento rapitur præcipitatus humi.  
 Et veluti cœnum in plateis deformibus illos

Reddo contemprios, vt probra iusta ferant.  
 A populi rixis, & seditionibus, atque  
 Probris me tuus hic eripit vnus amor.  
 Tu me constituís caput vnum gentibus illis,  
 Quæ non noscebant religione Deum.  
 Et populus quem non noui mihi seruit. & auris  
 Ad primum auditum paret amore mihi.  
 A me sed noti dulces, charique propinqui  
 Deficiunt, Regem despiciuntque suum,  
 Notos per æsum est, declinant. & pede claudo  
 Errant à solito calle, viæque sua.  
 Viuat Rex Dominus. Benedictus sit Deus ille,  
 Qui est mea petra, mei per fugiisque locus.  
 Et Deus omnipotens: Princeps altúsque, vehatur:  
 Qui victor meus est & mea certa salus.  
 Ipse est ille Deus vindictam, qui mihi donat  
 Sumere. Qui probrum vindicat omne meum.  
 Qui populos, gentésque feras, mihi subiicit. & qui  
 Victricis palmæ præmia læta dedit  
 Eripit atroci famulum me victor ab hoste.  
 In me qui insurgunt me superare facit,  
 De quouis malo hic oppressum me liberat, ergò  
 Hic inter gentes te (Deus alme) canam.  
 Grates persoluam tibi (Rex) pro gentibus illis,  
 Quas mihi subiecit regius vnus amor.  
 Nomen ego cantabò tuum. Rex inclytus es Tu.  
 Qui Regi confers maxima dona tuo.  
 Qui tuum amicum regem ornas, ditásque salute  
 Multa, qui tot ei clara trophæa refers.  
 Qui tot ei in bellis victricia signa dedisti  
 Dux exercituum, militiæque Deus.  
 Quique triumphorum tot honores, totque coronas  
 Illi munificè distribuissè cupis.  
 Quique tuum hunc vnctum Dauid, seménque per æuū



Prosequeris meritis, atque fauore tuo.

Cœli enarrant gloriam Dei.

TITVLVS.

*Dauid carmen adhortatorium.*

ARGVMENTVM.

*Comparat illuminationem verbi Dei Solis illuminationi, & salutarem virtutem eius explicat.*

**C**vm cœli ipsi perfulgentes vndique Stellis  
Virtutem narrant, commemorantque Dei.  
Tum firmamentum fixum rutilantibus astris.  
Mirandum manuum prædicat huius opus.  
Quam sit hic Omnipotēs, & prudēs. quam sit & ingēs,  
Illius Artificis gloria, laus, & honos.  
Flammeus exponit fornix, templumque decorum  
Cœli suspensum cum leuitate sua.  
Quisque dies & idem cunctis promulgat, & vnum  
Demonstrat numen, notitiãque Dei.  
Singulæ & hæ noctes, vt idem aptè & ritè sciatur,  
Insinuant. nobis significãtque Deum.  
Solicitãque Dei curam, qui cuncta gubernat,  
Nituntur nobis cum ratione loqui.  
Non vsquam est sermo, nec tam sibi barbara lingua,  
Non regio, nec gens. ora nec vlla datur.  
Quæ non percipiant, & noscant gnauiter horum  
Dulcisonam vocem, blandiloquumque sonum.  
In terras omnes oratio dulcis eorum  
Exit, & humanis omnibus illa placet.  
Et verba illorum subitò sparguntur ad oras  
Extremas, orbis finitimòsque sinus.  
Orbis in extremis terrarum partibus illa  
Fabrica conspicitur sydera clara tenens

Corpora complectens cœlestia, prorsus amussim  
Ad rectam affabrè, ritèque facta viris.  
Hæc regis regum pulcherrima regia: cunctis  
Est vice verborum, nobilitate sua.  
Hæc structura Dei, mundi miranda per æuum  
Nùm punctis constat, cursibus acta suis?  
Punctis dirigitur. punctum neque præterit vllum  
Omnia decurrunt ordine recta suo  
Ædis stelliferæ ille hic immutabilis ordo.  
Distinctus stellis, syderibusque decor.  
Astrorumque situs varii. ætheris ordo decorus  
Artificem produnt, commemorantque Deum.  
Sphæra illa excellens, quæ terram circiter ambit  
Suspensam, & medium totius orbis opus.  
Hæc pelagi, & terræ sinuauit ritè capacem  
Arcum. in centro huius constituitque globum.  
In cœlis videas motus, raptusque, tropicusque  
Astrorum celeres, signaque fixa polo.  
In cœlis potuit Dominus tentoria soli,  
E quibus, vt thalamo sponsus honoris, abit.  
Hunc Deus vt regem stellis præfecit: & illi  
Imperium celsum clara per astra dedit.  
Vt fortis magnusque gygas velut impete fertur.  
Gestit, & in celeri tempore currit iter.  
Termino ab extremo cœlorum protinus vno  
Egreditur, cursus instituitque leues.  
Terminum ad alterum eorum extremum præpete cursu  
Contendit, gyros multiplicatque suos.  
Currit ad occasum, extremo raptatus ab ortu.  
Ad dextram cœli voluitur inde plagam.  
Exit ab occasu. rursus defertur ad ortum:  
Et cursu, partes quattuor orbis adit.  
Oppositos illos penetrat, curritque per axes  
Circa quos mundi grande rotatur opus.

Arcticus hinc illi polus est. Antarcticus inde :  
 E centro gestit per loca quæque rapi.  
 Hic modò sublimes radios ostentat. In orbem  
 Auerfum rapitur, sub pedibúsque later.  
 Et loca terrarum radiantibus omnia flammis  
 Cingit: & in cælo sydera cuncta regit.  
 Viuificum roto largitur in orbe calorem.  
 Cunctas naturas auget, & ille fouet.  
 In terris nemo est, qui se à feruente calore  
 Illius abscondat. Lustrat vbique solum.  
 Non est in terris locus expers luminis huius:  
 Abdita nam penetrat lumine cuncta suo.  
 Sic perfecta est lex Domini dominantis in orbe,  
 Restituit mentem religione sua.  
 Æterni pactum Domini, doctrinæque constans  
 Et verax. pueros instruit, atque docet.  
 Ignaros facit hæc sapientes, atque peritos:  
 Ut possint veræ nosse salutis opus.  
 Sunt æquæ Domini multæ. sunt verbera iusta:  
 Nam cor exhilarant, lætitiæque fouent.  
 Præceptum Domini purum est, & mentis ocellos  
 Illustrat. nobis prodit in astra viam  
 Ille timor Domini mundus, firmúsque per æuum  
 Perstat: & interno pulsus amore venit.  
 Est timor hic mundus. Domino reuerentia summo  
 Debita: quæ mentes religione fouet,  
 Est timor ille. Dei cultus syncerus. & alta  
 Durat perpetuò regis in arce Dei.  
 Migrantes animas è carcere corporis huius  
 In cælum fidus Duxque comésque, vehit.  
 Iudicia excelsi Domini iusta, & simul æqua  
 Sunt. sunt diuitiæ, deliciæque viris.  
 Hæc optada magis quàm aurum, Obrizúmque resulgēs  
 Immensum. Quid eis dulcius esse potest?

Illa mel hyblæum placida dulcedine præstant:  
 Præstant & liqui dum melifluúmque fauum.  
 Illa tuus seruus custodit. in omnibus illis  
 Iussis seruandis præmia multa feret.  
 Sed quis ad errores animum qui debilis extat,  
 Aduertit? sed quis crimina tanta videt?  
 Absolue ergó Deus tu me clementer ab illis,  
 Quæ me præ mentis debilitate latent.  
 Præcipuè bonitate tua (dulcissime Princeps)  
 Me absconde à vitijs, criminibúsque feris.  
 Quæ audax admisi contra te: quominus ægrum  
 me subigant. multa fraude, doloque sibi.  
 Sic etenim purgabor ego. atque absoluar ab illo  
 Delicto ingenti, quod mihi factus agit.  
 O Domine omnipotés, mea petra, meusque redemptor:  
 Oris verba mei sint (rogo) grata tibi.  
 Et tibi tota mei placeat meditatio cordis.  
 Tu Dominus meus es. tu mea sola salus.

PSALMVS XX.

Exaudiat te Dominus.

TITVLVS.

David Carmen adhortatorium.

ARGVMENTVM.

*Pollicetur veluti sub persona præceptoris, Dum suis  
 per omnia fore benignum.*

**R**ebus in angustijs, & in anxietatis atroci  
 articulo, quem anceps bellicus ardor habet  
 Te Dominus princeps exaudiet aure benigna:  
 Placatusque tuas audiet ille preces.  
 Maiestasque Dei Iacob te proteget. omne  
 Auxilium sancta mittet ab arce tibi.  
 Hic te de Zion contra omnia proteget arma:  
 Et memor hic sacri totius huius erit.

Igne tuum exardens holocaustum sponte litabit.  
 Quàm magnum est, vt sit victima grata Deo?  
 Quam magnum est ab eo exaudiri vota, precésque?  
 Conferet ille tibi quicquid habere voles.  
 Consilium omne tum certè complebit: & illud  
 Perficiet. votis annuet ille tuis.  
 Et præ lætitia ingenti exultabimus vltro  
 Nos super hac (princeps magne) salute tua.  
 Et maiestati Domini testabimur omnes  
 Verbis, & summa prosperitate sua:  
 Quòd nos magnificas grates referamus honoris.  
 Ille Deus noster clara trophæa dabit.  
 Námque triumphantes victricia signa geremus  
 Hoc victore Deo, qui premit agmen humi.  
 Indè preces, & vota, tuos omnésque petitus  
 Perficiet Dominus maximus, atque potens.  
 Nunc scio: quòd rabidis seruabit ab hostibus vnctum:  
 Et saluum post hæc bella reducet eum.  
 Huicque salutaris dextræ virtute potenti  
 E cælo sancto suppeditabit opem.  
 Confidunt alij violentis curribus. illi  
 Confidunt, & equis qui per inane volant.  
 In mentem veniet Domini memorabile nomen.  
 Hic noster princeps. noster hic ille Deus.  
 Isti vincuntur, moriendò cadentque supini.  
 Sed surgemus. opem dux Deus ille dabit.  
 Stabimus erecti. nostrum caput eriget ille:  
 Et tribuet palmæ nobilis omne decus.  
 Serua tu Domine. & cùm te implorabimus, ô Rex:  
 Nobis tu fer opem, subsidiúmque tuum.

Domine in virtute tua lætabitur Rex.

TITVLVS.

*David Carmen adhortatorium.*

ARGVMENTVM.

*Gratias agit Deo pro innumeris beneficiis  
 quæ partim recenset.*

**O** Domine, ô princeps mundi, cœlique Monarcha:  
 Qui solus mundum, regnâque cuncta regis.  
 In virtute tua Rex vt lætatur? acerbis  
 Hostibus euerfis gaudia quanta parit?  
 Ille tua vt præter modum in adiutrice salute  
 Exultat? per te victor in hoste fuit.  
 Hinc desiderium cordis cum laude, dedisti.  
 Abs te cõsequitur quicquid amare potest.  
 Illi quæ petiit labiis, non ipse negasti.  
 Illi cuncta tuus cõtulit arctus amor.  
 O quàm summus amor Domini. quàm maxima res est  
 Liberè, & intrepidè commoda verba loqui?  
 Vltro hunc præuertit tua munificencia summa  
 Muneribus multis, innumerisque bonis.  
 Imposuisti huius capiti (Deus alme) coronam  
 Auream, & hæc gemmis vndique cincta, nitet.  
 Hic à te petiit vitam, & largitus es illi  
 Longæuam ætatem, perpetuósque dies.  
 Vt viuat victor scælix & semper, & vltra:  
 Illius immensa est gloria. Iponte tua.  
 Sed tu per tuam opem posuisti (inuicte Monarcha)  
 Splendorem super hunc, eximiúmque decus.  
 Et tu hunc perpetua donabis prosperitate:  
 Vultus lætitia, lætificabis eum.  
 Nam Rex in Dominum sperat. spes illius: alti,  
 Et summi Domini cum bonitate manet.

Hinc fit, vt hic labi non possit. sentiat omnis  
 Hostis atrox vires, arma, manúmque tuam.  
 Experiantur adhuc inimici (ò maximè vindex)  
 Dextram. perdendis omnibus illa. sat est.  
 Hos veluti cibanum tu incende. in tempore duro  
 Indignati animi, iudicique tui.  
 In vehemente tua, ira illos deglutiat. atque  
 Deuoret ignis edax (ò metuende Deus)  
 Perde horum germen de terra: & semen eorum  
 Ex hominum numero, progenièque mala.  
 Namque malum voluunt contra te. impingere crimen  
 Conantur studiis omnibus, atque dolis.  
 Et faciùs, quod non possunt, meditantur. at illos  
 Vertes in celerem, præcipitèmq; fugam.  
 Illorum facies tanquam scopum in ora, sagittis  
 Vt pœna, (quam illi commeruere) petes.  
 Euehere ò Domine omnipotens, victorque triumphans  
 Cum virtute tua: te modò prodè Deus.  
 Vt nos cantemus læti: & celebremus honores,  
 Atque potestatem qua regis orbis opus.  
 Sedibus æthereis, terræ, dominaris, & Orco.  
 Et triplicis regni sceptrâ verenda tenes.

PSALMVS XXII.

Deus, Deus meus quare me dereliquisti.

TITVLVS.

*Dauid Carmen adhortatorium super cerua indagata  
 siue aurore.*

ARGVMENTVM.

*Implorat auxiliũ Dei in vltima angustia cõstitutus:  
 quam miris cõparationibus exprimit. sentit auxilium &  
 gratias agit. quibus omnibus typũ Christi eleganter ad-  
 umbrat, & de Gentium vocatione subiungit vaticinium.*

O Deus ipse meus. Deus ò meus vnicus. orbis  
 Arbiter, & summus totius orbis amor.  
 Cur tu deseruisti me: à fœlice salute,  
 Verba grauis gemitus sunt aliena mei.  
 Ipse die tota (Deus ò meus) inuoco supplex.  
 Non tamen exaudis: nec mihi dexter ades.  
 Quin & non taceo supplex ego nocte molesta  
 Tota. nulla mihi dulcia verba refers.  
 Seu terram tenebris nox atra silentibus omnem  
 Obruat. aut redeat nocte micante dies.  
 Nil tu respondes mœstis, grauibusque querelis.  
 Quæ cruciant animi vulnera sæua mei.  
 Tu verò, qui in sancto habitas ò gloria sola  
 Israël, qui te gestit habere Deum.  
 Nostrorum patrum tu spes secreta fuisisti.  
 Illi sperabant in bonitate tua.  
 Et quoties illud facièbant rebus in arctis,  
 Hoc tuus excellens expediebat amor.  
 Ad te clamabant: et salui protinus, vno  
 Eripiebantur gratis, amore tuo.  
 In te fidebant secreta mente. nec illi  
 Confundebantur spe vehemente sua.  
 Ast ego sum vermis factus. nec sum amplius illa  
 Egregia forma conspicendus homo.  
 Fabula ego sum hominum, & probrosa iniuria vulgi:  
 Contemnunt omnes, qui probrosa dura vident.  
 Et me subsannant mordacia labra retorquent:  
 Et capite hi nutant in mea fara suo.  
 Dicere nempe solent. Dominum suspexit. at ille  
 Hunc redimat, variis eripiátque malis.  
 Liberet ex magnis cruciatibus omnibus illum:  
 Hunc siquidem Dominus, (si benè fudit) amat.  
 Sed me nascentem dilectæ matris ab aluo  
 Casta, excepisti tu generose parens.

Quandò tenellus adhuc infans hæc vbera matris  
 Sugerem, & in cunis, lac cibus ille foret.  
 Ad matris mammas mihi tu spes certa fuisti:  
 Duxisti curam sollicitamque mei.  
 In te coniectus sum à partu (mi pater alme)  
 Et soli fidei creditus ipse tuæ.  
 Tu iam indè à materno vtero Deus es meus. ergò  
 Ne tu abeas à me. mœror acerbus adest.  
 Ne procul esse velis, quando hæc angustia dura  
 Instat. nullum habeo, qui mihi præstet opem.  
 Me tauri multi circumdant vndique. pingues  
 Me tauri cingunt obsidione graui.  
 Me super afflictum, vt leo qui discerpit acerbè  
 Prædam, & rugit. hiant ore rapace suo.  
 Ast ego sicut aqua effusus sum. dissociantur  
 Ossa mea, hæc & sunt membra soluta mihi.  
 Hoc in ventre meo medio, nunc igne liquenti  
 Cera, persimile est cor glaciale meum.  
 Omne meum robur patiens exaruit, instar  
 Testæ. deficiunt sanguine membra suo.  
 Lingua rigens, siccis hærescit faucibus. vrit  
 Me sitis, hac vita deficiente mihi.  
 Puluerem ad exiguum functorum munere vitæ  
 Ipse redigesti me. pater, alme Deus.  
 Me ista breui inerimet vehemens tribulatio. ni tu  
 Afflictum placida fronte, iuuare velis.  
 Heu nihil hîc hodie expecto, quàm denique terram:  
 In quam condantur corpus, & ossa mea.  
 Ah! sed & vt ceruam indagatam me vndique pressum  
 Circundant rabidi, fulmineique canes.  
 Vt leo, turba ferox, & praua. manûsque, pedêsque  
 Frangit. me figit pessima turba cruci.  
 Omnia me inspiciunt numerantem corporis ossa:  
 Et contemplantur. nec mea fata dolent.

Diuidit ista meam vestem furiosa caterua  
 Inter se. partes distribuitque suas.  
 Inde meum super indumentum sapius addit  
 Sortem. vt carnifices hoc rapit illa mihi.  
 Hoc in mercedem, & prædam auferit. neque trucidata  
 Et cum peruerfis annumerate cupit.  
 Tu Domine omnipotens. ne longius ergò moreris:  
 Hanc expectatam ne mihi differ opem.  
 Ne te subducas à me: cum sis mea virtus:  
 Festina vt vires, præsidiumque, feras.  
 Eripe tu à gladio, & dura, violentèque, morte  
 Hanc animam obsessam proditione truci.  
 Vnicam & ipse meam à canibus crudelibus illis  
 Libera. ego humana sum spoliatus ope.  
 Salua me ex ictu rabidi violente leonis.  
 Me veluti prædam vult lacerare suam.  
 Et confringe citò tu cornua læua ferarum  
 Quæ solum cornu fronte patente ferunt.  
 Ex his eripe. me expectant hoc triste cadaver:  
 Exaudi, & precibus cœpta secunda cadant.  
 Fratribus ipse tuæ altum maiestatis honorem  
 Exponam, & nomen commemorabo tuum.  
 In toto populi cœtu, turbæque frequenti  
 Imensas laudes percelebrabo tuas.  
 Qui colitis Dominum, & Dominum quicumque timetis:  
 Vos illi laudum cantica pulchra, date.  
 Illum magnifica. tolle illum laudibus omne.  
 Excellens semen, posteritasque Iacob.  
 Ipsum omne Israël semen reuerere. benignum  
 Regem illum, vt Dominum tu venerare tuum.  
 Non etenim spernit, non aduersatur egenum.  
 Quem miserè affligit, discruciatque dolor.  
 Nec vultum placidum, & clementem occultat ab illo:  
 Illi nec sese dissimulare potest.

Sed dum ad eum clamat, placidis tunc auribus audit:  
 Audit, & exaudit, fertque paratus opem.  
 Hic coram toto populo, celebrique corona  
 Te laudabo hymnis carminibusque meis.  
 Et mea vota tibi persoluum pectore puro  
 Coram illis, qui te (summe monarcha) timent.  
 Cœlestem comedent humiles in tempore panem:  
 Et saturabuntur conueniente cibo.  
 Non magis esurient. his maxima copia rerum  
 Affluet. hoc poterunt exaturare famem.  
 Panis hic est viuus, qui cœli venit ab arce:  
 Angelicus cibus est, quo satiatur homo.  
 Hæc est illa caro, quam enixa est virgo pudica,  
 Quæ passa est mortem, suppliciumque crucis.  
 Fœlices epulæ christi caro vina potentis:  
 Pro mundi vita quam crucis ara tulit.  
 Fœlices illi angelico qui pane fruuntur:  
 Laudabunt Dominum, qui datur esca viris.  
 Sub pane hic capitur, quem totus non capit orbis:  
 Quem cœli nequeunt claudere, sumit homo.  
 Inquirent humiles illum reuerenter. & illi  
 Viuent: perpetuam lætitiâque ferent.  
 Ad Dominum terræ fines, & climata mundi  
 Conuertentur. tum natio quæque colet.  
 Non erit & toto cognatio gentis in orbe  
 Quæ non hunc metuar, laudet, adoret, amet.  
 Gentium enim regnum, & populorum tota corona  
 Augusti Domini prædominantis erit.  
 Ille monarcha Deus dititione tenebit in illis  
 Imperij triplicis sceptrâ verenda sui.  
 Omnes & terræ locupletes pectore mundo  
 Hunc comedent, qui se præbet in orbe cibum.  
 Hunc venerabuntur. coram omnipotente monarcha  
 Flectent cum summa religionè genu.

Huncque

Huncque colent omnes mortales, atque sepulti  
 Christi Euangelio, colloquioque Dei.  
 Aut anima illorum non viuet. nam Deus ille  
 Pro illis, hæc vitæ munera grata dedit.  
 Seruiet hoc illi semen, laudemque supremam  
 Magnifico Domino tempus in omne canet.  
 Posteritas veniet, posthac venientque nepotes:  
 Nascentur soboles, progeniesque, Deo.  
 Huius iustitiam populo, gentique futuræ  
 Dicent, & Domini facta stupenda canent.  
 Narrabunt genti quam rex Deus illè creabit:  
 Quam fuerit clemens, propitiûsque, Deus.  
 Qui bonitate sua erga me fuit vsus. ab illis  
 Tam grauibus cum me liberat illè malis.

PSALMVS XXXIII.

Dominus regit me, &amp; nihil mihi deerit.

TITVLVS.

David Carmen.

ARGVMENTVM.

*Cantat immensa Dei beneficia, sub pastoris ouium  
 gregem fideliter pascentis similitudine.*

**O**mnipotens Dominus, moderator totius orbis:  
 Rex regum, humanum qui regit omne gentis.  
 Magnificè pascit me. hinc est, vt nullius vnquam  
 Indigeam. plena dat bona cuncta manu.  
 In speciosa ægrum me pascua collocat, & me  
 Mœstum ad tranquillas ducit amanter aquas.  
 Infirmam hanc animam reficit. me dirigit vltro  
 In rectum callem, iustitiæque viam.  
 Hoc illi placuit. sed propter amabile nomen:  
 Non propter meritum, seruitiumque meum.  
 Si ergò ad vallem obscuram vmbra mortalibus aberro:  
 Nil mali ego metuo (te Duce) summe Deus.

D

Tu deus es mecum. demum tua virga, pedúmque  
 Hic mihi solamen, lætitiámque ferunt.  
 Deliciis multis mensam mihi lætus adornas.  
 Hoc cernunt hostes, inuidiámque dolent.  
 Fragranti vnguento caput imbuis, & bonus implex,  
 Hunc calicem effuse, magnificéque meum.  
 Hunc mihi largiris. me proius inebriat ille.  
 Hoc tuus vnus amor perficit, atque iubet.  
 Me ergò tua insignis bonitas, pietásque benigna  
 Prosequitur: donec vita superstes erit.  
 Vt tuæ ego ipse domi regali (ò maxime Regum  
 Rex) habitem in longos, perpetuósque dies.

## PSALMVS XXIIII.

Domini est terra.

TITVLVS.

*Dauid carmen.*

## ARGVMENTVM.

*Deum omnium, Dominum esse canit. sed solos innocentes apud eum habitaturos. Venturum autem ad nos esse regem gloriæ.*

**T**erra est immensi Domini dominantis vbique:  
 Quicquid, & immenso continet illa sinu.  
 Est huius totus terrarum maximus orbis,  
 Et qui vrbes huius, cunctáque rura colunt.  
 Est orbis Dominus directus, & vtilis huius  
 Est vassalus homo, Regis imago Dei.  
 Fundauit terram supra mare firmiter. illi  
 Constituitque super flumina, sedis opus.  
 Fluminibus variis illam distinguit, & ornat:  
 Hanc ab aquis rapidis separat arte sua,  
 A facie terræ vultus distinguit aquarum.  
 Littoribúque vagis clauditur vnda fluens.

Ex nihilo, torum terrarum construit orbem.  
 In centro, pendet pondere terra suo.  
 Huncque globum terræ mortalibus ipse colendum,  
 Immotum excelsa pro bonitate dedit.  
 Regiam at illustrem & suprema palatia fecit  
 In cælo, & sancti montis in arce sibi.  
 Vt monumenta suæ summæ bonitatis adessent:  
 Mirandum egregiæ conficit artis opus.  
 Nos Deus ex limo fecisti, & corpore mentem  
 Claudis, & obscuro carcere clausa gemit.  
 Vt tua læta tamen suspiret gaudia: puris  
 Sensibus hanc ornas, & ratione regis.  
 Exilij post tot casus, suspiria tanta:  
 Post tantos gemitus, tristitiásque graues.  
 Quis celsum in montem Domini conscendat? & huius  
 In sancto exurgat, permaneátque loco?  
 Qui manibus puris, qui mundo corde. salutem  
 Et pietatis opem, iustitiámque facit.  
 Qui Dominum meditans, mentem non eleuat ad spes  
 Vanas: nec iurat fraude, dolóque malo.  
 Auferet à Domino ipso munificentiam. ab illo  
 Salvatore Deo, iustitiámque feret.  
 Hoc genus est hominum, qui quærunt corde fideli  
 Hunc tibi qui Deus est. (ò generose Iacob)  
 Illi participes exoptant esse bonórum,  
 Quæ tibi promisit nobilis ille Deus.  
 Cùm veniat Dominus victor, de morte triumphans:  
 Has vestras portas vos referate Duces.  
 Æternæ portæ pateant, rex magnus vt intret:  
 Quis rex, & princeps, magnus, & altus. hic est?  
 Ille potens, fortis Dominus, robustus, & ingens  
 Bellator Dominus, qui quatit agmen atrox.  
 Vos referate Duces. portas hoc tempore vestras:  
 Vectibus ablatis vos referate fores.

Aeternæ portæ pateant. rex magnus, vt intret.  
 Quis rex, & princeps magnus, & altus. hic est?  
 Hic exercitum Dominus rex magnus. & ille  
 Maiestate potens, conspicuûsque manet.  
 Militiæ cœlestis hic est. Deus vnus atrocem  
 Infernum, & mortem, cunctaque bella, domat.

PSALMVS XXV.

Ad te Domine leuavi animam meam.

TITVLVS

Davidis.

ARGVMENTVM.

*Communis Oratio, & confessio est.*

**A**D te, ô mi Domine, oppressam nunc eleuo mētem,  
 In te confido mi Deus alme parens.  
 Ne (precor) erubeam: mihi nec violentius hostes  
 Insultent: pressus dum mala tanta fero.  
 Non etenim cuncti qui fidunt (in clyte princeps)  
 In te. falluntur spe vehemente sua.  
 Sed pudefiunt vani isti, qui crimina vera  
 Abscondunt, regnum despiciuntque meum.  
 Fac noscam ipse vias quibus itur (mi Deus) ad te.  
 Et quæ sit legum semita recta, doce.  
 Induc, tūque doce hæc tua me verissima verba:  
 Nam Deus es clemens, & mea certa salus.  
 Omni tempore ego in te spero. tu pietatis  
 Et bonitatis (ô Rex) sis memor ipse tuæ.  
 Lenis ab æterno tu princeps vtēris illis:  
 Assiduēque tuis tu pius esse soles.  
 At scelerum, ac delictorum, casusque iuuentæ  
 In mala consumptæ, ne memor esse velis.  
 Vt tua deposcit clementia, mēnsque benigna,  
 O Domine omnipotens ipse memento meū.  
 Pro bonitate tua nec tracta dulciter. ipsa

Tu qui natura rex pius esse cupis.  
 Est bonus, atque æquus Dominus Deus. ergò reducit  
 In viam hic errantes per scopulosa loca.  
 Per salebras, vitæ anfractus, & inhospita saxa:  
 Per Scyllam, & Syrtes, atque charibdis aquas.  
 Et peccatores, quo pacto viuere possint  
 Erudit. atque bonâ cum ratione docet.  
 Hic humiles ducit. comes illis fidus adhæret:  
 Vt cum iustitia, iudiciòque, decet.  
 Efficit, vt vitam instituant ex ordine recto:  
 Et feruent leges, quas ratione dedit.  
 Ille viam rectam, & facilem bonitate suprema  
 Edocet afflictos, qui graue vulnus habent.  
 Sunt omnes Domini rationes, gratia sancta:  
 Atque fides, illis qui reuerentur eum.  
 Illis qui testamentum, fœdusque fidele  
 Illius seruant religione sua.  
 Cùm tibi sit proprium misereri, & parcere semper  
 O Domine, ô pie rex, & pietatis amor.  
 Propter dulce tuum nomen (Deus optime) tu sis  
 Peccato clemens, propitiûsque, meo.  
 Hoc etenim magnū est. hoc tam graue pondus. vt Ætna  
 Mentem mole sua præcipitante ferit.  
 Fœlix qui Dominum timet. illum dirigit, vt sit  
 Charus ei. & vitæ munera grata docet.  
 Et fœlix anima illius, multumque beata  
 Optatis gaudet, perfruiturque bonis.  
 Huius posteritas hæredis iure, tenebit  
 Terram: quam patres obtinuere sibi.  
 Secretum, fœdusque suum Deus edocet illos,  
 Qui ipsum perfecto cordis amore timent.  
 Ad Dominum æternum qui dirigit omnia nutu.  
 Sunt intenti oculi nocte, diēque mei.  
 Namque pedes captos nunc explicat ille doloso



E reti vt semper tutius ire queant.  
 Maxime rerum opifex placido conuertere vultu  
 Ad me. tu clemens & miserere mei,  
 A cunctis desertus ego, varióque dolore  
 Afflictus. dulci sum spoliatus ope.  
 Mœsta angustia, & ægra mei suspiria cordis  
 Crescunt, angores parturiuntque suos.  
 Ex multis illis læuis angoribus ergò  
 Me educ. pœnarum nam fati ipse dedi.  
 Contemplare grauem ærumnam, durumque laborem;  
 Aufer peccati crimen, & omne scelus.  
 Cerne feros hostes: quoniam sunt vndique multi:  
 Me scelerato odio cum feritate premunt.  
 Afflictam hanc animam custodi. me eripe pressum:  
 Protege me in duris, assiduisque malis.  
 Ah perago nemus, & syluas, montesque. sed hostis  
 Me sequitur rabida prodicione sua.  
 Me sequitur. finemque, modumque furoris atrocis  
 Non facit, vt captum me iugulare queat.  
 Proh dolor horribiles cruciatus rider. & ægræ  
 Mille animæ casses, insidiâsque parat  
 Exul agor. placidis patriæ de finibus ipse  
 Eiicior. pulsus protege iuste Deus.  
 Sed ne (quæso) Deus, pudeam. spes mea tota  
 In te fixa manet. sis mea tuta salus.  
 Integritas, & ius æquum, & clementia, seruent  
 Me. in te spem figo, cõstituóque, meam.  
 Omnia nunc abs te expecto, ex te pendeo totus:  
 Aduentum expecto, sapius ipse ruum.  
 Illum sollicitè præstolor. ne mihi desis.  
 Nec me vnum serues ô bonitatis amor.  
 Israelcm tu redime ex angoribus eius  
 Omnibus. ô clemens, atque benigne Deus

## Iudica me domine.

TITVLVS

Davidis.

ARGVMENTVM.

*Innocentia ex fide confitetur Domino: & ne pereat  
 aut amittatur, orat.*

**O** Domine omnipotens, caufarum æquissime iudex  
 Qui punis crimen, iustitiâque colis.  
 Esto meus vindex, & iustam vlciscere causam:  
 In vita. nullum me violasse puto.  
 Innocuè (supreme parens) hic ambulo. solum  
 Te, ô Domine appello. solus es ipse Deus.  
 In te spero Deus: nec conscius ipse vacillo.  
 Impius intendit crimina falsa mihi.  
 Infontis vitæ tu fac (precor) omne periculum.  
 Me proba, & explora iuste monacha Deus.  
 Igne meos renes, & cor nunc excoque. sensus,  
 Mentis & affectus dispice (quæso) meæ.  
 Namque ruæ seruo summum bonitatis honorem  
 Ante meos oculos, & tua iussa colo.  
 In fidei cultu quem habeo tibi, ego ambulo tutus.  
 Non ago cum vanis, hæretici (que) viris.  
 Et non ingredior meditans tua gesta decora.  
 Ad stupidos illos qui scelus omne patrant:  
 Ipse malignorum cœtum odi: nec locus vllus  
 Est mihi cum reprobis, sacrilegisque viris.  
 Inter eos minime sedeo. hos aduersor vbique:  
 Cum nulla certa viuere lege velint.  
 Cum omni mundicia, & vitæ candore nitenti  
 Abluo ego ipse meas ad tua sacra manus.  
 Sic accedo tuam (ô Domine) haud illorum ad aram.  
 Vt laudem enarrem vocis honore ruam.

Ut mirabilia exponam tua cuncta: tuasque  
 Claras virtutes, & decus omne tuum.  
 Diligo plus oculis, & vita. habitacula sanctæ  
 Præclaræque domus. (summe monarcha) tuæ.  
 Vnicè & ipsè locum iucundo diligo corde.  
 Hic vbi nunc tua (Rex) gloria vera manet.  
 Ne iungas animam cum peccatoribus illis:  
 Quamquam hic inter eos viuere cogor ego.  
 Nec vitam annumeres, cum istis crudelibus. atque  
 Exoptant cædes, atque cruoris opus.  
 Illorum in manibus facinus reperitur iniquum.  
 Est donis horum dextera plena manus.  
 Ast ego syncerè viuo, nullique repugnans.  
 Persisto in sola simplicitate mea.  
 Me redime, & tracta clementer. & eripe pressum  
 Hostis ab insidiis; & miserere mei.  
 Pes meus in recto constat. Dominum ergo fidelem  
 Laudabo in cunctis cœtibus, ore meo.

PSALMVS XXVII.

Dominus illuminatio mea.

TITVLVS

Davidis.

ARGVMENTVM.

*Experimentum fidei est, quæ imminente periculose.  
 Dei patrocinio solatur.*

**Q**Uò non turus eam? si cæcas vndique cerno  
 Hic tenebras. lux est valde corusca, Deus.  
 Est mea certa salus, Dominus: protectio fortis.  
 A quo nūc metuam? quis fera bella gerat?  
 A quonam trepidem? Dominus metuendus in armis  
 Est vitæ robur, præsidiumque meæ.  
 Contra me obsessum dum prodit turba maligna:  
 Gens inimica, furens: & meus hostis atrox.

Dentibus infrendens, totum vt me deuoret, ille  
 Corruit, atque meos concidit ante pedes.  
 Vndique contra me dum bellica castra locantur:  
 Et figuntur humi. non metus vllus adest.  
 Dum insiliunt equitum turmæ, peditumque phalanges:  
 Et surgunt acies, & furibunda cohors.  
 Dum committuntur contra me prælia: tunc sum  
 Maximè in hac pugna tutus ab hoste meo.  
 Vnum apud excelsum Dominū ambio. quæro lubèrer.  
 Vnum vt ego viuam semper in æde Dei.  
 Vtque domi Domini, vitæ fœlicis in annos  
 Æternos, habitem, suspiciamque Deum.  
 Vt videam Domini gratum, placidumque decorem:  
 Et mirer, quàm sit regia pulchra Dei.  
 Et mirer, templum illius studiosus, amœna  
 Cuncta loca, has regni delitiasque sui.  
 Et cellam illius perlustrem. rotus inhærens  
 Diuinis rebus, quas prober vnus amor.  
 Temporis aduersi in rebus vitæque periclis.  
 Me abscondit, latebris occultitque suis.  
 Me Deus ille sui tentorij in intima tutò  
 Abstrusit: ne quis posset obeffe mihi.  
 In celsam petram me sustulit. & super hostes  
 Impavidum euexit rupis in arce, caput.  
 Me circumdederant. vt ego oppugnarer ab illis:  
 Sed superabo illos auxiliante Deo.  
 Ergò sacrificio Domini deuotus in æde  
 Sacrum. illi grates quo reuerenter ago.  
 Et canto, & psallo Domino. & conscribo supremas  
 Ipsi in laudes: carmen & omne decus.  
 Ex humero suspensa chelys resonabit in horas  
 Victricis palmæ clara trophæa suæ.  
 Illa triumphorum laudes, celebrè que coronas,  
 Quas dedit hic victor. pectinis arte, canet.

O Domine exaudi vocem, qua te inuoco supplex.  
 Et placido vultu tu miserere mei.  
 Auxiliare mihi & voris responde, querelis  
 Aures attentas nunc adhibere velis.  
 Cor subtriste meum Domino tibi sponte fatetur:  
 Et desiderium dicitur omne suum.  
 Te meus hic vultus (princeps generose) requirit:  
 Vultque fauoris opes conciliare tui.  
 Sum expertus numen sanctum, & pietatis honores:  
 Me cæli hæredem cum cupis esse tui.  
 Ex animo horror ego hic alios: sibi (sponte fauorem  
 Propitium vt studeant conciliare tuum.  
 Ipse tuam faciem desidero (mi Deus) à me  
 Ne abscondas faciem, lux erit illa mihi,  
 Ne tanquam iratus, iusto pressusque dolore  
 Seruum auerferis, robur es omne meum.  
 Ne tu desere me, ne me deus (oro) relinques:  
 Saluator meus es, tu mea sola salus.  
 Me pater, & mater pupillum deseruerunt:  
 Sed Deus adiunget me bonitate sibi.  
 Suscipietque mei curam, me colliget orbem:  
 Et pater, & fidus tutor, & author erit.  
 Tu mihi rutam ostende viam, qua inceditur ad te,  
 O Domine, erranti dux & amice comes.  
 Semita & in recta tu duc me propter iniquos  
 Illos, insidias qui mihi fraude parant.  
 Ne desiderio, imperioque tyrannidis hostis  
 Me tradas, falsum construit omne scelus.  
 Insurrexerunt periuri audaciter in me  
 Testes, me faciunt proditione reum.  
 Voluitur omne scelus contra me, vt prorsus in omnem  
 Inuidiam, & vitæ dura pericla, vocent.  
 Auditis nugis inter tot fata dolorum,  
 Despondissem animum, sic ego tristis eram.

At me hoc solatur, post tot discrimina vitæ.  
 Post hoc exilium, militiamque grauem.  
 Quod sim certus ego, visurum me esse, beata  
 Viuentum in terra, mox bona queque Dei.  
 Hic vbi mors non est, neque vis vlla anxia morbi:  
 Nec dolor aspirat, nullaque damna manent.  
 Hic vbi semper adest requies, ingensque voluptas.  
 Hic vbi perpetuò vita beata viget.  
 Hic vbi lætitiæ sanctis è fonte perenni,  
 Numinis effundis tu generose parens.  
 Hæc est cœlestis regio, tua regia sancta:  
 Et paradus hic est, empyreusque locus.  
 Huc volitant animi, sanctæ mentesque piorum  
 Corporis è vinculis, carceribusque suis,  
 Idcirco in Dominum spera tu quisquis es, ille  
 Adiciet cordi, robur, opemque, tuo.  
 Corque tuum bene confirmabit: tu modò spera  
 In Dominum, tribuet gaudia plena tibi.

PSALMVS XXVIII.

Ad te Domine clamabo.

TITVLVS

Davidis.

ARGVMENTVM.

*Subitò & anxie Dominũ inuocat, vt se à fraudulentis  
 liberet, exauditur, ac gratias agit.*

**C**lamo ad te (ò Dñe omnipotès, meâ petra) precantẽ  
 Ne me auerferis (quæso) benigne parens.  
 Ne vel dissimules: quo fiam par ego cunctis  
 His qui descendunt in monumenta necis.  
 Supplicis exaudi vocem qui funditis ad te  
 Clamo, & qui toto pectore fundo preces.  
 Qui tuum ad hoc adytum sanctũ, & penetrabile decorum  
 Has attollo meas (tex venerande) manus.

Ne quæso tu inter reprobos, hominésque scelestos,  
 Me reputes. istis annumerésque viris.  
 Qui cum vicinis, sociisq̃ affantur amicè:  
 Sed meditantur atrox cordibus omne malum.  
 Da his pro flagitio sceleratæ mentis eorum:  
 Et pro nequitia quam cumulare volunt.  
 Vt deposcit opus manuum horum, da Deus illis.  
 Redde his, flagitio quod meruere suo.  
 Vt non aduertunt animum ratione iubente  
 Hoc ad opus Domini, quo datur omne bonum,  
 Vt non ad tanti artificis molem & decus ingens  
 Adiungunt sensus, ingeniúmque suum.  
 Sic illos perdat. sic destruat, vt sibi semper  
 Nullatenus consent impietate graui.  
 Perfoluo Domino grates: quoniam aure benigna  
 Vocem ex audiuit supplicis ille sui.  
 Omne meum robur Dominus, scutumque salutis.  
 Illi cor fidit. spes mea solus hic est.  
 Rebus in afflictis, vehementer pressus ab hoste  
 Sensi ab eo auxilium, quod mala dura leuat.  
 Hinc cor lætitia gestit, celebrátque monarcham  
 Carmen. in hoste truci læta trophæa dedit.  
 Est nostrum robur Dominus. robúrque salutis  
 Ille sui Christi: quo perit hostis atrox.  
 Ergò tuum salua populum, & bonitate paterna  
 Prosequere. & donis hunc Deus auge tuis.  
 Quem velut hæredem iustum tua vendicat vltro  
 Maiestas ingens, & tuus vnus amor.  
 Quem veluti iustis titulis, & iure bonorum.  
 Legitimum hæredem, participémque facis.  
 Vtque in perpetuum magis, ac magis, optime princeps  
 Pisce. & tu fer eos pastor amice Deus.

## Afferte Domino filij Dei.

TITVLVS.

David Carmen.

ARGVMENTVM.

*Potentes inuitat ad cultum vnius, atque omnipotentis  
 Dei. cuius virtutem, ac potentiam magnifice canit,  
 & adserit.*

**G**Loriam, & insignem virtutem vos date: rursus  
 Nunc date: vos Domino qui regit astra, duce  
 Nominis illius Domini dominantis honori.  
 Omnis virtutis vos adhibete decus.  
 Vos colite excelsi Domini super æthera sanctam  
 Hanc maiestatem. nam dominatur aquis.  
 Has solo iussu regit. hic Deus arbiter orbis,  
 Omnipotens, tonitrum nubibus arte parat.  
 Fulgur terrificum è cælo demittit, & ignes.  
 In terram ruptis nubibus ille iacit.  
 Imperat hic pelago Dominus, dominique supremi.  
 Est fortis iussus. nam citò mira facit.  
 Splendidus est iussus Domini. Dominúsque monarcha  
 Confringit iussu cunctipotente cedros.  
 Et certè Libani cedros, quas spectat Orontes:  
 Confringet Dominus voce potente sua.  
 Calcabit Libanum tauri salientis ad instar:  
 Huncque suo motu subsiliente premet.  
 Tanquam rhinoceros Sarion calcabit: & illum  
 Sede sua omnipotens eruet ille Deus.  
 Hic iussus Domini ignis flammam dissipat, atque  
 Fulmineis flammis spicula mixta vibrat.  
 Quid: iussus Domini desertum comouet ingens.  
 Deserti que cades commouet omne nemus.  
 Hic Domini iussus ceruas infirmat. vt illæ

Ante diem pariant præ vehemente metu.  
 Extirpat saltus, & densas arbore sylvas  
 Exiit. hic aufert arboribusque comas.  
 Quisque ergò in templo illius cum laude fatetur  
 Gloriam, & eximium, perpetuumque, decus.  
 Diluuium sedat Dominus, regnumque beatorum  
 Omnipotens Dominus rex sine fine tenet.  
 Ille suo sceptro se iungit ab ære cælum.  
 Abscidit è terris æquoris huius aquas.  
 Virtutem populo Dominus dat, & ille procellas  
 Lenit. in aduersis fortia corda facit.  
 Prosequiturque suum populum bonitate benigna:  
 Et pace, vt possit prosperitate frui.

PSALMVS XXX.

Exaltabo te Domine.

TITVLVS.

*David Carmen gratiarum actionis pro  
 fundatione Domus.*

ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio est, qua docetur piis omnia in tuto  
 fore apud Deum. adparet autem scriptam esse post ægri-  
 tudinem aliquam.*

**L** Audibus extollam te, ô mi Dñe, inlyte princeps.  
 Suspensum in centro qui regis omne solum.  
 Qui voluis cælum, & fatalia dirigis astra:  
 Æthera qui torques omnipotente manu.  
 Tu qui rex regum æternum immortalis olympi  
 Hoc regnum, excellens imperiumque tenes,  
 Qui tractas vastæ ingentes telluris habenas.  
 Et genus humanum cum ratione regis:  
 Qui vnum numen habes in triplice numine. tu me  
 Seruasti, quandò mors inopina premit.  
 Tu me erexisti: nec letis hostibus in me

Ansam insultandi, mens tua sancta dedit.  
 Ad te clamaui (Domine. & Deus ô meus) & me  
 ægrum sanasti tu medicante manu.  
 Ex orco in lucem reuocasti, tu bone custos,  
 Hanc animam, quam horror discruciatat atrox.  
 Ex morte in vitæ vsuram, me restituiti:  
 Quò minus in foueam præcipitarer ego.  
 Supremo Domino vos omnes psallite sancti  
 Eius ei laudum cantica grata date.  
 Vos memores huius meritorum reddite grates.  
 Illius & nomen commemorate sacrum.  
 Et sacrosanctæ huius maiestatis honores  
 Omnibus in terra concelebrate viris.  
 Nam cum momento nobis irascitur, ille  
 Nos vita donat gratis amore suo.  
 Gratia, & auxilio quod cunctis exhibet, huius  
 Fœlicis vitæ munera læta refert.  
 Id nostro merito nobis non accidit, illud  
 Diuinum immeritæ sit pietatis opus.  
 Hoc pignus per dulce Dei, Domini que fidele  
 Hæc Christi pietas, gratuiusque fauor.  
 Ira Dei breuis est, sed amor, pietasque benigna  
 Qua fouet ille suos tempus in omne manet.  
 Vespere diuertat fletus licet, artamen ingens  
 Gaudium ad auroram manè micante redit.  
 Illa iacentem animum exhilarat iucunda vouptas:  
 Cum sol exoritur, luxque, diætque venit.  
 Cum fulget roseis rubicunda aurora quadrigis:  
 Et croceo vultu lustrat vbique solum.  
 Et cum purpureis manibus, flauitque capillis  
 Igniferum cœli monstrat in orbe caput.  
 Vesperis aduersos casus, mœstumque dolorem  
 Prosperitate, noua letitiâque, tegit.  
 Cum demens equidem loquerer mihi alia verba

In suprema illa prosperitate mea.  
 Nil ego in aeternum patiar. vis nulla beatum  
 Me è regno expellet, deiicietque meo.  
 Ex animo votis foelicibus omnia cedent,  
 Ad libitumque, meis perfruar ipse bonis.  
 Hostibus euersis qui tot mihi danma dedere:  
 Prælia diffugient. paxque perennis erit.  
 Namque meo monti dederas (Deus optime) robur  
 Pro pietate, tua quam dat amoris opus.  
 Tu solidi, & celsi firmaras montis ad instar:  
 Fortunas omnes, diuitiasque meas.  
 Protinus vt faciem abscondebas valde serenam  
 Turbabar sensu, consilioque meo.  
 Hic (Domine alme Deus) clamabam funditus ad te:  
 Crebra meo Domino tunc tibi vota dabam.  
 Cum gemitu & lacrimis supplex ego corde precabar:  
 Abs te poscebam (mi venerande parens)  
 Si in præmaturam descendero perditionem:  
 Ecquis (dico) mei sanguinis vsus hic est?  
 Num supreme parens hominum, te sponre fatetur  
 Puluis? num laudem nunciat ille tuam?  
 Corpore mens exuta suo ceu carcere tristi  
 Nonne tuum nomen iustitiamque probat?  
 Nonne fidem pactumque tuum collaudat. & inquit,  
 Quam tu sis stabilis, pollicitique tenax?  
 Exaudi ergo Deus. tristes attende querelas:  
 O Domine inclyte rex tu miserere mei.  
 O Domine omnipotens fer opem mihi longius, agrum  
 Nec morbo affligi, comminuique, sine.  
 Tunc tu vertisti planctum, luctumque dolores  
 In risum, & plausus, latitiaeque chorum.  
 Feralem saccum soluisti, latitiaeque  
 Cinxisti tu me qui modò mæstus eram.  
 Propterea assidue tua gloria summa canetur.

Dicitur

Dicitur cunctis hic tuus altus honos.  
 Nec tua laus ingens, & clara, tacebitur. illud  
 Perpetuò nomen concelebrabo tuum.  
 O Domine alme Deus, meus incolumè hanc tibi vitam  
 Accepram referam, donec hic orbis erit.

PSALMVS XXXI.

In te Domine speraui.

TITVLVS.

David Carmen adhortatorium.

ARGVMENTVM.

Oratio est in magna tribulatione.

Exauditio, &amp; gratiarum actio.

**I**N te spero Deus, mea tu fiducia, ne me  
 Tu sine confundi spe vehemente mea.  
 Ne precor aeternum pudeam. ast eripe pressum  
 Hanc per iustitiam quam pietate leuas.  
 Præbe aurè facile. & propera erue me vndique cinctum  
 Esto tu fortis, firmaque petra mihi.  
 Et munita Domus mihi, tu sis, fortèque castrum:  
 Hic vbi me serues, perpetuòque regas.  
 Namque mea es rupes, sublimis & inuia turtis:  
 Arx mea in aduersis rebus, & vna salus.  
 Vnicus ergò mihi Dux sis & dulcis alumnus:  
 Propter dulce tuum nomen (amice Deus)  
 Me educ de reti quod iniqua fraude, doloque  
 Abscondere mihi, captus vt ipse forem.  
 Propugnator enim meus es, qui prælia vincis.  
 Nil sine te possum cinctus ab hoste fero.  
 Me hoc in deserto Mahon, Saul obsidet, & me  
 Persequitur, subito me iugulare parans.  
 Spiritum ego ipse meum qui te suspirat in horas  
 Curæ commendo (mihi Deus alme) tuæ.  
 Trado tuis manibus, tu suscipe fronte serena:

E

Et regni confergaudia plena tui.  
 Corporets animam vinclis, & carcere cæco  
 Inclusam. ille mihi dat tuus vnus amor.  
 Offero nunc illam immenso pietatis amori.  
 Hanc seruet, virtus, & pietatis honos.  
 O Domine, ô verax Deus & spes certa salutis:  
 Tu redime illustri me pietate tua.  
 Æquus es, & iustus, constans, & valde fidelis,  
 Omnibus in pactis, pollicitisque tuis.  
 Hos illos odi qui vanis rebus inhærent.  
 Et qui harum funem spe fugiente, tenent.  
 Sed spero in te, ô mi Domine, ô spes vnica mundi.  
 Gestiam, & exultem pro bonitate tua.  
 Nam atrocem ærumnam tristes casusque videbis  
 Cùm agnosces animæ fata seuera meæ.  
 Cùm sentire voles vt mens mea tristis, & exul  
 Fert grauis impatiens anxietatis onus.  
 In fauces hostis, rabidæque tyrannidis huius,  
 Non dedes animam quæ tua semper erit.  
 Sed tu constitues in latum, Duxque comésque  
 Infirmos gressu non titubante pedes.  
 Tu miserere mei Domine, & me respice vultu  
 Læto, nam ærumnis omnibus ipse premor.  
 Præ mœrore nouo lachrymans caligat ocellus:  
 Et mea mens quæ te languida tota cupit.  
 Quid? præ tristitia venter corroditur. atra  
 Conficitur macie, supplicioque truci.  
 In tristi luctu consumitur anxia vita.  
 Atas continuo plena dolore fugit.  
 Et taciti in lachrymis liquidis, & tristibus anni  
 Consumuntur ego totus vbique fluo.  
 In fato vehemente meo ærumnaque frequenti  
 Hoc fractum robur decedit omne meum.  
 Languida tabescunt intra me funditus ossa:

Ossibus exuctis nulla medulla manet.  
 Omnibus ipse meis inimicis sorte sinistra  
 Factus sum opprobrium, prodigiũque gratie.  
 Vicinis, notisque meis, sum ingens pauor. à me  
 Præ horrore aufugiunt, qui mea fata vident.  
 Illi, cum quibus est arctum mihi fœdus amoris  
 Destituunt solum, diffugiuntque foris.  
 Effluxi ex animo auerso, duroque meorum:  
 Obliti sunt me corde feroce suo.  
 Illis factus ego, sum è corde obliuio, tamquam  
 Mortuus, extinctum quem breuis vna capit:  
 Cuius cum vita collapsum nomen abiuit:  
 Cuius nullus honos, fama nec vlla manet.  
 Sicut vas figuli contractum factus ego sum:  
 Nam turbæ audiui probra minasque graues.  
 Probra inquam audiui mordacis atrociam tuæ  
 Circum me cinctæ, quæ mihi scomma iacit.  
 Nunc aduersum me coeunt violenter in vnum:  
 In mea conspirant fata, necemque meam.  
 Vnamini voto conspirant ad capiendum  
 Hanc animam: occulta fraude, doloque, meam.  
 In te confido (Domine) in te spero. benignum  
 Te suspiro Deum, qui mea fata leuas.  
 Dico, Deus meus es, Dominus rex vnicus es tu:  
 In victrice tua sunt mea fata manu.  
 Me è violente manu: & rabidis ex faucibus hostis  
 Qui me persequitur, solue benignè Deus.  
 Libera & eripe tu me (quæso) tyrannide dura.  
 Horum qui mihi nunc maxima damna volunt.  
 In fontem qui me passu volitante sequuntur:  
 Vt iam me oppugnant prodicione sua.  
 Seruo ostende tuum vultum, quem cernere semper  
 Percupit angelici turba beata chori.  
 Me bonitate tua salua, Domine inclyte rector.

Non confundar ego seruulus ipse tuus.  
 Nam in rebus penitus fractis nunc te inuoco <sup>supplex</sup>  
 Sed confundatur prorsus iniqua cohors.  
 Sopiti in foueam reprobis, mortisque sepulchro  
 Inclusi sileant ore loquace suo.  
 Et comescantur labia hæc mendacia. quæ nunc  
 Aduersus iustum verba dolosa ferunt.  
 Quæ aduersus iustum astutè, multumque superbè,  
 Contemptumque suum turpe loquuntur opus.  
 Quanta (Deus) bona sunt, quæ illustri sponte reponit  
 His qui te patrem, te Dominumque, timent?  
 Quæ coram gnatis hominum sperantibus in te,  
 Tu facis? abscondis tutor alumnus eos.  
 Omnibus à reprobis elatis tu tegis illos.  
 Vultus in hoc aditum, vel penetrabile tui.  
 Illos occultas recti castrensis in umbra  
 Linguarum à viru litigioque graui.  
 Sint Domino grates munita ex vrbe, frequenter  
 Admiranda in me pro bonitate sua.  
 Desperata etenim mea mens mihi dixerat ægro  
 In mœrore suo, qui violentus erat.  
 A placidis oculis, quibus hîc nos conspicias omnes,  
 Sum proiectus ego (rex venerande Deus)  
 Tu tamen hanc vocem clamantis supplicis ad te  
 Exaudiuisti, nec mora lenta fuit.  
 Omnes idcirco sancti reuerenter amate  
 Vos Dominum, qui vos (vt pater vnus) amat.  
 Nam Dominus fidos, iucunda fronte tuerur:  
 Cùm seruent leges, obsequiumque ferant.  
 Reddit abundè illis factum facientibus, illud  
 Quod multo factu commeruere suo.  
 Vos estote animo forti, qui fiditis illi:  
 Qui hunc expectatis, suspicitisque Deum.  
 Cor vestrum obfirmet, vobis patientibus addat

Virtutem, & pacem, lætitiámque suam.  
 PSALMVS XXXII.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

TITVLVS.

Dauidis admonitio.

ARGVMENTVM.

*Latam rem esse à peccato leuari. & contrà. miseram, pernicacem habere cōscientiam; docet denique quo pacto remittantur peccata.*

○ Fœlicem, qui à noxa, culpâque, leuatur:  
 Cuius peccatum dissimulatur atrox.  
 Ad cuius vitium Deus vltro conuiuet, vllò  
 Non hominis merito, sed bonitate sua.  
 Est illud bonitate Dei miserentis, & ingens  
 Obliuiscētis crimen, & omne scelus.  
 O fœlicem hominē, Dominò que, Deòque propinquū:  
 O plenum summa prosperitate virum.  
 Cui nullum vitium Dominus Rex valde benignus,  
 Imputat ad culpam, suppliciumque ferox.  
 In cuius veraci animo nil fraude maligna  
 Cælatur, nullum contegiturque scelus.  
 Namque ego peccatum muta dum voce tacerem:  
 Nec scelus exprimerem, detegeremque meum.  
 Ossa mea hæc languescebant cum quottidiano  
 Planctu. orbatus eram viribus ipse meis.  
 Namque grauescebat super ægrum me tua dextra.  
 Nocte, dique mihi non erat vlla quies.  
 Urgebant diræ, tormentaque mille parabant:  
 Seu nox ingratum conderet atra diem.  
 Seu tenebris pulsus hac luce retexeret orbem  
 Auroræ hic roseus, purpureusque dies.  
 Totus in astiuam succus meus ariditatem



Verrebatatur. ego sic moribundus eram.  
 Siccior æger eram mediæ quàm messis aristæ.  
 Conscia mens factò spémque, merùmque dabat.  
 Tortores rabidos gestabam in pectore, testes:  
 Mille dabat timidum monstra cruenta scelus.  
 Hinc larvæ & furivæ & fremitu pertistis Erinnyes  
 Terroris pariunt nocte, dièque faces.  
 Quantum tormentum sceleris sentire flagella.  
 Quæ ex pœna, iudex irrogat ille Deus?  
 Ast ubi peccatum notum tibi (Rex bone) feci.  
 Nec texti facinus flagitiùmque meum.  
 Cùm dixi, me ipsum accusando: crimen iniquum  
 Confiteor Domino, qui scelus omne leuat,  
 Ipse remisisti mihi tu bonitate benigna,  
 Crimen peccati protinus omne meum.  
 O suprema Dei in nos gratia, crimina nosse:  
 Illius in nostro crimine, crescit honos,  
 Et nostras culpas illius gratia vincit.  
 Et nostris bonitas est superata malis.  
 Omnibus in vitiis, bonitatis gloria maior.  
 Tristibus in tenebris fulget amandus amor.  
 Non se demonstrat Dominum, sed denique patrem,  
 Nos gnatos fecit gratia, culpa reos.  
 Idcirco ad te oret: quisquis pius & sibi sanctus  
 Est, id quam primùm senserit acre malum.  
 Quàm primùm mœrens, & languens senserit illud  
 Angoris pondus, tristitiàmque grauem.  
 Nec iam tangeret eum immanis discursus aquarum.  
 Nec torrens rapidus, nec grauis vnda premet,  
 Ille tuæ in portum eximivæ pietatis, ab omni  
 Appellens scopulo, te duce saluus erit.  
 Ex hac ærumna quæ me vndique cinxerat ægrum:  
 Es (Domine) auxilium, perfugiùmque meum,  
 Es mihi tu latebræ, & defensio certa, perennis:

O mea laus, & honos, ô mea sola salus:  
 Et tu circumdas me nunc ingente salutis  
 Lætitiæ: quam quis lapsus ab hoste, canit:  
 Quæ gaudere solet vehementer, ab hoste reuersus  
 Cùm postliminio tecta relicta videt.  
 Cùm postliminio vxorem, gnatosque, reuifit:  
 Vt possit patriæ dulcis amore frui.  
 O fauor, ô bonitas, ô gratia, ô fœdus amoris:  
 Quo nos prosequitur maximus ille Deus.  
 Erudiam (inquis) te ostendam tibi, quò sit cundum:  
 Ostendamque tibi, qua gradiare via.  
 Attentos oculos ego figam prouidus in te.  
 Vt tu non erres: dux tibi fidus ero:  
 Ne similes malis, & equis estote, rebelles.  
 Effrenésque, sibi nil rationis habent.  
 Et non est illis vllum intellectus acumen.  
 Nam quocumque volet cæca libido, ruunt.  
 Quorum os, ni prudens fessor modere lupatis.  
 Et frænis, morem non tibi rite gerunt.  
 Impii, & illius scelerati sunt mala multa.  
 Hunc Domino infidum dura flagella manent,  
 Huius sunt plagæ multæ, multique dolores:  
 Hic pœnas tristes, perpetuásque, dabit.  
 Verùm qui Domino fidit: bonitate benigna  
 Cingetur, palmæ ne sit in hoste locus.  
 In Domino iusti plenissima gaudia ferte.  
 Est vobis clemens, optimus ille Deus.  
 Exultate viri iusti, vos ædite signa  
 Lætitiæ. Dominum concelebrate Deum.  
 Vos qui recto corde estis, gaudete, patronus  
 Defensorque, Deus, gloria vestra manet.

Exultate iusti in Domino.

ARGVMENTVM.

*Hymnus est, quo Dei omnipotentia canitur.*

**I**N Domino iusti vos exultate, suprema  
Et cum lætitia vos celebrate Deum.  
Nam rectis ornamento est, dum pectore puro  
Collaudant. hæc laus est bene grata Deo.  
Collaudate igitur Dominum. illi psallite blanda,  
Et dulci cithara, dulcisonaque cheli.  
Psallite vos illi decachordo, suaviter: illi  
Vos cantate nouo carmine (que)so viri.  
Organa cum clangore incendite musica. nam sunt  
Æqua hæc que loquitur rex Deus ille potens.  
Est sacrosanctum verbum, iussusque fidelis  
Æterni Domini qui rata pacta facit.  
Omne opus illius firmum est. hic diligit æquum,  
Et iustum, cunctis præmia digna refert.  
Terra ingens, plena est Domini bonitate suprema:  
Et quicquid terre machina tota tenet.  
Quid? Domini verbo facti sunt vndique cæli:  
Atque horum varius, purpureusque decor.  
Omnis militia, & rutilans ornatus eorum  
Constat: & excellens ambitus orbis honos.  
Oris hic afflatu solem, lunamque, vicissim  
Fecit, militię stelliferęque globos.  
In tumulum Dominus dispersas colligit vndas:  
Quas velut in certo vase coartat humi.  
Rurtus & in celsa penetrabilia condit abyssi:  
Has in thesauris congregat ille suis.  
Omnis terra Deum metuat. mirentur & illum  
Omnes, qui mundum, cunctaque regna colunt.  
Namq; hic quãdò iubet. res sunt, cum præcipit: hę res

Constant, in formas tunc abeuntque suas.  
Consilium Dominus populorum dissipat. illi  
Quę volunt animis, irrita solus agit.  
Consilium autem eius, totum perdurat in æuum,  
Et mutare illud natio nulla potest.  
Nobilis illius cordis meditatio constans  
De sobole in sobolem, progeniemque, manet.  
O ter fœlicem gentem, semperque beatam:  
Quę protectorem iactat habere Deum.  
Cuius Rex Dominus, Deus est. qui temperat orbis  
Cælorum, & terras, & mare, sponte regit.  
Et fœlix populus, quem maximus ille Monarcha  
Hæredem elegit, constituitque sibi.  
Prospicit è cælo Deus: vt consideret omnes  
Hos hominum gnatos posteritatis Adam.  
De firmo solio omnes cõtemplatatur acutè,  
Qui terrarum habitant totius orbis opus.  
Solut enim finxit cunctorum corda virosum:  
Omne opus illorum noscit ab arce sua.  
Abstrusa illorum circumspicit omnia facta:  
Intima nam cordis viscera nuda videt.  
Quęque gerant homines, & quicquid denique voluāt,  
Cernit verus sol totius Orbis, hic est.  
Innumerabilis, atque potens exercitus omnis  
Non seruat regem, cum ferus hostis adest.  
Robore nec magno quantumuis strenuus heros.  
Pręualidusque gigas dura pericla fugit.  
Fallit eques saluando suis confusus in armis:  
Res fallax, velox, aut animosus, equus.  
Res fallax, vt det semper, tribuatque salutem  
Sessori armato, præcipitante fuga.  
Nullus enim multis furis equitatus atrocis  
Eripitur. non hinc palma, salutisque venit.  
Illud sola potest verè fiducia constans

In Dominum, illætos, incolumésque, facit.  
 Ecce autem vigiles oculi dominantis vbique  
 Intendunt in eos qui reuerentur eum.  
 Et qui confidunt huius bonitatis amoris:  
 Vt conferuet eos à violente nece.  
 Illorum vt prellas animas à peste furenti  
 Liberet. optatam détque salutis opem.  
 Et famis extremæ ieiunio tempore victum  
 Præstet eis larga, munificaque manu.  
 Nostra anima ergò bono Domino nitatur. ab illo  
 Pendeat. est nostrum robur, & vna salus.  
 Est propugnator noster, clypeúsque salutis:  
 Nostrum cor in eo, gaudia vera dabit.  
 Dùm modo in illius nomen super omnia sanctum  
 Fixerimus mentem, spémque, fidémque, bonam.  
 Hic nobis adfit bonitas tua nobilis. in te  
 Vt speramus, ô rex, & benedicte Deus.

PSALMVS XXXIIII.

Benedicam Dominum in omni tempore.

TITVLVS.

*Dauid super immutatione oris coram Abimelech, à quo eiectus, aufugit.*

**L** Audabo æternum Dominum omni tempore vitæ:  
 Et laus eius erit semper in ore meo.  
 Vera in laude mei Domini se oblectat abundè  
 Mens mea, delicias hîc capit illa sibi.  
 Hoc nunc auscultent humiles, tristisque dolore  
 Deposito: in Domino gaudia cuncta ferant.  
 Imensum Dominum vos mecum magnificate:  
 Cùm sit magnificus, nos celebremus eum.  
 Nos simul illius nomen super astra vehamus:  
 Demus ei laudes, robur, & omne decus.  
 Namque ego consului Dominum, quandò anxius essem

Et mihi responsum motus amore, dedit.  
 Eripuit me extorrem ex omni ingente pauore:  
 Et me animo inuicto per mala quæque facit.  
 Qui se conuertunt ad eum, illustrantur: & horum  
 Optatis Dominus vota secunda, dabit.  
 Spe constante sua minimè falluntur ab illo,  
 Quæsitum auxilium, præfidiúmque ferent.  
 Quicumque afflictus Dominum corde inuocat. illum  
 Exaudit clemens, aure fauente sua.  
 Eripit ex cunctis ærumnis: atque dolore:  
 Et confirmat eum, fortis vt esse queat.  
 Circum illos qui ipsum metuunt: fortissima castra  
 Angelus hic Domini, figit in arce sua.  
 Illos (vt custos commissus) seruat. ab hoste  
 Eripit. ereptum dúxque comésque regit.  
 Omnipotens Dominus quàm sit bonus, atque suauis:  
 Delibate omnes, atque videte, precor.  
 Quisquis ei fidit, fœlix est. nam Deus illi  
 Æternæ vitæ munera læta dabit.  
 Vos colite ex animo Dominum reuerenter. amici  
 Sancti huius. vestrum sponte timete Deum.  
 Nam nil ritè deest verè reuerentibus illum:  
 Illis ex voto prospera quæque cadunt.  
 Vt leo prædæ auidus, violenti rebus egebunt:  
 Partis diuitiis esuriéntque suis.  
 Nil verò deerit Dominum metuentibus vltro.  
 O gnati dulces (quæso) venite mei.  
 Auscultate mihi, Dominique, Dei que timorem  
 Blanda vos omnes voce docebo mea.  
 Si quis adest vitæ cupidus: vitæque beatæ  
 Ducere vult, nulli detrahat ore suo.  
 Et nigrum linguæ virus refrænet iniquæ:  
 Et nullum rixis, opprobriisque, premar.  
 Et ne dolum, & fraudè occultam labra bláda loquátur:

Et nullum ledant, decipiantque virum,  
 Omne malum fugiat, vitioque recedat ab omni  
 In vita faciat pretereunte, bonum.  
 Virtutem ædificet, delictum destruat omne:  
 Atque lubens faciat iussa benigna Dei.  
 Hic studeat paci, & pacem sectetur amicam;  
 Sit cunctis lenis, pacificusque viris.  
 Sunt intenti oculi Domini dominantis in orbe  
 Ad iustos omnes, innocuosque viros.  
 Ad voces, fusasque preces clamoris eorum,  
 Aures arrectas ille benignus habet.  
 Ast in eos qui crimen agunt ceruice rebeli,  
 Est huius merito triste supercilium,  
 Vt iuste excindat de terra nomen eorum  
 Et genus infælix, terrificumque malum.  
 Dum iusti clamant: exaudit, & eripit illos  
 Omnibus ærumnis mens studiosa Dei.  
 Rex Dominus supremus adest his omnibus: vno  
 Qui sunt contrito corde, scelusque gemunt.  
 Saluat eos qui sunt deiecto animo, erigit illos:  
 Illis solamen, lætitiãque refert.  
 Iustorum mala multa, sed ex his omnibus illos  
 Liberat: & summo soluit amore, Deus.  
 Omnia sic ossa illorum custodit: vt vnum  
 Ex his ne frangi, comminuique sinat.  
 Horum animę vires nulla cruce corporis huius  
 Dissolui possunt auxiliante Deo.  
 Spes constans, fortis que fides, dilectio Christi  
 Nullum tormentum, suppliciumque timer,  
 Impietas reprobos perimit, mors flebilis horum  
 Est misera, æterna est crux metuenda sibi.  
 Extirpantur enim qui iustum odere fidelem:  
 Fraternalis hoc odium plurima damna parit.  
 Serui animam cinctam variis, mediisque periclis

Liberat, auxilio preueniente Deus.  
 Omnes qui fidunt illi, non eiiciuntur.  
 Nec quemquam illorum morte perire sinet.

PSALMVS XXXV.

Iudica Domine nocentes.

TITVLVS

Davidis.

ARGVMENTVM.

*Inuocatio est in graui oppressione inimicorũ, qui nos  
 benè de ipsis meritos persequuntur.*

**O** Domine almè, meam iustam tu suscipe litem:  
 Vindictam pro me fac modò iuste Deus.  
 Arma cape, & pugna subitò (Deus inclyte) contra  
 Hos qui me oppugnant, & feritate premunt.  
 Ipse faueto mihi, vt miles generosus in armis:  
 Vt me defendam te duce, summe parens.  
 Corripe tu scutum, tu corripe victor & hastam:  
 Surge tu ad auxilium, presidiumque meum.  
 Mucronem stringe, ex aduerso sedulus hostes  
 Virge victrici belligerante manu.  
 Hostibus armatum te (mi Deus) obice, cinctam  
 Interclude viam, ne properare queant.  
 Interclude viam, ne possint ocyus illi  
 Me assequi, & oppresso ne mihi damna ferant.  
 Afflita tu dic animę, quæ ardentius optat  
 Te, adsum ego cunctipotens, hæc tua sola salus.  
 Fac precor, vt mea mente te nunc sibi credat adesse,  
 Secura, auxilio nil metuatque tuo.  
 Confundantur, & hi pudefiant qui sine causa  
 Instant tristi animæ fraude, doloque malo.  
 Qui mihi triste malum scelerata mente volutant:  
 Vertant cum infami terga pudore sua.  
 Expositi vento fiant modò pulueris instar:

Latet eos vindex angelus ille Dei.  
 Sit via, qua fugient, obscura, & lubrica passim:  
 Ne facilem possint accelerare fugam.  
 Angelus iratus Domini mox vrgeat illos.  
 A tergo, impulsu continuoque, premat.  
 Namque mihi innocuo absconderunt perniciosum  
 Rete suum, pedicas explicuere truces.  
 Innocua, afflictæque animæ fodere profundum  
 Fraude lacum in damnum, perniciemque meam.  
 His de improviso veniat damnosa ruina:  
 Et strepitus vehemens, anxietasque grauis.  
 Explicito reti capientur, quod mihi furtim  
 Abdiderant in eam perniciemque, ruant.  
 Concidat ista cohors præceps violenter in illud  
 Exitium, occulta quod mihi fraude parat.  
 Sed nunc in Domino mea mens lætetur abunde:  
 Inque salute sua gaudia læta ferat.  
 Intima cuncta mei gaudentis corporis ossa  
 Dicent. Quis tibi par est generose Deus?  
 Qui seruas humilem, nè fortior opprimat illum:  
 Ne prosternat eum viribus ille suis.  
 Qui eripis afflictum, atque inopem clementer ab illis,  
 Qui illum diripiunt, & spoliare parant.  
 Insurrexerunt scelerati, & profus iniqui  
 Contra me testes: qui mihi damna volunt.  
 Qui mihi quæ ignoro inscribunt: & crimine falso  
 Infontem me onerant, insimulantque malè.  
 Triste malum ratione boni mihi sæpè rependunt:  
 Et reddunt animæ tædia sola meæ.  
 Deseror à cunctis sociis, vt flebilis exul:  
 Sum solus, soli gaudia nulla ferunt.  
 Vt faciant inopem miserum, conantur & orbent  
 Me vita, totis viribus illud agunt.  
 Ægrius ast ipsi si quid fortassis haberent.

Hirsutus saccus tunc mea vestis erat.  
 Affligebam animam longas ieiunus in horas:  
 Pro illis, vt pro me, corde precabar ego.  
 Tunc incedebam velut is qui luget ademptum:  
 Et socium, aut fratrem, quos vehementer amat.  
 Me ipsum incuruabam velut atro in funere matris.  
 Tristis ego illorum tristia fata gemens.  
 Sed cum peius ego me habeo, lætantur, in vnum  
 Consilium coeunt sponte feroce sua.  
 Concurant claudi, & muti. studioque maligni  
 In me imprudentem, nil meritumque mali.  
 Nil ego sperabam, præter spem contigit illud:  
 Nil complectebam pectore tale meo.  
 Vestem illi scindunt, ex his non abstinet vllus.  
 A planctu querelo, tristitiæque graui.  
 Sed per hypocriseos laruam, fictamque figuram  
 Se cinere aspergunt, vt mea fata gemant,  
 Dentibus interea frendunt mordacibus in me:  
 Quando oculis nitidis inspicis ista Deus?  
 Restitue ægram animam à maledictis tristibus horum.  
 Illam conantur perdere fraude mala.  
 Vnicam & ipse meam à rabidis, sæuisque tyrannis.  
 Restitue: vt grates nunc tibi saluus agam,  
 Vt mea cuncta tibi referam accepta. ante frequentem  
 Hunc cœtum populi, qui tua gesta probat.  
 In populo ingenti vt te laudem. nec super vnum  
 Me, hostes mendaces, gaudia blanda ferant.  
 Frustrà conniueant oculo, qui me sine causa,  
 Afficiunt odio cum mea fata vident.  
 Namque nihil nitida pacatum mente volutant:  
 Tranquillum pacis nec meditantur opus.  
 Sed cum fertilis est in dulci terra quiete  
 Consilia accipiunt ore dolosa suo.  
 Coniurant fraudes occultas vndique contra

Manfuetos terræ pacificosque viros.  
 Adperuere grauem rictum malè, me super ægrum  
 Et dilatarunt ora repente sua.  
 Dicunt ohe. ohe. his oculis nunc vidimus. illud  
 Tu quoque vidisti iuste monarcha Deus.  
 Ne ergò cuncteris: nec tu absis longius à me.  
 O Domine euigila, iusque tuere meum.  
 Nunc exurge, meam vindex vlciscere causam:  
 O Domine inclyte Rex. tu meus ille Deus.  
 O Domine. ô Deus ille meus, tu vlciscere pressum  
 Me, pro iure tuo, iustitiâque tua.  
 Vt non latentur de me. neque garrulitate  
 Dicant in tumidis cordibus ista suis.  
 Ex animi voto, res contigit. hi neque dicant:  
 Vicimus hunc. illos obruat ille pudor.  
 Confundantur ij pariter, qui dira minantur:  
 Quique malo gaudent, excidióque meo.  
 Qui de me iactant: ignominia, atque pudore  
 Nunc sint induti, probrâque cuncta ferant.  
 Hi quibus illa placet iustè mea candida vita:  
 Exultent. plenam lætitiâque ferant.  
 Sic tamen vt semper dicant. est magnus in orbe  
 Terrarum Dominus, qui mouet omne solum  
 Qui serui optatam pacem, gratâque salutem  
 Diligit. hunc placida vultque quiete frui.  
 Iustitiam mea lingua tuam meditetur in omni  
 Tempore: & hanc laudem cogitet illa tuam,

PSALMVS XXXVI.

Dixit iniustus.

TITVLVS

Dauid serui Domini adhortatorium.

ARGVMENTVM.

*Impiorum ingenium, & audacia describitur: simulq;  
 petitur vt pij Dei bonitate fruantur.*

**D**E impij ea audaci, & perfrieta fronte, meum cog  
 Sic sentit. sic mens dicitur illa mihi.  
 Quòd non hîc habeat diuinum numen, ineptos  
 Ante suos oculos. tam sibi cæcus, hic est.  
 Quamuis ille Deo velut assentetur. & illi  
 Applaudat semper temnit, & odit eum.  
 Sic odiosus hîc est, vitiis capitalibus: oris  
 Huius verba, dolus, flagitiûmque merum.  
 Vt benè agat, renuit, scelerata mente doceri:  
 Et scelus in lecto præparat omne suo.  
 Peruersos omnes comitatur. non fugit vllum  
 Sponte malum, cum sis (mi Deus) omne bonum.  
 Et cum vsque ad cælos bonitas, tua dulcis. & vsque  
 Ad nubes, latè sit tua sparsa fides.  
 Cum tua iustitia excelsis rutilantior astris.  
 Robusto monti par sit (amice Deus).  
 Cum tuus æquus amor similis referatur abyfso  
 Immensæ. qua nil altius esse potest.  
 Quum Deus omnipotès homines, iumentâque ferues:  
 Nam vitam donas omnibus, alme parens.  
 O Domine alme Deus: bonitas tua quàm pretiosa  
 Est. omnem mundum tu pietate regis.  
 Tu res humanas, & torum dirigis orbem:  
 Cunctorum & curam tu bonitate capis.  
 Qua omnes fræti hominû gnari, vmbra extante tuarum  
 Alarum, fidunt, vt latitare queant.  
 Hi domus vbertate tuæ saturantur. & illis  
 Immensis opibus, diuitiisque tuis.  
 Potantur fluuio, & dulci torrente tuarum  
 Deliciarum, (ô Rex nobilis, atque potens)

Namque perennis hic est ac æquè viuus apud te  
 Fons: ex quo nobis vita, salusque, fluunt.  
 Clara in luce tua, nitidam, rutilamque videmus  
 Lucem, ipsam faciem conspicuamque, tuam.  
 Summam obtrende tuam bonitatem (mi Deus) illis,  
 Qui te cognoscunt, vt benè semper agant.  
 Iustitiæque tuæ fac rectos corde fideli  
 Participes illos, & tua pacta doce.  
 Pes tumidi fastus velox non irruat in me:  
 Illius rabiem, vimque coercere, Deus.  
 Ne me sæua manus reproborum impellat. & vlllo  
 Ne me commoueat, dimoueatque loco.  
 Sed gressu titubante cadant: qui crimen iniquum  
 Nunc operantur: in id præcipitesque, ruant.  
 Deiciantur, vt auxiliante resurgere nulla  
 Sponte queant, strati corpore semper humi.

PSALMVS XXXVII.

Noli emulari.

TITVLVS.

Dauid

ARGVMENTVM.

*Admonitio est, ne impiorum facinora propter felicitatē  
 eorum imitemur. Depingit autem interim, tum pigrum,  
 & ingenium, & exitium.*

**N**Oli peruersos imitari. prosperitatis  
 Tantillum, nec eis inuide sponte mala,  
 Æmulus illorum nec tu sis: qui quod iniquum  
 Est operantur. & hic in scelus omne ruunt.  
 Et nil te moueat, si opulentos videris illos:  
 Si primum summi culmen honoris habent.  
 Si insignes titulis fortuna diuite florent:  
 Horum prosperitas fluxa, repentē perit

Nam sicut fœnum citò deciduntur. & illi  
 Marcescunt, sicut fluminis herba viens.  
 In Dominum spera. tu fac bona nocte, dièque:  
 Vt tu habites terram, quæ bona quæque dabit.  
 Vt te diuitiis (quarum est thesaurus Iesus)  
 Te verè pascat. tunc bona cuncta feres.  
 In Domino dulci oblectaberis hic tuus ingens  
 Vnus amor cordis. vora secunda dabit.  
 Hunc solum si totus amas. tibi prospera cedent:  
 Et quicquid cupies, conferet ille tibi.  
 Tu coram Domino, quo nil clementius extat,  
 Ipse tuam exponas voce dolente viam.  
 Ipse statum rerum Domino committe tuarum:  
 Ille sit inceptis anchora firma tuis.  
 Illi fide, tuas res hic curabit. & ille  
 Exacta efficiet sedulitate sua.  
 Vt tua iustitia hæc velut illa aurora coruscans  
 Prodeat. & clarum lumen vbique ferat.  
 Imò ius æquum fiet rutilantius alba  
 Luce illa, qua Sol altus in orbe micat.  
 In Dominum esto intentus, & hunc tu suspice. nec sis  
 Æmulus illius, cui benè cuncta cadunt.  
 Tu noli esse hominis sceleratè qui sibi viuit  
 Æmulus. hoc iræ triste remitte malum.  
 Præcipitem indignati animi ratione furorem  
 Desere. prauorum ne comes esse velis.  
 Vt malè tu facias noli sic æmulus esse.  
 Excinduntur enim qui malè semper agunt.  
 Qui verò Dominum expectant patienter, habebunt  
 Terram. in qua æternùm vita beata viget.  
 Sustine paululum. & impius ingens non erit vltra:  
 Nec velox huius fama superstes erit.  
 Cùmque locum multùm sublimem aduerteris huius:  
 Nullus erit. reprobis sic breue tempus adest.

Prosperitas huius citò præterit, ille quietis  
 Et non inueniet, percipietque locum.  
 Ast humiles terram capient, terramque tenebunt,  
 Huius vt hæredes, filioli que Dei.  
 Et tandem multa fœlices pace fruuntur.  
 Plurima quæ secum commoda grata feret.  
 Impius insidias iusto molitur atroces:  
 Et super hunc stridet dentibus ille suis.  
 Verùm, ridet eum Dominus. nam quandò futurum  
 Huius sit tempus, cernit ab arce sua.  
 Distringunt gladium impij: & astu, & fraudibus arcum  
 Tendunt sanguinea, mortiferaque manu.  
 Vt modò deiciant humilem violenter. & illum  
 Prosteruant inopem: quem mala dura premunt.  
 Vt simul infantes, & rectos corde trucidant:  
 Occumbent gladio cor penetrante suo.  
 Arcus illorum subito frangentur. & omnes  
 Horum conatus nulla pericla ferent.  
 Est hominis iusti præstantius omne pusillum,  
 Innumeris opibus, diuitiisque mali.  
 Et paruis opibus iustus contentus, habetur,  
 Diuite prosperior, diuitiorque malo.  
 Nam corumpuntur reproborum brachia. iustos  
 Sed Dominus firmat, sollicitusque fouet.  
 Non minus in lætis rebus, quàm rebus acerbis  
 Fulcit iustorum fortia corda Deus.  
 Exactè nouit Dominus Deus innocuorum  
 Tempus, quo promptam questibus addat opem.  
 Namque erit æterna illorum successio. gnati,  
 Hæredesque Dei principis orbis, erunt.  
 Non pudefient, quandò alios inuoluet acerbis  
 Temporis aduersi casus, & omne malum.  
 Cùm fera tempestas metuenda pericula secum  
 Adferet. illorum spes rata semper erit.

Est furor armorum, atque ingens pœnuria victus:  
 Grassatur rabies pestis, & atra fames.  
 Hi saturabuntur famis ægræ tempore læuo.  
 Sed morietur inops impia turba fame.  
 Sic hostes Domini vt summo fungentur honore:  
 Consumuntur. ij deficientque citò.  
 Vt pretiosi agni citò consumuntur. edacem  
 In flammam, & fumum, qui rediguntur humi.  
 Horum summus honos. horum status altus in ipsum  
 Fumum euanescet, deficientque leuem.  
 Fœnerat impius: & non donat fronte benigna  
 Sed iustus donat quicquid habere potest.  
 Ast illi quibus illud iure probabitur. illam  
 Terram fœlicem, fructiferamque colent.  
 Et velut hæredes degent opulenter in illa  
 Ex illa fructus percipientque bonos.  
 Qui hoc execrantur, mox excidentur. ab illa:  
 Extirpabuntur. planta nec huius erunt.  
 Sed gressus hominis iusti Deus optimus, omnes  
 Dirigit, & rectum diligit huius iter.  
 Cùm ruit, offensus non corrui. obuius illum  
 Namque manū Dominus sustinet, atque regit.  
 Labenti dextram adiutricem porrigit. addit  
 Illi animū, & lapsū duxque, comēsque leuat.  
 At puer ipse fui, & senui nunc. ista senectus  
 Obrepsit tremulis passibus ægra mihi.  
 A Domino iustum nunquam tamen ipse relinqui  
 Vidi. nec panem quærere semen inops.  
 Non vidi gnatos ipsius poscere victum,  
 Quauis pauperibus det bona multa viris.  
 Quauis assidue det mutuo per pietatem:  
 Quauis, & clemens omnibus esse velit.  
 Hinc fit, vt his rebus fœliciter omne fruatur  
 Illius semen. quod bona multa meret.



Hic fugit omne malum, vitium mortale relinquit:  
 Sectatur summum, perpetuumque, bonum.  
 Perpetuò felix habitat cum pace quieta  
 Terram. nam æquanimem rex Deus æquus amat.  
 Ille suos sanctos non deserit. optimus illis  
 Est custos, cura perpetuæque fauet.  
 Verùm excinderetur reproborum semen inane.  
 Sed iusti terram post mala multa colent  
 Et læti super hanc habitabunt: donec in orbe,  
 Ultimus instabit terminus, atque dies.  
 Os prudens iusti, sapiam meditatur, & æquum.  
 Lingua huius loquitur, commemoratque bonum.  
 Nam in corde illius lex est, doctrinæque vera:  
 Et præcepta Dei præmeditata sui.  
 Undè viæ illius minimè falluntur. eunti  
 Illi nam Dominus duxque, comèsque, manet.  
 Impius obseruat iustum, quem occidere quærit.  
 Non tamen hunc Domini deserit æqua manus.  
 In ditionem illam reprobi non deserit illum,  
 Nec permittit eum vi vehemente premi.  
 Impietatis eum conuinci nec finit. huius  
 Causa in iudicio cum peragenda venit.  
 In Dominum spera. expecta patienter amicum  
 Illius aduentum, qui tibi lætus erit.  
 Illiusque viam custodi. te efferet. vt tu  
 Possideas terram, quæ tibi reddet opes.  
 Fructibus vt terra potiaris, & id reproborum  
 Excidium videas, interitumque breuem.  
 Vidi ego iniquum diuitiis, & honore potentem  
 Præstare ingenti robore cuncta suo.  
 Et sicut laurum viridantem surgere. verùm  
 En dicto citius non erat huius iter.  
 Cùmque illum inuestigare. nusquam illius ymbra  
 Inueniebatur, tam breuis illa fuit.

Ille sui subitò vestiga nulla reliquit:  
 Huius flos, periit, præteritque decus.  
 Custodi in fragili vita integritatis honorem.  
 Quod rectum est, specta. pax tibi finis erit.  
 Hæc etenim æternam pacem, requiemque beatam  
 Postremò acquirunt post necis arma, viro.  
 At transgressores simul excidentur: & attras  
 Exilij pœnas, & mala dura ferent.  
 Nam sunt excidium, & casus. postrema malorum  
 Qui contempserunt impietate Deum.  
 Sed secura salus iustorum pender ab alto.  
 Et summo Domino qui regit astra poli.  
 Rebus in afflictis, est horum robur. & illis  
 Fert Dominus promptam (ne superentur) opem.  
 Illos à reprobis oppressos eripit. illos  
 Eripit, & saluat: cum dolor omnis adest.  
 Et tandem è tenebris in lucem dirigit. omnem  
 Spem figunt in eo, cum sit hic vna salus.

P S A L M V S XXXVIII.

Domine ne in furore tuo.

TITVLVS.

*Davidis Carmen, quo mala sua memorat.*

ARGVMENTVM.

*Fidelis exploratio sui ipsius est. & criminis confessio.  
 Deserunt amici. aduersantur hostes. in solo igitur Domi-  
 no salus reponitur.*

**O** Domine omnipotens, cum fulmen, & impetus ire  
 Difficiles aditus, armæque saeva mouet.  
 Ne (quæso) vt merui, tu me argue, lumine toruo,  
 Et facie austera, terribilique nimis.  
 In feruore graui, neque me tu corripe. quamuis  
 Occurrat ratio. iustæque causa tibi.

Bilem peccatis moui tibi. tu tamen illam  
 Vince hac ingenti pro pietate tua.  
 Namque tuæ infixæ mihi sunt in corde sagittæ.  
 Est super euerfum me tuæ fixa manus.  
 Ægra in carne mea superest nihil, vndique sanum  
 Prorsus ab hac ira me cruciante tua.  
 Ossibus integrum nil ritè relinquitur, atro  
 A sceleris viru, pestiferoque malo.  
 Nam caput oppressum mea crimina tanta repente  
 Transcendunt, vires debilitantque meas.  
 Obscurant animam, & rectum rationis acumen:  
 Peruertunt mentem, iudiciũque meum.  
 A carne hæc ratio trahitur, superatur ab illa:  
 Et peruersa, malum dicit illa, bonum.  
 Iudicio superata suo, sensũque rebeli  
 Illa bonum dicit: sed facit omne malum.  
 Et scelera hæc mihi sunt velut immane, & graue pondus:  
 Sunt grauiora æger quàm tolerare queam.  
 Sunt grauiora (Deus) quàm nunc miser ipse ferendo  
 Sim. infirmas vires exuperare solent.  
 Hoc onus est humeris multo violentius Ætna  
 Ardenti. quodnam est crimine maius onus?  
 Læthales vomicæ (quas iusta infligis in ira)  
 Putent, tabescunt stultitiæque mea.  
 Sic sum afflictus ego: sic sum depressus, vt omne  
 Hoc vitæ tempus sit graue sæpe mihi.  
 Namque mihi misero fastidia languida gignit:  
 Incedo tristis, continuoque gemo.  
 Ipse die toro, illic mæstus obambulo. tristi  
 Et lugubri habitu fata doloris habens.  
 Mordacem minimè possum sedare dolorem:  
 Et lacrymas nequeo sponte tenere meas.  
 Et lumbi ardentes sunt fœtore vndique pleni.  
 Saluum in me toto nil superesse potest.

Fractus ego nunc sum vehementer, & ipse minutus:  
 Sum attritus plagis, vulneribusque meis.  
 Infirmi cordis fremitus grauis exprimit altum  
 Ploratum, quo mens tristis, & ægra, iacet.  
 A tali pœna, & vitio sum afflictus in horas:  
 Spiritus, & carnis, cerno duella mea.  
 Et prostratus ego sum à libertate priori  
 In miseram vitam quæ mala cuncta parit.  
 Ipse statum cernens scælicem, & valde beatum,  
 A quo nunc cecidi, rugio mæstus ego.  
 Rugio tristis ego, tanquam leo sine læna:  
 Quæ rugit semper mæsta per omne nemus.  
 Quando suos fœtus functos quos parturit ægra,  
 Rugitu in vitam vult reuocare suo.  
 Omne meum desiderium tibi (ô rector olympi)  
 Notum est: nec gemitus te later ille meus.  
 Palpat anxium & impatiens cor. meque reliquit:  
 Robur, & hoc languens deficit, atque perit.  
 Nec mecum amplius est acies cum flentibus ipsis  
 Turbatis oculis. nec mihi visus inest.  
 Præ vehemente meo questu. tantoque dolore  
 Iam nihil aspicio (Rex generose Deus).  
 Cùm sic percuterer. cùm sic contagio morbi  
 Fœtida corripere corporis ossa mei.  
 E regione mei noti, charique propinqui  
 Stabant nec mæsto gaudia sola dabant.  
 Sed cognati longè aberant. nec rebus acerbis  
 Hæc solabantur tristia fata mea.  
 Infurrexerunt in me, penitusque ruerunt.  
 Qui vitæ insidias fraude latente parant.  
 Quique malum mihi concinnant, meditantur. & omni  
 Tempore, confingunt in mea damna, dolos.  
 Sed veluti surdus non audio. nil loquor. & sum  
 Vt mutus qui non vitur ore suo.

Et sum sicut homo qui nil quicquam auribus audit:  
 Obiectum nec ob id diluit ore scelus.  
 Nam (ô Domine) in te spero. spei bonitate benigna  
 Tu respondebis summe Monarcha Deus.  
 O Domine, ô dulcis Deus, hæc suspiria cordis  
 Excipies placidis auribus ægra tuis.  
 Istud posco meo ne malo vehementius illi  
 Lætentur. cristas magnificentque suas.  
 Et ne magnificè lætandi sæpius ansam  
 Arripiant, lapsu quod grauiore cadam.  
 Ast equidem ad flagrum quoduis læthale paratus  
 Sum. & nunquam vibex excidit vlla mihi.  
 Nam scelus horrendum fateor: curisq; molestis  
 Peccatum me vrget, sollicitatque meum.  
 Valde graue hoc animi vulnus. quòd crimina nosse  
 Non possum. quandò me benè prodo mihi.  
 Criminis admissi in mentem reuocatio, crudum  
 Mæroris vulnus non abolere sinit.  
 Sæui hostes (Deus alme) mei sunt vndique salui.  
 Fortes, robusti, præualidique vigent.  
 Qui me prorsus habent odio rabido, & sine causa  
 Crescunt. contra me plutima turba ruunt.  
 Quique malum ratione boni mihi mente maligna  
 Reddunt, intendunt crimina falsa mihi.  
 Me falsò accusant. iustum, insontemque scienter.  
 Quòd sector vera religione bonum.  
 Ne ergò desere me: neque tu à me longius absis.  
 O Domine, ô princeps iuste, Deusque meus.  
 Vt sis auxilio mihi, mox accurre, benigne  
 O Domine, omnipotens Rex, mea sola salus.

## Dixi custodiam vias meas.

## TITVLVS.

*David Carmen adhortatorium pro vice idithum.*

## ARGVMENTVM.

*Communis oratio est. qua cum omnes propter quotidiana scelera dignos verberibus confessus est: misericordiam implorat.*

**E**Xactè decreueram ego in tot rebus acerbis  
 Custodire meas cum ratione vias.  
 Os meum ego fræno seruabam ne cito lingua  
 Peccarem. prope me, perfidus hostis erat.  
 Impius hic oculis tunc me obseruabat acutis:  
 Et mihi nil merito turpia probra dabat.  
 Compescebar ego, tacitus, patiensque silebam:  
 Obmutescēbam consilioque bono.  
 Sed dolor ille meus grauior crescebat: & ægra  
 Vrebat penitus corporis ossa mei.  
 Sæpè calefcebat tùm intra me triste meum cor:  
 Admissi sceleris cum memor ipse forem.  
 Et meditando quidem magis ac magis intimus ignis  
 Incendebatur vi penetrante sua.  
 Sic ergò lingua (mecum meditando) loqueba:  
 Et contendebam cum ratione mea.  
 In tanto morbo in tanta flammâque doloris  
 Finem ostende meum (mi Deus alme) mihi.  
 Mobilium breuis hæc quæ sit mensura dierum:  
 Indica. & hunc tandem tu mihi prode modum,  
 Quæso sciam, quando sim defecturus. acerbos  
 Cum tot mærores & mala tanta feram.  
 Ecce (Deus) palmi mensura constituisti  
 Ipse meos miseros, sollicitosque dies.

Et mea coram te multum miserabilis ætas  
 Est tanquam nihilum. nam velut umbra, fugit.  
 Et certè status hic hominis vanissima res est.  
 Expressi, aut solidi nil habet omnis homo.  
 Fallacem ducit vana sub imagine vitam.  
 Quæ verè non est vita, nec esse potest.  
 Sed quam sola potest comprehendere notio mentis:  
 Sic velut umbra fugax, ambulat ille citò.  
 Frustrà turbatur, temerèque tumultuat. omnes  
 Noctes, at que dies irrequietus, hic est.  
 Lætitia hunc inflat mentem torquet libido;  
 Spes illum tollit, sed premit ille timor.  
 Accumulat miser, & nescit cui congreget illa:  
 Perspectum hæredem non habet ille suum.  
 Ergò quid expectè nunc (ò Domine optime princeps):  
 Fixa in te solo, spes mea tota manet.  
 Libera amice Deus, tu me ergò ex omnibus illis  
 Peccatis, quæ me nocte, dièque premunt.  
 Et ne me facias vanorum triste virorum  
 Opprobrium. lingua sic reticebo mea.  
 Os non adperiam. istud si tu feceris. aufer  
 A me paulisper verbera (quæso) tua.  
 Namque tua bellante manu. quæ valde grauescit  
 Consumor penitus, deficiòque mihi.  
 Ob scelus admissum cum hominem tu corripis, atque  
 Illum tu obiurgas. sine docere soles.  
 Iam velut à tinea tabescit. & ille liquefcit.  
 Quântus hic, & quàm sit nobilis, atque potens.  
 Et quamuis animi tum corporis, ingeniique  
 Dotibus excellat nobilitate sua.  
 Quicquid in illo est eximium consumis, & aufers:  
 Res aded vana est, & perinanis homo.  
 O clemens Domine. exaudi mea vota. precèsque:  
 Clamorem blandis auribus ipse cape.

Ne tu diffimules lachrymas. licet hospes apud te  
 Et veluti parres, sim peregrinus ego.  
 Non domus hîc natalis adest. ad funera mortis  
 Sum discessurus (mi Deus alme) breui,  
 Gratia amicè facta me dimitte. priusquam  
 Hinc abeam, & nullus sim. generosè parens.

## PSALMVS XL.

## Expectans expectavi Dominum.

## TITVLVS.

*David Carmen adhortatorium.*

## ARGVMENTVM.

*Confessio est, qua & laudatur Deus, cum distinctione:  
 quoniam pacto rectè colatur. & inuocatio in tribula-  
 tione ex firma in eum spe.*

**Q** Vando meum Dominum expectassem tempore lógo:  
 Huius & aduentus cum mora lenta foret.  
 Attendit tandem mihi, & exaudiuit anhelum  
 Clamorem, & querulas, continuásque preces.  
 Me è vehemente lacu. puteo multumque profundo  
 Atque lutò cœni, traxit amore suo.  
 In petram statuit, rupemque locauit in altam.  
 Ille pedes, & iter dirigit omne meum.  
 Ille ori inseruit noua carmina laudis: vt illum  
 Nostrum laudemus tempus in omne Deum.  
 Vt Domino, nostròque Deo nos semper agamus  
 Grates: & cunctis nos celebremus eum.  
 Vt cuncti aduertant, metuant, speréntque benignum  
 In Dominum, qui dat gaudia blanda mihi.  
 O scelicem hominem Domino qui fidit. in illum  
 Tutelamque suam collocat, atque refert.  
 Qui ad factum sese minimè conuertit. at oiani  
 A vana auertit refugiente citò.

Nam innumera admiranda facis Deus vnus. apud nos  
 Exemploque carent hæc tua consilia.  
 Hæc ego cum instituo, mecum memorare frequenter:  
 Et narrare viris. tunc ego deficio.  
 Plura quidē hæc sunt. quā vt numerari carmine possint  
 Quis posset verbis hæc tua facta loqui?  
 Victimam, & id sacrum non diligis, at magis optas,  
 Vt tibi se dedat mente fidelis homo.  
 Sed tua dextra mihi nunc aurem vellicat. ipse  
 Tu pro peccato non holocausta petis.  
 Hostia nulla (Deus) nec facta piacula grata  
 Sunt tibi. relligio sed tibi munda placet.  
 Dixi ergo. en ipse adueniam, subitoque paratus  
 Hæc tua complebo iussa supreme (pater.)  
 Pagina prima libri de me sic scribit. vt illud  
 Quod placitum est tibi (Rex, arbiter orbis) agam.  
 O Deus ipse meus Rex. hoc mihi valde probatur,  
 Nam in medio cordis lex tua scripta manet.  
 Viscerū & in medio est fixa, atque insculpta. quid? imo  
 Huic animo incisa est funditus illa meo.  
 Prædico iustitiam in conuentu, valde frequenti.  
 Illa quidem veræ iura salutis habet.  
 En mea labra (Deus) non cessant, vt modò cernis:  
 Hoc benè tu nosti. nam tibi cuncta patent.  
 Non ego cælo mei medio de viscere cordis  
 Has bonitatis opes, iustitiāque tuam.  
 Hæc tua vera (Deus) promissa, tuamque salutem  
 Dico. illam cunctis confiteorque viris.  
 Non ego dissimulo eximium bonitatis honorem:  
 Pacta, fidemque tuam concio tota videt.  
 A me ne cesses miserandò, mi Deus alme:  
 Protegat oppressum me bonitatis honos.  
 Me tua vera fides defendat semper acerbis  
 In rebus. multis obruor ipse malis.

Me mala cinxerunt, quibus hic affligor in horas:  
 Quorum nec numerus, nec modus esse potest.  
 Me afflictum scelera hæc mea comprehendere. repenti  
 Displicere vt nequeam (summe monarcha Deus)  
 Hæc numero tot sunt, vt nil discernere possim:  
 Cum fallent oculos, iudiciūque meum.  
 Supremi capitis numero vicere capillos.  
 Cor me destituit, mens mea mæsta iacet.  
 Festina Domine. vt pietas tua liberet ægrum  
 Me Domine. ô pie rex atque benigne Deus:  
 In rebus fractis propera velociter. vt tu  
 Propensa auxilio sis pietate mihi.  
 Omnes erubeant. citò confundantur ad vnum,  
 Qui quærunt animam perdere sponte meam.  
 Turpi ignominia afficiantur, & inde recedant,  
 Qui ex misera ærumna gaudia crebra ferunt.  
 Turba mihi quæ nunc oggannit, & euomit ohe:  
 Ohe graui probro iam sit operta suo.  
 Post infame probrum tandem vastetur. & illa  
 Opprobriis referat præmia digna suis.  
 Ast omnes qui te quærunt, latentur: & in te  
 Exulcent. freti spèque, fidèque tua.  
 Quique tuam vehementer amant, redamantq; salutem:  
 Dicant perpetuò talia verba viris.  
 Omnipotens Dominus rex magnificetur. honesta  
 Ægit nobiscum pro pietate sua.  
 Ipse autem hic humilis, patiens, & pauper ego sum:  
 Consule tu auxilio (iuste monarcha) meo.  
 Protector meus es. soluis tu rebus in arctis:  
 Et liberatem das mihi iure tuo.  
 Seruator meus es. meus es Deus vnicus. ergo  
 Rumpe moram. ex illis me citò solue malis.

Beatus qui intelligit super egenum & p.

TITVLVS.

*David carmen adhortatorium.*

ARGVMENTVM.

*In egritudine siue animi, siue corporis, orat Dominum  
vt sui misereatur. quoniam & ipsum commi-  
sertum sit pauperum.*

**F**Oelix, qui rationem habet ægri pauperis, & qui  
Hunc iuuat officiis, & pietate leuat.  
Nam Dominus clemens fœliciter eruet illum  
Rebus in aduersis quando pericla feret.  
Incolumen Dominus custodiet. ille vicissim  
Illius curam sedulitate geret.  
In terra hunc saluum faciet, faciétque beatum:  
Nec sinet hunc hostis sub ditione premi.  
Hunc decumbentem in lecto recreabit. & illum  
Restituet vitæ. cum premet hora necis.  
Omnem huius morbum commutas (ô Deus alme)  
In lecto vt gaudens mollius ille cubet.  
Hinc ego cum doleam, tristi morbóque laborem:  
Dico. (benigne Deus) tu miserere mei.  
Languidam & agram animam sana. quia sordidus in te  
Peccaui. sordes elue (summe parens)  
Dicunt crudeles inimici nunc malè de me:  
Quandò dies tandem quo morietur, erit?  
Illius vt nomen pereat. cum morte sepultum,  
Posteritas huius nec meminisse velit?  
Ex illis si quis venit vt me visitet ægrum:  
Si nunc egreditur fictus amicus, ait.  
Sic cor illius loquitur. cumulátque malignos  
Fucatosque dolos, & scelus omne sibi.  
Exacuit linguam contra me: atque aduolat illuc

Cum

Cum sociis fraudum qui mihi damna volunt.  
Blanda loquebatur mecum. sed vt exiit à me:  
Ille palam ficto detrahit ore mihi.  
In me concurrant hostes simul vndique toti:  
Contra me capiunt consiliúmque malum.  
Hostile inter eos verbum iactatur. inique  
Ægroto de me talia verba ferunt.  
Hoc aduersum me dicunt. non ille resurget  
Qui iacet. hic vltra nec benè sanus erit.  
Hoc morbo morietur. ei nam morbus adhæret  
Pessimus, vnde venit pœna, grauísque dolor.  
Sed meus hic socius cui fidebam vnice. & ille  
Qui vescebatur pane, ciboque meo.  
Quem mea egò mensa fueram dignatus. amicè  
Cum quo viuebam fœdera pacis habens.  
Strenuè hic ille mihi est nunc insidiarius amico.  
O Domine ergò mei tu miserere (precor)  
Et me restitue, ægrum. vt reddam iustius illis:  
Et iustas pœnas (quas meruere) luant.  
Illi perfidiæ pœnas, & præmia pendant:  
Te causæ agnoscam iure fauere meæ.  
Isto ritè sciam quod ames me. si ferus hostis  
Non insultet ouans, in mala tanta mihi.  
Tu me (quæso) tua fulci bonitate fideli  
Ob vitam integram, iustitiámque meam.  
Et me constitue hic coram te semper, vt ad sim  
Regni in deliciis, è regione tibi.  
Vt charus genitor, defendis ab hostibus ægrum:  
Inque tuam recipis me (Deus alme) fidem.  
Nunc tu suscipe me ex illo violente sepulchro.  
Atque tua id corpus gloria vera tegat:  
Me tua confirmet clara immortalis honoris  
Gloria. & hic dextræ splendor, honóque tuæ.  
Sic erit æternæ vitæ data gratia. claro

G

PSALMORVM LIB I.

Hoc in conspectu (Rex generose) tuo.  
Illic nullus adest morbus, cursusque laborum.  
Hic pax, & requies, atque suprema salus.  
Sit Dominus Deus Israël laudatus, ab omni  
Tempore .in hoc tempus quod sine fine manet.  
Omnis Amen decanter: Amen fateatur: & omnes  
Has Domini laudes omnia sæcla canant.

LIBRI PRIMI FINIS.



PSALMORVM

LIBER SECVNDVS.

PSALMVS XLII.

Quemadmodum desiderat seruus.

TITVLVS.

*Filiorum coræ admonitio. sine præitio  
adhortatoria.*

ARGVMENTVM.

*Querimonia est apud Deum de inimicorum cõ-  
tumelia & animi perturbatione istinc orta.  
immota tamen spes. sese solatur.*

**V**T ceruus canibus rabidis agitatus, aquarum  
Ad riuos mugit præ vehemente siti.  
Impatiensque iugis, & vallibus errat: vt amne  
Inuento extinguat, lætificetque sitim.  
Sic afflicta anima hæc mea clamat (mi Deus) ad te:  
Et viuum fontem te sitit ægra suum.  
Ad Deum inexhaustum fontem sitit arida. flagrat  
Hæc desiderio præueniente Dei.  
Quandò precor veniam profugus, peregrinus, & exul  
Ad viuum, & fortem, præualidumque Deum?  
Vultui & ipse Dei quandò apparebo? beata  
Et quandò inuisam regna, domumque Dei?  
Hic mihi vertuntur lachrymæ quas, nocte, dièque  
Effundo in potum, pertenuemque cibum.  
Cùm mihi quotidie capitalis dictitat hostis  
Exprobrans. vbi nunc, est Deus ille tuus?  
Cur Deus ille tuus, quem tu reuerenter adoras

Non fauet. & confert robur, opémque tibi?  
 Hæc mecum reputo, mecúmque effundo furentes  
 Æstus ægri animi, qui mihi bella mouet.  
 Spiritus impatiens penitus me deficit ægrum.  
 Huius pugna ferox tædia mille parit.  
 Cùm proficiscar ego tandem repletus, & vnctus  
 Cùm sociis: vt eam in regna, domúmque Dei?  
 Tali læticia, vt Domini deducar ad ædem,  
 Quali feita dies concelebranda venit.  
 Quam deiecta anima hæc mea es. & me funditus ægrú  
 Conturbas tristi pressa dolore tuo?  
 Tu spera in Deum, & hunc tantúm post tristia fata,  
 Expecta, erige te, tristitiámque fuga.  
 De Domino spera benè. tu satis ægra fuisti.  
 Et ne te exanimes fletibus(oro) tuis.  
 Namque futurum est: vt pro reddita ego ipse salute  
 Grates coram oculis lenibus huius, agam.  
 Tristis apud me anima hæc mea sese deiicit ægram.  
 O Deus, híc quando sum memor ipse tui.  
 Quandò subinde tui (Deus optime) mente recordor,  
 Quòd fueris nostris patribus vna salus.  
 Iordanis in terra, atque Hermonim monte pusillo  
 Conseruauit eos hic tuus vnus amor.  
 Hæc tua me bonitas patribus quam sponte tulisti,  
 Fidere me cogit cum ratione tibi.  
 A domibus patriis abiectus longius absum:  
 Iordanis ad litus, solus, & exul agor.  
 Verticis Hermonim salus, sylvásque pererro.  
 Et Mitzar nemus hoc asperitate rigens.  
 Interea populus super alto vertice montis  
 Excelsi Morix debita sacra facit.  
 Proh dolor! in modico profugus miser exulo monte  
 Ob furias hostis qui mihi fata parat.  
 Me licet inuoluat tempestas dira malorum:

Et licet vndique me sæua pericla premant.  
 Insignis bonitas nunquam tamen hæc tua (princeps)  
 Excider ex animo, colloquioque meo.  
 Hei mihi. nam magna inuitauit abyssus abyssum:  
 Vrger mærorem mæror, & ipse dolor.  
 Non datur vlla mei intermissio iusta laboris.  
 Ærumnas patior nocte, diéque graves:  
 Atque tuæ vocem cataractæ sæpe dederunt.  
 Me ingens tempestas obruit ista, Deus.  
 Traasiuere super me omnes ex æthere nymbi:  
 Fluctibus immensis obruor ipse tuis.  
 Ac veluti cùm vere nouo disrumpis Olympum  
 Fulmine terribili quod tua dextra iacit.  
 Vis immensa sibi glomeratæ grandinis, imbris  
 Et niuis: & rubeum fulgur, ab axe ruit.  
 Hęc dum per terras cælo iacularis aperto:  
 Tu segetes, vires, & fata sternis humi.  
 Sic me iuste Deus rapido torrente malorum  
 Obruis: & mersum dira procella premit.  
 Quid Domino melius? facilem citò mitigat iram.  
 Respicit afflictos hac bonitate sua.  
 Quotidie immensam bonitatem in luce micanti  
 Commendat. pœnas lenit amore suis.  
 Ergò Dei viui laudem cantabo supremam,  
 Omni nocte licet me dolor vrat atrox.  
 Atque Deo dicam. cùm sit mea petra, salúsque:  
 Cur mei es oblitus: quandò dolore premor?  
 Et cur tristis ego incedo. dum durius hostes,  
 Me cinctum affligunt impietate graui?  
 Intima dum perdunt pœnis crudelibus ossa:  
 Méque probris onerant, dilacerántque suis?  
 Sunt probra dicta mihi velut ensis adactus in ossa:  
 Quem melius possem pertolerare diu.  
 Hostes quotidie intendunt mihi crimina falsa:



Illudunt verbis, & maledicta vomunt.  
 In me mordaci risu conuitia iactant:  
 Dum dicunt. vbi nunc est Deus ille tuus?  
 E manibus nostris cur te non eripit? ægro  
 Vna tibi spes est, & tua sola salus.  
 Si Deus hic tuus est. sicut tu dicis, & instas:  
 Affligi cur te tempus in omne finit?  
 Tu verò mea mens subito deiecta, grauaris:  
 Cur me conturbas, tristitiâque premis?  
 Assiduè quereris. tu me ob suspiria nunquam  
 Respirare sinis. mœsta quid ipsa iaces?  
 In Deum amicum tu spera. mihi namque futurum est:  
 Vt Deum ego laudem, concelebrémque meum:  
 Vt grates iterum illi soluam pectore mundo:  
 Cùm mihi reddiderit dulce salutis opus.  
 Non dedignatus fuit hic mihi mente benigna  
 Se gerere illustri pro duce, rege, Deo.

PSALMVS XLIII.

Iudica me Domine. &amp; discerne causam.

*Eiusdem argumenti est, cum antecedente: aut  
 imitatio alicuius.*

**V** Indica ô iuste Deus tu me. & de gente maligna  
 Defende hanc causam iure fauente, meam.  
 Ex homine iniusto, & scelerato, siue dolofo  
 Me eripe. namque meum robur es, alme Deus.  
 Cur me turbatum, pressumque dolore, repellis?  
 Cur me à conspectu reiciis ipse tuo?  
 Et cur tristis ego incedo, dum sæuiter hostes  
 Me obsessum affligunt anxietate graui.  
 Illa tyrannis atrox illorum vexat, & vrget  
 Vndique me. & cæca fraude, doloque premit.  
 Claram emitte tuam lucem (ô lux splendida mundi)  
 Mitte tuam veram, perpetuamque fidem.

Istæ me ducant, & ponant post mala tanta  
 In sanctum montem (summe monarcha) tuum.  
 Hic vbi maiestas habitat tua (mi Deus) ædis  
 Magnificæ sacrum fac penetrabile petam.  
 Ipse Dei vt supplex adeam velocius aram:  
 Ad Dominum, & summum, perpetuümque Deum.  
 Est mea lætitia, & sola exultatio. grates  
 Cum cithara tibi nunc (ô Deus orbis) agam.  
 O Deus, ipse Deus meus, & meus vnicus author,  
 Hoc citharæ pulsû te celebrabo meæ.  
 Cur verò mea mens deiecta es, mèque molestas:  
 Quorsum te maceras, & cruciando fremis?  
 Ne amplius intra me, trepidum, tristémque tumultum  
 Commoueas, bilem parturiâsque nigram.  
 Expecta patienter, adhuc dum venerit ille  
 Omnipotens Dominus, qui tibi reddet opem.  
 Collige dispersas vires, curâque relaxa:  
 Tu spera in Dominum, propitiümque Deum.  
 Est enim (ô mea mens multùm depressa) futurum  
 Vt rursus Dominum laudibus, ipse feram.  
 Vt grates iterum soluam illi pectore puro:  
 Cùm sit ab hoc mihi nunc reddita certa salus.  
 Ille Deus meus est. Dominus meus vnicus. ille  
 Est author vitæ, lætitiæque meæ.

PSALMVS XLIIII.

Deus auribus nostris.

TITVLVS.

*Filiorum coræ admonitio, vel præitio  
 Adhortatoria.*

*Pia expositulatio cum Deo, qua petitur, vt iuxta  
fœdus cum patribus initium, auxilium ferat.*

*satis enim adflictos esse constat.*

**A**uribus intentis audiuimus (ô Deus) illa  
Admiranda manus nobilis acta tua.  
Et quæ temporibus tu retrò operatus es vnus.  
Nam nostri nobis hæc retulere patres.  
Dextra vltice tua, tu expulsis gentibus. illos  
Conseuisti: & eis das regionis opes.  
Barbaricas gentes vertisti: & barbara regna  
Mellifluam vt tua gens hanc habitaret humum.  
Tu deleuisti populos radicitus omnes,  
Quos abiecisti vi vehemente tua.  
Impleuere suo terram, illam germine patres  
Quæ lac, & mellis commoda cuncta refert.  
Non etenim gladio terram violente pararunt:  
Nec saluauit eos brachium, & ensis atrox.  
Nec peperere suis victricia signa lacertis.  
Illi victores sponte fuere tua.  
Hos tua dextra potens, & brachia robore forti  
Seruarunt, & lux vultus amica tui.  
Namque illis placido tu semper amore fauebas.  
Hos tua seruabat gratia. iuste Deus.  
Ille etenim es Rex, & noster Deus. ille salutem  
Qui mittis Iacob, qui tibi i sponte placet.  
Te duce ceu cornu armatos excussimus hostes  
Fratri vno auxilio, præsidioque tuo.  
Qui in nos insurgebant, spernebamus inermes  
Virtute hac sulti cunctipotente tua.  
Non etenim in nostrum fortem sperauimus arcum:  
Nec validis armis fidimus, alme Deus.  
Bellicus hic gladius nec nos saluauit, honoris

Nec tribuit palmæ nobilis illud opus.  
Sed nos saluasti rabidis ex hostibus. abs te  
Vno, nostra salus, non aliundè, venit.  
Illos crudeles inimicos victor, & vltor  
Tu confundisti rex ditione tua.  
Te Dominum, nostrumque Deum laudemus in omni  
Tempore. laudemus nomen vbique tuum.  
Et maiestati sacræ nos semper agamus  
Grates. sed nunc nos deseris alme Deus.  
Obiicis & modo nos probro. nec ad horrida bella  
Cum nostris turmis, agminibusque, venis.  
Nec fers suppetias nobis. quas sæpè tulisti  
Patribus: hos hostes qui domuere suos.  
Ipse fugam in turpem tu nos coram hoste feroci  
Vertis. nos hosti præda molesta sumus.  
Sæui conculcant inimici nos malè. tractant  
Hic nos indignis, flebilibusque modis.  
Nos gregis eximiis ouibus, quæ dilaniantur  
Fecisti similes. nec quis abesse potest.  
Verùm si quis abest: aut fugerit ilico, sæua  
Ex illa lanij, carnificisque manu.  
Nos dispersisti inter gentes. proh dolor. illæ  
Diuini cultus nil sibi nosse volunt.  
Exilium patimur. bona, nostra sede relicta  
Mille cruces minitans diripit hostis atrox.  
Nil reliqui superest. hæc gens ita barbâra nobis  
Exulibus sparsis durior esse solet.  
Abs te in mercatu crebro, multumque frequenti  
Captiuus populus venit ille tuus.  
Nec de obulo, aut pretio, vel merce tenaciter horum  
Contendisti in ea venditione tua.  
Tu nos ludibrio vicinorum exposuisti:  
Qui circum nos, sunt: turpia probra mouent.  
Illi nos rident, insultant cladibus. atque

His nostris grauibus, continuisque malis.  
 Gentibus externis fumus abs te fabula facti.  
 Omnibus in populis fanna molesta sumus.  
 Nostra ignominia hæc, est omni tempore, tristes  
 Ante oculos. in nos iurgia quisque iacit.  
 Nos operit mœsti vultus pudor omnis, acerbam  
 Ob vocem illius qui probra fœda vomit.  
 Ob vocem illius qui in nos conuicia iactat:  
 Et qui nos probris afficit ore graui.  
 Propter grassantes inimicos in mala dura  
 Nostram omnem faciem contegit iste pudor.  
 Hæc vsuueniunt nobis (Deus) omnia mœstis.  
 Non tamen immemores possumus esse tui.  
 Concipit hîc de te mens nostra obliuia nunquam,  
 Infinita licet nos mala sæpè premant.  
 Dulce tuum fœdus nos non violamus. & ista  
 Quæ tua nobiscum iunxit aperta manus.  
 Cor nostrum retrò non vertitur. ista Deorum  
 Impia fictorum nec simulachra colit.  
 Sed declinasti nostros (Deus optime) gressus  
 Semita ab hac reeta, iustitiæque tua,  
 Te Dominum, verumque Deum dileximus vnum:  
 Et semper volumus nos tua iussa sequi.  
 Inter barbaricas gentes, rabidósque tyrannos  
 Cogimur inuiti viuere (summe parens.)  
 Nos in puluerem vbi sunt horrida lustra draconum  
 Comminuisti armis, seruitiique iugo.  
 Umbra mortali texisti tu vndique pressos.  
 Et nos captiuos sæua tyrannis habet.  
 Nominis ipsa Dei nostri si oblita fuisset  
 Mens nostra assiduis exagitata malis.  
 Sponte manus nostras si expandissemus ad vnum  
 Externum, & falsum fatidicumque Deum.  
 Iure Deus super hoc inquireret. abdita cordis

Nam pernoit. & hîc omnia nuda videt.  
 Sed nos (summe parens) propter te occidmur omni  
 Tempore. nos patimur mille pericla necis.  
 Mille cruces, cædes patimur, tormentaque mille:  
 Nominis hac causa, vel ratione tui.  
 Vt muta reputamur oues, quas cæde macello  
 Destinât hæc lanij sanguinolenta manus.  
 Exurgas igitur. cur stertis, & ipse sopori  
 Indulges? somnos excute iuste Deus.  
 Ne magè dissimules. Domine expergiscere tandem.  
 Ne irata prorsus desere mente tuos.  
 Cur vultum abscondis? cur tu obliuisceris huius  
 Ærumnæ nostræ, tristitiæque grauis?  
 Nos expugnat atrox hostis, manibusque cruentis  
 Nos laniat: nec spes vlla salutis adest.  
 Puluerem ad exiguum, nam mens hæc nostra molesta  
 Depressa est. venter fixus adhæret humi.  
 Illorum scelerum quæ nos commisimus in te:  
 Et fecisse pudet. pœnituisse vides.  
 Ergò exurge. tuam fer opem (Deus inclyte) nobis:  
 Libera ab ærumnis nos bonitate tua.

Eructauit cor meum.

TITVLVS.

*Filiorum coræ adhortatorium carmen amatorium  
 super Scothamim, id est liliis, canendum.  
 Maschil, id est admonitorium, siue  
 prætorium siue præconium.*

*Laus est sub encomio Regis & reginæ veri Regis  
 Christi, ac sponsæ eius Ecclesie.*

Hic luculentum verbum, ornatumque profundat  
 Cor meum, vt hoc regi mens mea dicat opus.  
 Tu mea lingua, stylus scribæ super omnia prompti  
 Esto. quæ mihi mens suggerit, ista cape.  
 O princeps, hominum es longè pulcherrimus. omnes  
 Mortales forma tu superare soles.  
 Excellis cunctos radiantem lumine formæ.  
 Solius es formæ flos, honor, atque decus.  
 Per tua labra omnis diffusa est gratia. sed quid  
 Magnifico gestu pulchrius esse potest?  
 Hæc tua tam grauis est oratio. proprietate  
 Tam iucunda viris omnibus illa viget.  
 Omnis vt orandi vis, & miranda facultas  
 Infideat labiis (rex generose) tuis.  
 Adde. Deus quod te fecit regnare beatum:  
 Semper & ille tibi munera cuncta dedit.  
 O heros inuicte armis, accingito renes  
 Ense tuo. immensus te manet vnus honor.  
 Gloria, honore, & ea alta magnificentia in hostem  
 Perrumpe: & tenta quicquid habere cupis.  
 Debitum honorem supremis virtutibus vnum  
 Acquires. cedit prosperitasque tibi.  
 Solus eris fœlix, hostes cunctosque domabis.  
 Peruades. quod tu (rex venerande) voles.  
 Immortale decus tibi (princeps) conciliabis:  
 Seruiet & subito gens aliena tibi.  
 Inscende. & vehere, ornata vt volitante quadriga  
 Per mundum. his rebus, quas Deus vnus amat.  
 Mansuetudo, fides, verum, iustumque quadriga  
 Vt subiris tibi sunt accelerata rotis.  
 Admiranda manus tua dextra, per omnia nunc te  
 Diriget: & quid agas conferet illa tibi.  
 Diuinum illud opus summo tibi cedit honoris:  
 Et palmæ illustri præmia læta feres.

Hostium acerborum regis, fera corda sagittæ  
 Veloces penetrant cuspidis arte suæ.  
 Abs te omnes validi populi sternantur. & illi  
 Iam victas tibi dent cum ratione manus.  
 O Deus alme tuum solium, sanctumque tribunal  
 Durat in æternum. cunctaque sæcla tenet.  
 Et regni sceptrum quo pacem, atque arma gubernas:  
 Iustitiæ sceptrum es, iuste monarcha, Deus.  
 Equus es, & iustus princeps: nullique seuerus.  
 Lenis iustitiam tu pietate tua.  
 Iustitiam redamas, iniuriam, & impietatem  
 Odisti. hanc pœna, vindice iure præmis.  
 Præ sociis idcirco Deus: Deus hic tuus vnxit  
 Lætitiæ vnguento, quo fluit omnis odor.  
 Quid? myrrham, stactem, cassiam tua splendida vestis  
 Spirat. & hæc omni fragrat odore bono.  
 Tu rex, è domibus prodis vestitus, eburnis:  
 In quibus, & lætè viuus, & esse cupis.  
 Hæc quodque tot regum gnata, pulchræque puellæ,  
 Hæc tua (splendide rex) ambitiosa colunt.  
 Ad dexteram regina tuam benè nobilis auri  
 In mundo, constat valde decora sibi.  
 Hanc sic alloquor. ausculta ô tu filia prudens:  
 Inspice, & hanc aurem tu mihi præbe tuam.  
 Atque tuum populum obliuiscere regia coniux  
 Nec patris vlla tui sit modò cura domus.  
 Rex etenim deamat formam, speciemque decoram:  
 Atque venustatem deperit ille tuam.  
 Est tuus hic Dominus. supplex veneraberis illum.  
 Illi tu flectes relligione genu.  
 Allatis donis vultum tuum in æde rogabunt  
 Vrbs opulenta Tyrus, filiolarumque Tyri:  
 Et dites populi illius. hæc clara insula. partu  
 Vrbes leptim, vticam vult genuisse sibi.

Fœdus amicitiae reuerenter inire studebunt.  
 Tecum, muneribus quæ tibi sponte dabunt.  
 Te venerabuntur, flexis genibusque monarcham  
 Hunc cunctis studiis, officiisque, colent.  
 Omnis reginæ decor vsque hæc intima: cultus  
 Huius & ornatus, maximus vnus honos.  
 Atque opere hoc phrygio illius omnis splendida vestis  
 Ritè deaurata est, & pretiosa nitet.  
 Fulget acu picta: & puro intertextitur auro.  
 Ducitur ad Regem sponsa decora suum.  
 Egregia forma cognatæ deinde puellæ  
 Post illam veniunt (summe monarcha) tibi.  
 Cum pompa illustri, ingenti, celebrique triumpho  
 Adducuntur in hæc regia castra tua.  
 Illa tua hæc subeunt miranda palatia, summo  
 Cum plausu, & choreis, lætitiæque noua.  
 Regalèmq; tuam dæmum adducuntur in aulam.  
 Illas exhilarat regia tota Domus.  
 Nec te pœnitet sed gaude ô regia coniux.  
 Quod tibi sint patris testæ relicta tui.  
 Rex, sponsisque tuus pulchra te prole parentem  
 Efficiet. curas leniet huius amor.  
 Illis pro patribus quos tu (ô regina) relinquis:  
 Succedent gnati qui caput orbis, erunt.  
 Illos namque duces præpones partibus orbis.  
 Totius, & populos sub ditione regent.  
 Nomen ego memorabo tuum omni posteritati:  
 Ut te omnes populi tempus in omne canant.  
 Donec syderibus concurrent sydera, donec  
 Et tumidos fluctus æquoris astra petent.  
 Et mundi ipsius tota compage soluta  
 Sæcula, & ætates finiet hora breuis.  
 Et dum diuisi turbabit fœdera mundi  
 Machina, supremo deperitura die.

Et si quid est ultra: vt tibi sit nocturne, diuque  
 Immortalis honos, perpetuumque decus.

PSALMV SX XLVI.

Deus noster refugium.

TITVLVS.

*Filiorum coræ adhortatorium carmen ad  
 Almoth canendum.*

ARGVMENTVM

*Ecclesia per Allegoriam munitæ vrbis, noceri non  
 posse docetur. Dominus enim ei adest.*

**P**erfugium nostrum Deus est in rebus acerbis:  
 Robur, & auxilium forte, repertus, hic est.  
 Robur, & auxilium quod quis vix dicere posset:  
 Nec satis exactè voce referre sua.  
 Ille est præsidium inuictum, & protectio firma  
 Rebus inaduersis, innumerisque malis.  
 Propterea nunquam constanti mentè timemus:  
 Contra nos etiam si moueatur humus.  
 Quamuis in vastam maris insurgentis abyssum  
 Montes voluantur, præcipitesque ruant.  
 Nec timor vllus erit, si magnos vnda tumultus  
 Edat. & insurgant æquoris omnis aquæ.  
 Si montes frendant per se, fastumque tumentem:  
 Nil poterunt nobis prorsus obesse minæ.  
 Est etenim fluuius Domini, qui principis urbem  
 Cum riuis recreat, lætificatque suis.  
 Illic excelsus Dominus tentoria sancta  
 Fixit: & hîc ædem gestit habere suam.  
 Illius in mediõ Deus est. nihil hîc patietur:  
 Quamuis sit multis vrbs agitata malis.  
 Quamuis obsideant, & cingant vndique sæui  
 Hostes Hierusalem, bellæque dura gerant.  
 Non ab eis tamen expugnabitur hostibus illi.

Præripiet victor cuncta pericla Deus.  
 Obsessum blandis verbis solabitur. omnes  
 Intrepidat vires colliget illa suas.  
 Fulgentem ante auroram. & summo manè. salutem  
 Auxiliùmque feret rex Deus ille potens.  
 Auxilio veniet: quoties opus hinc erit. ille  
 Dux exercituum proteget huius opes.  
 Barbara gens ædat furias, rabidòsque tumultus:  
 Cuncta truces motus regna superba ferant.  
 Imperia horribilis belli furor anxius omnis  
 Concitet. ista fremant seditione graui.  
 Ipsa fragore dato tellus concussa tremiscat.  
 Incutiátque trucem, terribilémque metum.  
 In nos hostilis virtus tanta ingruat. vt sit  
 Per similes sæui fluctibus illa maris.  
 Vndique diuisæ gentes in regna. seueros  
 In nos insultus sæua per arma gerant.  
 Est exercituum Dominus rex inclytus ille  
 Nobiscum. atque basis fortis ad instar, hic est.  
 Perfugium nostrum Iacob Deus. hæc ita res est:  
 Illis, quos seruat, nullus obesse potest.  
 Ergò venite. precor. memoratu digna videte  
 Mira opera. & Domini facta stupenda Dei.  
 Quasnam in ea terra rex fecerit vnus eremos:  
 Vastauit terram maximus ille Deus.  
 Hic denudauit regiones orbis ab ortu.  
 Solis, ad occasum, cunctipotente manu.  
 Hostibus extinctis citò sustulit horrida bella  
 A terræ cunctis finibus, vsque mare.  
 Arcum confregit fortem. celerésque sagittas:  
 Hastam concidit roboris arte sui.  
 Veloces tremulo combussit in igne quadrigas.  
 Desinite: & vehemens desinat ille furor.  
 Oppugnare meum populum desistite. victor

Pro

Pro sola populi pugno salute mei.  
 Noscite vos, quòd ego gentes sublimis in omnes  
 Sum Deus, & cunctos sub ditione rego.  
 Noscite, quòd tota in terra sublimis ego sum.  
 Et nil me solo fortius esse potest.  
 Nobiscum est dominus princeps exercitus omnis:  
 Assiduè nostris partibus ille fauet.  
 Perfugium nostrum Iacob Deus, arcis ad instar  
 Indomitæ. nobis est Deus ille potens.  
 O defensorem magnum, Dominumque potentem:  
 Bello expugnari solus in orbe nequit.

PSALMVS XLVII.

Omnes gentes plaudite manibus.

TITVLVS.

*Filiorum Coræ adhortatorium carmen.*

ARGVMENTVM.

*Gratulatio est super aliqua victoria, quæ typus  
 Christi rerum est.*

**O**Mnes ò populi manibus vos plaudite. voce  
 Vos exultanti iubila ferte Deo.  
 Nam excelsus Dominus mirabilis, inclytus & rex:  
 In tota terra magnus, & altus. hic est.  
 Subiecit nobis populos, gentésque feroces  
 Sub nostros duxit, deposuitque pedes.  
 Victricis palmæ nobis fuit author in hostes  
 Qui nostræ ignari religionis erant.  
 Elegit nostram sortem, stirpémque, decorem  
 Et florem Iacob, quem vehementer amat.  
 Cum clangore Deus fortis, victórque triumphans  
 In cælum ascendit, plectra canora sonant.  
 Ascendit Dominus qui bella subegit, & orcum  
 Cum lituis. & cum voce sonante tubæ.

H

Pfallite voce Deo, vos pfallite, pfallite regi  
 Nostro, pfallite. rex totius orbis, hic est.  
 Rex omnis terræ Deus est, cum industria abunde  
 Pfallite, nam victor regnat vbique Deus.  
 Gentibus & cunctis Deus imperat, & dominatur:  
 Et sedet in sancta sede, thronoque suo.  
 Subdunt primates populorum colla superba  
 Vero Abraham Domino, magnificoque Deo.  
 Vltro collecti hunc regem venerantur honorem  
 Summo, qui imperium totius orbis habet.  
 Namque super diuos, terræ regesque potentes  
 Et protectores, altior ille sedet.  
 Omnibus ille modis multo sublimior: illis  
 Est factus, parent omnia regna Deo.  
 Hunc latriæ cultu reges reuerenter adorant:  
 Illius & toto nomen in orbe colunt.

PSALMV S XLVIII.

Magnus Dominus &amp; laudabilis.

TITVLVS.

*Filiorum Coræ carmen laudatorium.*

ARGVMENTVM.

*Encomium est Ierosolymæ, quæ typus est ecclesiæ, &  
 cuiuslibet animæ fidelis.*

**M**agnificetur rex Dominus supremus, & ille  
 Multum laudetur victor in hoste potens.  
 Ille Dei nostri Solymam celebretur ob urbem.  
 Montem huius sanctum qui iuga celsa gerit.  
 Mons Zion Boreæ latus hoc qui spectat: & in quo  
 Urbis regis magni est nympha decore micans.  
 Regia magnifici regis sublimis in illa  
 Est, hæc terræ orbis totius omne decus.  
 Tractus amœnus hic est, ingens orbisque voluptas:

Illa est lætitiæ maximus vnus honos.  
 Hæc vrbs valde potens miranda palatia regis  
 Continet illustri nobilitate sua,  
 Memphis pyramidum miracula continet alta.  
 Inuictos muros hæc Babylonis habet.  
 Est in ea notus Dominus, quod protegat ædes:  
 Quæ excelsum in coelum tecta superba ferunt.  
 Nam ecce hic cum armati reges coguntur, & istuc  
 Prætereunt, istic & sua castra locant:  
 Cum contemplantur, sic consternantur, & illi  
 Attoniti fiunt, sollicitique, stupent.  
 Sic pavor, atque dolor parientum corripit illos  
 Istic, vt toto corpore sæpe tremant.  
 Et sic sunt animo fracti, vt cum horrore marinas  
 Naues comminuit dira procella noti.  
 Audiimus simul hæc, & vidimus vrbs in arce  
 Alta exercituum principis, atque ducis.  
 Urbis in arce Dei nostri, nos vidimus ista:  
 Illam perpetuo seruet ab hoste, Deus.  
 Sponte tuam exprimimus bonitatem nocte, dièque  
 In medio templi (rex Deus alme) tui.  
 Vt tua maiestas, ita laus spargatur in oras  
 Terrarum, pelagi finitimisque sinus.  
 Nam quæcunque facis, iuste facis (inclyte princeps)  
 Iustitia plena est hæc tua dextra potens  
 Altus mons Zion multum lætetur: & illi  
 Urbis qui Solymæ mœnia sancta colunt.  
 Exultent gnata: Iuda, omnesque illius vrbes  
 Propter iudicium (summe monarcha) tuum.  
 Vos Zion lustrate, & Zion cingite muros:  
 Et turres huius vos numerate viri.  
 Et cordi vestro vos commendate superbos  
 Illius muros, horribilesque minas.  
 Extruite illius hæc aurata palatia, celsas

Ædes, regales, magnificasque, domos.  
 Hæc vt narrentur venturæ posteritati  
 Hic Deus est noster perpetuusque, Deus.  
 Noster in æternum dux hic erit. & reget ille  
 Nos. curam nostri perpetuamque geret.

PSALMVS XLIX.

Audite hæc omnes gentes.

TITVLVS.

*Filiorum Coræ carmen adhortatorium.*

ARGVMENTVM.

*Rerum contemptus est.*

**A**udite hoc omnes populi qui habitatis in orbe:  
 Attentam hinc aurem vos adhibete mihi.  
 Vos imi, & summi. æque diues, pauper, inopsque  
 Aures arrectas ad mea verba date.  
 Multa loquar vobis sapienter. & hæc mea lingua  
 Disseret ex sophia. qua bene cuncta vigent.  
 Qua omnes res florent. cælo, terraque, marique:  
 Qua Dominus mundum regnaque cuncta regit.  
 Qua reges regnant. qua legum conditor omnis  
 Decernit leges. sanctaque iura viris.  
 Illa mei in verbum prudens meditatio cordis  
 Erumpet. vobis hinc ego docta loquar.  
 Diuertam ad vocem ornatam, paradigmamque verum  
 Hac acie ingenij, iudicijque mei.  
 Enigma obscurum proponam carmine. blanda  
 In cithara, psalmis dulcisonaque lyræ.  
 Qui sit, vt ipse diem metuam anxietate sinistrum  
 Tali vt circumferat me scelus acre mei?  
 Cur ero sollicitus (miserè cum viuitur) huius  
 De vitæ fluxis, mobilibusque bonis  
 Vt me condemnet sceleris, vitijque, meorum

Hic operum finis cum breuitate sua?  
 Non ero flagitij purus. si diuitis vna  
 Sors mihi sit melior conditione mea.  
 Nam ex his qui rebus fidunt. & se vndique iactant:  
 In multis opibus, quas peperere sibi.  
 Nemo suum fratrem redimit de morte feroci:  
 Auro, atque argento, diuitijsque suis.  
 Et dare propter eum mercem, pretiumque salutis.  
 Dulce Deo quauis conditione nequit:  
 Nec pretium est animæ huius. vt immortalis in orbe  
 Viuat. id æternum namque negatur ei.  
 Mors sua quæque manet. Dominos æquatque ministris.  
 Mors cæcis victrix cæca triumphat equis.  
 Morsque casis turres, & scepra ligonibus æquat:  
 In vinculum mutat mors diademata ducis.  
 Et mors, naturæ lex est. hominumque tributum.  
 Nullus diuitijs à nece liber erit.  
 Cernimus vt docti pariter moriantur in orbe  
 Ac stulti, & stupidi, qui rationis egent.  
 Cernimus vt post fata alijs inopina relinquunt  
 Diuitias, & opes. quas habuere sibi.  
 Ignotum hæredem post mausolæ sepulchra  
 Linqunt. in fumos deficiuntque breues.  
 Cernimus vt præter functum, putridumque cadauer:  
 Nil secum referant. cum sua busta petunt.  
 Quamquam hi decreuere suos habitare penates  
 Semper, & excelsas, egregiasque domos:  
 Marmoreas ædes, & eburna palatia luxu  
 Regifico. & miris tecta superba modis.  
 Quamquam fecere in terris sua nomina magna.  
 Vt mancant in ea posteritate sibi.  
 Sic nugis hi famæ quam vni æternæque salutis  
 Sponte infælici consuluere sua.  
 Inscriptere solo, non cælo nomina. cum sint



Facti cœlestis regis imago Dei.  
 Non datur hîc homini vt cum opibus requiescat, auarus  
 Sic est, semper eget nocte, diêque timens.  
 Sic fit iumentis similis, sic occidit ille:  
 Vt iumenta, sibi quæ sine laude cadunt.  
 Stultitia illius deprehenditur, hic sibi soli  
 Fidit: non Domino, perpetuôque Deo.  
 Spemque resurgendi ad vitam, æternamque salutem  
 Non habet ingratus, fœdifragusque Deo.  
 Floret vere breui, & Zephyro vt flos pulsus ab arcto.  
 Sed citò flat Boréas, & fera mortis hyems.  
 Stultorum tale est irer, horum sponte maligna  
 Posterî in his factis ingrediuntur idem.  
 Quos velut armentum in foueam mors æqua redactos  
 Pascit, & hos subigit lege potente sua.  
 Recti verò in lumine erunt, comitabitur illos  
 Lux rutilans, ex his iusta trophæa ferent.  
 In lucis radiis diues thesaurus eorum:  
 Immortalis erit solus in orbe Deus.  
 At sceleratorum veterascet gloria fluxa  
 Et thesaurus, opum fastus, & umbra fugax.  
 Et domus istorum fouea, infernûmque sepulchrum.  
 In quo terrores, suppliciumque ferent.  
 Hanc animam Deus ille meam feruabit ab orco:  
 Et redimet rabida de ditione necis.  
 Me pietate sua tandem solabitur ægrum:  
 Et mihi post mortem regna beata dabit.  
 Ne pau eas, cum prauus homo ditescit: & huius  
 Magnificè augetur gloria prima domus.  
 Tristi in morte sua secum nil auferet ex his  
 Diuitiis placidis huius auara manus.  
 Nec comes huius erit sua gloria valde superbas  
 Nec leuis ambitio fastus, & altus honos.  
 Ast anima illius, dum viuit in orbe: beata

Dicitur, & multis est in honore viris.  
 Quando bene est illi, laudatur ab omnibus, illi  
 Omnes applaudunt, blanditiâsque fouent.  
 Cùm verò ad patrum genus, hic descenderit: ille  
 Non cernet lucem, tempus in omne sibi.  
 Cùm in pretio est homo, propter opes nil cogitat: ille  
 Cùm sit pars mundi nobilis, atque decus.  
 Non solùm corpus, sed mens ad sydera tendens:  
 Cùm sit hic æterni factus imago Dei.  
 Nil reputat secum, at brutis confertur, & horum  
 Effrenem vitam luxuriosus agit.  
 Ille suæ ingratus præclaræ posteritatis  
 Authorem minimè indicat esse Deum.  
 Expers iudicij sibi fidere cepit. & ille  
 Est brutis similis conditione sua.

## PSALMVS L.

## Deus Deorum Dominus.

## TITVLVS.

## ASAPH Carmen.

## ARGVMENTVM.

*Comminatur Deum venturum, & iniustitiam nostram  
 increpaturum: quia ius eum colimus, quibus minimè  
 vult: & quibus maxime amat  
 coli, istic cessamus.*

**A**ccita terra ex occasu solis, & ortu,  
 Rex Deus omnipotens dicta tremenda dabit.  
 Ex Zion multùm illustri, multùmque decora  
 Quæ formæ flos est, & speciosus honos.  
 Rex Dominus veniens cum maiestate loquetur  
 Ius, generale suum iudiciumque feret.  
 Ille Deus noster veniet velocius Euro:  
 Nec tardam faciet sedulitate moram.

Ignis edax ipsum præcedet. circiter ipsum  
 Et vehemens turbo (quo magis vrat) erit.  
 Desuper hîc cœlum, terram infernêque vocabit  
 Testes. vt populum iudicet ore suum.  
 Iudicio, vt cum omni populo contendat. & illum  
 Vindictæ à rabida, perpetuâque nece.  
 Et pœna atroci, horrendâque tyrannide sœui  
 Demonis. illius terribilique iugo.  
 Ista suis sanctis Deus est sic verba locutus:  
 Vos ad me sancti iure venite mei.  
 Sacrorum ritus vos obseruastis. amici  
 Fœderis ô socij, participesque mei.  
 Hic promulgabunt rutilantes lumine cœli  
 Sanctum decretum, iustitiâque Dei.  
 Nam Deus æquus erit iudex. tu mi popule audi:  
 Nam loquar Israel, qui mihi testis eris.  
 Et te contestabor ego Deus. & Deus vnus  
 Ipse tuus, qui te tam vehementer amo.  
 Me tam sæpe tibi clementem expertus es vnum:  
 Seruauî assiduè te bonitate mea.  
 Num te accusaui. quòd non satis ipse sacrorum  
 Obruleris iusta conditione mihi?  
 Quamuis debueris mihi tu noctesque, diésque  
 Hæc offerre, tuas continuasque preces?  
 Quamuis debueris flammis holocausta litare  
 Perperuis, in eo ritus honore tui?  
 Num abs te petij taurum, pinguesque iuencos  
 Ex caulis, ouium num petijque tuis?  
 Omnes namque feræ quæ in siluis vndique degunt.  
 Sunt meæ, & in sola sunt ditioe mea.  
 Millia iumentorum in celsis montibus errant.  
 Exactè noui gaudia ruris, aues.  
 Quamuis componant nidos in montibus altis:  
 Aut nemorum latebras, aut iuga celsa petant.

Non me agri volucres paruæ, fœtusque loquaces  
 Præ famis inducta garrulitate, latent.  
 Non opus his habeo. sed si fortasse famerem:  
 Abs te nil peterem. nil tibi prorsus habes.  
 Nam meus est orbis terrarum, effusus vbique  
 Estque meum. toto quicquid in orbe vides.  
 Israel tu crede mihi. illa carne bouina  
 Non vescor. tauris non ego viuo tuis.  
 Nec mihi potus hic est hircorum sanguis. at ipse  
 Tu macta grates, vota, precésque Deo.  
 Et tua vota Deo gaudens tu redde supremo:  
 Excelsi numen tu venerare Dei.  
 Oppressum cum te vehemens afflictio vexat:  
 Tunc in me tua sit fixa suprema salus  
 Me subito implora. nec tu tibi cede molestus:  
 Nec sis impatiens, cum dolor ille premit.  
 Vt me magnifices in ea anxietate malorum  
 Te meus eripiet maximus vnus amor.  
 Sed contrâ. sic alloquitur Deus ipse malignum:  
 Quare promulgas illa statuta mea?  
 Cur meam & hanc legem enarras? cur sumis in ore  
 Sacrilego. fœdus tu scelerate meum?  
 Cum tu omnem rectam disciplinam oderis. & cum  
 Post tergum abiicias hæc mea verba tuum?  
 Tu curris cum fure. vsquam si nactus es illum:  
 Sors tua cum mœchis, spurcitiisque manet.  
 Tu strictas nunquam labiis imponis habenas:  
 Laxas os fallax ad mala cuncta tuum.  
 Concinnat tua lingua dolos per compita mordax:  
 Cum scurris, qui dant verba dolosa: sedes.  
 Ore venenato virus diffundis. amicum  
 In fratrem loqueris verba nefanda tuum.  
 Ex vno tu fratre venis generatus eodem  
 Sanguine, sola caro fœdere nexa tibi.

In gnatum matris falsissima crimina profers:  
 Et dum dissimulo, perfidus ista facis.  
 Adde, tui quòd me similem arbitraris, & istud  
 Persuadet falsò lingua dolosa tibi.  
 Ast ego mendacem te castigabo flagellis:  
 Criminibúsque tuis digna flagella feres.  
 Omne scelus, vitámque tuam simul ordine ponam:  
 Te arguam, in hos oculos me statuámque tuos.  
 Vos, quibus ex animo bona mentio numinis alti  
 Excidit: ista (precor) dicta tenere mea.  
 Ne vos quum rapiam ad tormenta grauissima, desit:  
 Qui vos eripiat vi vehemente sua.  
 Qui laudem, grátisque bonas mihi mactat, & offert:  
 Hic me magnificat, laudat, honorat, amat.  
 Hácque via recta, huic certam monstrabo salutem  
 Atque Dei aternas prosperitatis opes.

## PSALMVS ET.

Miserere mei Deus secundum magnam.

## TITVLVS

*Dauid carmen adhortatorium super eo, quòd Nathan propheta venerat ad eum, cum consuetudinem habuisset cum Bathsaba.*

## ARGVMENTVM.

*Mens adulterij, & homicidij sibi conscia, anxie orat, vt Dominus pristina fiduciã, & animi tranquillitatem restituat.*

**S**Vmme Deus miserere mei, me respice vultu  
 Clementi, & solita pro bonitate tua.  
 Immenſa pietate tua, mea crimina dele:  
 Et vitæ sordes elue (quæſo) meæ.  
 Vindicem ego Dominum non sentiam, at ipse benignũ

Patrem, qui gnatum semper amore fouet.  
 Fons es inexhaustus pietatis, & huius abyssus:  
 Totus es immensæ tu pietatis amor.  
 Est nostris vitiis bonitatis gloria maior:  
 Et prorsus nostris est superata malis.  
 Namque tibi proprium est misereri, & parcere semper:  
 Vulneribus grauibus (quæſo) medere meis.  
 Ingens illa tua excedit miseratio cælum.  
 Ergò propter eam tu mihi parce Deus.  
 Tu magis, atque magis pietatis fonte profundo  
 Ablue me à vitio, flagitioque truci.  
 A scelere admisso me munda, namque reuersus  
 Ad me cognosco nunc scelus omne meum.  
 Peccatum horribile afflicto non excidit vnquam:  
 Me scelerum laruæ nocte, dièque premunt.  
 Ante meos oculos vitæ versatur imago.  
 Culpa grauis, mæsto quæ mihi terror inest.  
 Perfero mille cruces. heu testes sunt mihi mille  
 Conscia mens, quæ infert dira flagella mihi.  
 Solùm in te peccasse dolet, vultumque benignum  
 Irritasse tuum crimine sæpe meo.  
 Atque malum fecisse dolet, facinúsque nefandum  
 In nitidis oculis (rex venerande) tuis.  
 Ergò tuum iuxta verbum, scèdúsque fidele  
 Iustifica iniustum, quem necis arma premunt.  
 Iustitiæque tua (cùm sis æquissimus, ô Rex)  
 Munda me, nil me scèdius esse potest.  
 Si mihi condonas meritò illud crimen iniquum  
 Perfido, hic ô iudex iustus, & æquus eris.  
 Omnibus in pactis seruandis vndique constans  
 Semper eris, princeps, atque monarcha, Deus.  
 In damnandis illis qui respiscere nolunt  
 Iustus eris verbo, iudicióque tuo.  
 Commerita ipse mea (oro) ne reminiscere: vince

Hostis nequitiam tu bonitate tua.  
 Arguit hic hostis, pactis te sistere nolle:  
 Sic erit hic mendax. verus, & æquus eris.  
 Ecce ego sum natus cum summa mole doloris  
 In vitæ exilio, tristitiæque, meæ.  
 Et me cum vitio mater concepit atroci.  
 Concepto culpa est sic gemina mihi.  
 Exul ego, hæres peccati, sed filius iræ  
 Natura. quid? in hac carne duella fero.  
 Me trahit inuitum noua vis. aliudque cupido:  
 Mens aliud suadet. nec meliora sequor.  
 Ipse bonum video. malum ego quod mente fideli  
 Odi. captiuus carne rebellis, ago.  
 Ex illa lucis naturalis origine, noxa  
 Corporis in membris insita, sæpè furit.  
 Illa reluctatur ratio, cum carne superba.  
 Cerno in me toto nil habitare boni.  
 Infelix ego homo. quis me de corpore mortis  
 Illius eripiet? gratia vera Dei.  
 Liber iustitia, captiuus carne feroci  
 Vincior inuitus cum ratione mea.  
 En verò fiduciæ ita illo robore firmo  
 Delectaris, vt hic me docuisse velis.  
 Vt tu in corde tuas leges mihi profus inerti  
 Notas abstrusa feceris arte tua.  
 Quæ veram sôphiam redolent. vitæque salutem  
 Æternæ spirant, regnæque celsa Dei.  
 Spiritus ille tuus mihi dotes præstitit illas  
 Hoc, arcana mihi valde profunda, refers.  
 Impulsu carnis vitiata lapsus ego sum  
 Turpiter. ipse fidem semper amare soles:  
 Candorem fidei qui his in penetrabilibus imis  
 Pectoris insitus est, tu bonitate, probas.  
 Non sum ab eo (bone rex) omninò alienus.

Honestâ fultus amicitia. sine fauore tuo.  
 Nec tam nequitia admisi hoc scelus. (optime princeps)  
 Quàm victus cupido carnis amore meæ.  
 Sed solidam sôphiam occulto spiramine tu me  
 Non dedignaris lege docere tua.  
 Hyssopo viridi me lustra. si facis illud  
 Atris mundabor sordibus ipse meis.  
 Me laua (ô summe Deus) quod si me laueris alba  
 Fiam lucidior, candidiorque niue.  
 Tu mihi lætitiæ iucundus nuncius adsis:  
 Et solitæ vitæ gaudia plena refer.  
 Ossa exultabunt. quæ tu mihi comminuisti:  
 Quæ sunt vulneribus saucia facta tuis.  
 Formosam faciem auerte à fœtantibus illis  
 Peccatis. dele tu scelus omne meum.  
 Pectoris immundi contagia fœtida tolle:  
 Et mihi cor mundum tu (Deus alme) crea.  
 Integrum renoua tu spiritum (ô summe creator).  
 Intra me. vt pura dem tibi mente preces.  
 Ne me à conspectu abiicias. solitòque fauore  
 Tu me destituas. dum scelus vrget atrox.  
 Spiritum at ipse tuum sanctum qui gaudia præbet  
 A me non aufer. sanus vt esse queam.  
 Lætitiâ ipse tuæ mihi plenam redde salutis:  
 Me tuus hic princeps spiritus arte regat.  
 Munificus, stabilisque tuus me spiritus ægrum  
 Fulciat. & præsta robur, opémque mihi.  
 Et transgressores iucunda voce docebo:  
 Vt possint in iter se reuocare tuum.  
 Et peccatores ad te (Deus alme) redibunt.  
 Exemplo instructi, commonitque meo.  
 Vriam in aduerso pugnæ furiente, peremi:  
 Vxoris læsi, furtipuique, torum.  
 Connubique torum illius violasse pudicum

Pœnitet, hanc cædem (quæso) remitte mihi.  
 De scelere eripe me (tu mi Deus alme) cruento.  
 O Deus omnipotens, ô mea sola salus.  
 Infonstem iugulasse virum, me pœnitet, ingens  
 Culpa reum fecit fraude, doloque malo.  
 Fallax culpa reum fecit, sed gratia culpam  
 Vincat, vt in magno crimine crescat honos.  
 Tu mihi condona pœnas cædisque reatum:  
 Lex mihi dat mortem, parce benigne Deus.  
 Vt cum lætitia totos mea lingua per annos,  
 Iustitiam celebret laudis honore tuam.  
 Iustitiam pietate pari (qua sponte remittis  
 Et scelus, & pœnas) iuste monarcha, tenes.  
 Iustificas gratis sceleratum, & parcis abundè  
 Illis, qui crimen pœnituisse volunt.  
 Adperias mea labra Deus rex maxime; laudem  
 Os meum vt exponat cordis amore, tuam.  
 Si tibi grata foret gladio mactanda per aras  
 Victima nunc gaudens hæc tibi sacra darem.  
 Iratum sed te non mitigat hostia pinguis:  
 Nec mentem oblectant hæc holocausta tuam.  
 Victima grata Deo, contritus spiritus, & cor  
 Fractum, atque afflictum vulneris igne graui.  
 Ob scelus admissum, concussum, & valde minutum:  
 Heu fecisse scelus pœnitet, atque pudet.  
 Hæc non contemnis Deus ergò è culmine cæli  
 Prosequere hanc Zion tu bonitate tua.  
 Ierusalem vt sancti muri seruentur: & urbem  
 Legibus instituas, ædificesque tuis.  
 Nam sic sacra feram tibi puro pectore quæ sunt  
 Iustitiæ internæ signa decora tuæ.  
 Semper erunt accepta tibi sacra pura meorum.  
 Cum mactanda scient hæc holocausta tibi.  
 Vt non illa suo purgent delicta cruore:

Nec cuncta extra horum quæ vorat ignis edax.  
 Sed magis vt sordes sceleris testentur iniqui  
 Deleuisse (Deus) te pietate tua.  
 Est tibi pro sacris animus sua crimina lugens.  
 Imploransque tuæ (rex) pietatis opem.  
 Sic bene sacrifici vitulos, taurisque per aram  
 Imponent, vt agant hæc sacra grata tibi.

## PSALMVS LII.

## Quid gloriaris in malitia.

## TITVLVS.

*David adhortatorij generis Maschil, id est admonitio super eo quum Doeg Idumæus detulit ad Saulum, quod David venisset domum Abimelech.*

## ARGVMENTVM.

*Obiurgat linguæ temeritatem, ac docet eam excidij vindictam manere.*

**O** Superi, diuique boni quid tempore toto  
 Magnificas, te vnum flagitiosè gigas?  
 Quid cristas (scelerate) tuas nunc erigis? ore  
 Sed cur effreni facta nefanda probas?  
 An nunc ignoras falsò bonitate benigna  
 Inuictum Dominum semper adesse bonis?  
 Cur tua perniciem molitur lingua. quid inquam  
 Verbum damnosum, pestiferumque, vomit?  
 Est tua lingua ferox, vt acuta nouacula, sciens:  
 Quæ penetrare sua cuspide cuncta solet.  
 Quæ barbæ ressecans crines violenter aberrat:  
 Et iugulum inuisa prodicione petit.  
 Cur tu nequitiam potius quàm mentis honestæ  
 Præmia tu fallax proditor vnus, amas?  
 Cur potius redamas mendacia dicere vana

Quam verum? ô facinus, flagitiûmque nocens.  
 Perniciosa viris tu diligis omnia omnia verba:  
 Lingua dolosa. scelus cur placet omne tibi?  
 Ergo extirpabit te funditus hic Deus. & te  
 Perdet, & abradet. prorsus ab æde tua.  
 Diruet è tecto castrensi. diruet inquam  
 E templo sancto te, violente manu.  
 Cæde sacerdotum pollutus, polluis illud  
 Ingressu pastor sanguinolente tuo.  
 Viuorum è terra Dominus iustissimus ille  
 Radicem euellet (sæue tyranne) tuam.  
 Quod dum conspicient iusti: per sæpe stupebunt:  
 Et venerabuntur numen, opemque Dei.  
 Et te cum stultis illis conatibus ipsi  
 Ridebunt. dicent, en ferus iste gigas.  
 Qui sublime suum robur non fecit. amicum  
 Inuictum armorum, militiæque, Deum.  
 In multis opibus posuit spem. & fidit atroci  
 Admisso sceleri, flagitiôque suo.  
 Et vitis illi ambitiosa potentia cunctis  
 Adfuit. vt cunctis maior in orbe foret.  
 Ast ego in æde Dei viridans vt oliua, virebo.  
 Et florem, & fructus ipsius ille feram.  
 In bonitate Dei semper sperabo potentis.  
 Ex animo nunquam decidet illa meo.  
 Persoluam æternas grates tibi pectore mundo.  
 Pro his. quæ fecisti (Rex venerande Deus)  
 Sponte colam sublime tuum super omnia nomen:  
 Nam sanctis gratum est. propitiûmque, tuis.

PSALMVS LIII.

Dixit insipiens in corde suo.

TITVLVS.

*David adhortatorij generis super hereditate admonitio.*

ARGVMENTVM.

ARGVMENTVM.

*Peccatores, atque adeo impios omnes esse, impios  
 Dei timorem simulare, potius, quam habere:  
 salutem piorum esse à Domino.*

**V**Ani insano dicunt, non est Deus, isti  
 Sic labuntur ob id crimen in omne ferox:  
 Dum rabido cupiunt obtendere vela furori:  
 In mundo affirmant omnia forte regi.  
 Illius arbitrio tempus moderantur, & huius  
 Fingunt, & suadent nomen inane Dei.  
 Facti sunt vitis corrupti, illique rebelles  
 Demissis frænis in mala quæque ruunt.  
 Illorum vita execrabilis omnibus extat:  
 Nec quisquam ex cunctis qui benè solus agat.  
 Ad gnatos hominum Dominus prospexit ab alto  
 Cælo, mortales vidit ab arce sua.  
 Vt visu mundum penetrante videret, an esset  
 Qui saperet vera cognitione Deum.  
 Qui Dominum tandem perquireret anxius, à quo  
 Posceret auxilium præsidiumque suum.  
 Illic quisque sibi defecerat, & simul omnes  
 Corrupti studiis impietatis, erant.  
 Nemo bonum certè faciebat. non erat vnus  
 Qui grata coleret religione Deum.  
 Nonne illis manifestum est, nonne hi noscere possunt:  
 Quod damno faciunt quæque nefanda suo?  
 Quod faciunt animo scelerato crimina cuncta  
 In regis regum dulcia iussa Dei?  
 Quod populum meum, & huius viuum corpus, & ossa  
 Vt frustum panis dente rapace vorant?  
 Nonne sciunt, quod non inclamant in sua vota  
 Eternum puræ mentis honore Deum?  
 Quid sibi non metuenda timent? disperdet eorum

I

Qui tibi bella mouent robur, & ossa Deus.  
 Et qui te oppugnant, Domino sternentur ab alto.  
 Confundes illos, vt mala cuncta ferant.  
 Nam Deus omnipotens bellator abhorret ab illis:  
 Et contemnit eos conditione sua.  
 Quis dabit Israël de Zion monte salutem?  
 Hanc illam expectat nocte, diéque sibi.  
 Vt cum captiuum populum Deus ille benignus  
 Restituat, Iacob gaudia plena ferat,  
 Et lætetur ouans Israël liber ab hoste  
 In pace assidua: Qua darur omne bonum.

PSALMVS LIIII.

Deus in nomine tuo saluum me fac.

TITVLVS.

*Dauid adhortatorij generis ad organa admonitio super eo quòd Ziphæi abibant, & dicebant Saulo, quòd Dauid lateret, apud ipsos.*

ARGVMENTVM.

*Inuocatio est, In magna necessitate, & beneficiorum agnitio.*

**P**ER nomen tuum, ô omnipotens Deus arbiter orbis  
 Salua me, & causam suscipe (quæso) meam.  
 Et virtute tua, me vlcisere: Tu Deus audi.  
 Tristia vota, meas assiduâsque preces.  
 Et verbis oris querulî trepidantibus aurem.  
 Præbe, ne durus questibus esse velis.  
 Nam insurgunt in me furibundi sæuiter hostes:  
 Me cinctum inuadunt obsidione graui.  
 Infontem vitam violenti (ô Rex bone) quærunt  
 Vlla non habita nunc ratione tui.  
 Hoc ita res habet, est res perniciofa, timore

Clementis Domini sponte carere Dei.  
 Iure sed ecce Deus, protector ab hostibus illis  
 Oppresso auxilium, præsidiumque tulit.  
 Hanc animam afflictam Dominus sustentat, & ille  
 Reddet inhumanis hostibus omne malum,  
 In verace fide, & promisso quod dedit, illos  
 Iustè subuertet, diminuétque citò.  
 Munificè ergò tibi faciam mea sacra, benigne  
 O Domine, extollam nomen in orbe tuum.  
 Idque fatebor, & è terrâ vsque ad sydera cœli  
 Et supra cœlos, laudibus ipse feram.  
 Est bonum, & excellens, & semper amabile cunctis.  
 Nobilis est palmæ robur, & vna salus.  
 In te sperantem me ex cunctis rebus acerbis  
 Eruit, vt victor pulchrâ trophæa feram.  
 Vt victos hostes oculus meus agmine rupto  
 Despiciat, stratos & modò cernat humi.  
 Nominis illa tui bonitas, & gratia, virtus  
 Inuicta, & mitis, præcipuusque fauor.  
 Illam victricem palmam, insignemque triumphum  
 Contulit, ergò tuum nomen in orbe canam,  
 Atque tuas laudes celebrabo versibus illis  
 Quòd me victorem feceris alme Deus,  
 Hostibus ex illis capitalibus optime princeps  
 Tu sumis pœnas, quas meruere sibi.

PSALMVS LV.

Exaudi Deus orationem meam.

TITVLVS.

*Dauid adhortatorij generis ad organa admonitio.*

ARGVMENTVM.

*Anxia oratio est dum amici à nobis alienati atrocius in nos sæuiunt, quàm hostes.*

**E**Xaudi mea vota Deus, tristisque querelas:  
 Aurem tu precibus nunc adhibere velis.  
 Ne auerere preces querulas, attende parumper:  
 Et responde mihi, cum dolor urget atrox.  
 Me precor exaudi, dum mœsta exordia sumo  
 Cum strepitu, vocis continuoque sono.  
 Dum turbatus ego illic mente tumultuor agra:  
 Dum me huc, atque illuc commouet ille dolor.  
 Dum nunc oro mea conturbor voce dolenti:  
 Sæui hostes odiis, opprobriisque premunt.  
 Vociferantur, & ingenti clamore minantur:  
 Me reprobis infestant impietate sua.  
 Qui mihi mendaces obtrudunt crimina falso:  
 Atque irati instant fraude latente mihi.  
 Intra me cor triste labascit, & irruit in me  
 Mortis crudelis, terribilisque metus.  
 Et timor, atque tremor ceciderunt acriter in me  
 Vndique me cingens obruit horror atrox.  
 Et reputo mecum, ô si ala pennæque columbæ  
 Dentur: & hinc liceat transuolare mihi.  
 Vt distractus ego tuto requiescere possim:  
 En procul arriperem (mi Deus alme) fugam.  
 Et diuiterem ego ad vastam hic obsessus eremum:  
 Sollicitæ vitæ consuleremque fuga.  
 Ocyus & rapido vento, atque hoc turbine flanti  
 Euadens, possem mox properare viam.  
 O Domine omnipotens, requies tranquilla, piisque  
 Vindex, & pacis totiùs vnus amor.  
 O æterna fides constans, pietatis abyssus:  
 Ingens, iustitiæ sol, & origo boni.  
 O exercituum princeps, bellique triumphus:  
 O pax quæ deles seditiois opus.  
 Dissipa, & excinde horum linguas valde loquaces.  
 Vidi urbem plenam seditione truci.

Hinc iniuria, fraus, conuitia, iurgia regnant:  
 Et capiunt vires, imperiumque suum.  
 Hæc huius muros circumdant nocte, dieque:  
 Huius at in medio stat labor, atque dolor.  
 Nequitia ipsius in medio est, nec scœnus iniquum:  
 Nec dolus è plateis omnibus huius abest.  
 Quod si illata mihi damnosa calumnia, seruo  
 Efflet ac hoste meo, lenior illa foret.  
 Si meus hic os for cristas attolleret in me  
 Aut probris vellet me lacerare suis.  
 Illius effugerem consortia praua: sed ô tu  
 Fide comes, consors consiliique mei.  
 Et tu ô collega, & commilito, amice sodalis:  
 Note mi, & vnanimis scœderis arctus amor.  
 Cui secreta mea, atque arcana suauiter ipse  
 Credidi, amicitia qui mihi pignus eras.  
 Quo cum, sponte Dei domum amicus si dus adiu  
 Et cum lætitia, colloquioque bono:  
 O mors, iure tuo nunc irruere fortis in illos.  
 In foueam & viui præcipitanter eant.  
 In domibus, prauisque diu penentralibus horum.  
 Nequitia regnant, & scelus omne viget.  
 Ast ego contra horum insidias, fraudesque latentes  
 Clamaui ad dulcem, propitiùmque Deum.  
 Et me saluauit Dominus, succurrere mœsto  
 Non dedigatus pro bonitate fuit.  
 Vespere, mane, die mediâ, sum verba locutus  
 Institit hæc mea mens, & sua vota dedit.  
 Audiuit Dominus querulæ suspitiâ vocis.  
 Nec vocem auersa respuit aure meam.  
 Ægram animam vere, gratisque redemit, ab illis  
 Qui instabant misera prodicione mihi.  
 Restituit placidam pacem: nam turba ruebant  
 In me qui insidiis vndique cinctus eram.



Quò plures aderant, Domino mea vita, salúsque  
 Maiori curæ per mala tanta fuit.  
 Audiit hic (inquam) Deus, altus in orbe monarcha  
 Qui semper stabili regnat vbique manu.  
 Illos depressit, quoniam spes non erat horum.  
 Quòd mutarentur conditione sua.  
 Non etenim Dominum reuerentur cordis amore:  
 Illum nec vera religionem colunt.  
 Ergò misit in hos qui aderant sua cura peculi.  
 Dextram, fecit eis irrita pacta sua.  
 Omnibus in verbis blandis est mitius horum  
 Os butyro, sed agunt prælia corde truci.  
 Lentior est oleo sermo perdulcis eorum.  
 Cùm sit atrox gladius me iugulare parans.  
 Ergò tui curam Domino, qui dat tibi vitam  
 Commenda, victum conferet ille tibi.  
 Si premit ægra fames, te nutriet, hostibus vt tu  
 Obstes, atque vias diriget ille tuas.  
 Te reget, & te confirmabit, nec sinet vnquam  
 Iustum prosterni, destruíque loco.  
 Sed sæuos homines qui effuso sanguine gaudent.  
 In puteum interitus tu Deus alme trahes.  
 Dimidium ætatis viridis, vitæque, dolosi  
 Non cernent, illos mors inopina premet.  
 Immatura nequit mors iusto occurrere, certa  
 Mors, animis finis carceris esse solet.  
 Integritas etenim vitæ, lanugine prima  
 Adfert maturæ tempora certa necis.  
 Infantes, pueri, iuuenes in flore iuuentæ  
 Si pereant, metas hi tetigere suas.  
 Ast sibi promittit longissima tempora vitæ  
 Impius, & nunquam cogitat ille mori.  
 Quò fit vt hic nunquam maturos expleat annos:  
 Annos si centum viuat in orbe sibi.

In te sperabo (Domine ò spes vnica mundi)  
 Nam ex his me solues, eripiésque malis.

## PSALMVS LVI.

Miserere mei Deus, quoniam conculc.

## TITVLVS.

*David adhortatorij generis super muta & peregrina columba* *Χλιδάω* *id est deliciae cum scilicet comprehendissent eum Palestini in Geth.*

## ARGVMENTVM.

*Queritur se innocentem peti, orat vt Dominus adfir.*

**T**V miserere mei Deus, est qui ope prorsus inanem  
 Me vnum conculcat præ feritate truci.  
 Oppugnando me assiduas affligit in horas:  
 Afflictóque mihi prælia dura mouet.  
 Me ægrum conculcant inimici tempore toto.  
 Et sum delatus publicus hostis ego.  
 Sunt etenim multi qui oppugnant fronte superba  
 Me qui nil feci, commeruique mali.  
 Quo me cúmque metus momento inuadit, & vrget:  
 In te spero Deus, spes mea sola manes.  
 In verbo, pactoque Dei qui fœdera seruat  
 Glorior, in fortem spero repentè Deum.  
 Quid mihi sæua caro faciat, quæ concitet arma:  
 Non metuo, Domini robore cinctus ego.  
 Has res sponte meas affligunt semper, & illi  
 Afflictó tentant mille nocere modis.  
 Si quid ego dico, & facio: mordaciter instant  
 Consilium capiunt fraude, maloque meo.  
 In me conspirant, alienant longius à me:  
 Et sese abstrudunt, insidiásque parant.  
 Obseruantque pedum vestigia lubrica, pressam

Vt capiant animam, quam cruciari volunt.  
 Sed frustra faciunt, turò elabetur ab illis.  
 Nam iratus populos deiicis (alme Deus)  
 Illos præcipitas, voluisti per ardua saxa:  
 Ipse meas noscis, dinumerasque fugas.  
 Tu lachrymas tristes quas fundo, reponis in virem:  
 Illas nec tu vis iure perire bono.  
 Num tuus ille liber rationum continet illas  
 Vt memor illarum sis pietate tua?  
 Quo te cumque die (Deus) inuoco, protinus hostes  
 In celerem vertunt turpia terga fugam.  
 Quò certus fio, quòd tu meus es Deus vnus.  
 In verbo inuicti gloriator ipse Dei.  
 In Domini verbo nunc gloriator ipse potenti:  
 In solum spero nocte, dièque Deum.  
 Non metuam quid homo faciat mihi, mi Deus, ad te  
 Vota feram, & grates hinc tibi saluus agam.  
 Oppressam hanc animam eripuisti à morte, pedesque  
 A lapsu, vires suppeditasque mihi.  
 Firmus vt incedam viuorum in luce suprema,  
 Coram illo illustri principe, rege Deo.

## PSALMVS LVII.

Miserere mei Deus, Miserere mei.

## TITVLVS.

*David adhortatorij generis. Althas hath, id est ne per-  
 das adpellatum. David, id est, deliciae super eo scilicet,  
 cum Saulum fugeret in speluncam.*

## ARGVMENTVM

*Gratiarum actio est super liberationis de ingentibus  
 periculis, beneficio.*

**T**V miserere mei Deus, anchora sacra salutis:  
 Tu miserere mei spes mea, vira, salus.

Illam meam ægra anima in te fudit, pendet ab vno  
 Te qui es seruator, conditor, atque Deus.  
 Torus in alarum placidam vmbra(m) spero tuarum:  
 Donec atrox abeat, prætereatque, scelus.  
 Hinc à me donec pertransseat impius hostis:  
 Totus ad excelsum gutture clamo Deum.  
 Excellsi, verique Dei qui me vndique tandem  
 Perficit, imploro numen, opemque peto.  
 Is cælo mittet, me hinc conculcantis in horas  
 Opprobrio eripiet. liber vt esse queam.  
 Ille (inquam) mittet cælo, bonitate fideli:  
 Illius est constans tempus in omne fides.  
 Stabit pollicitis, quibus est nil verius vnquam:  
 Seruabitque bona nunc sua pacta fide.  
 Eximet in medio furientum ardore leonum  
 Hanc animam obsessam. quæ tremebunda, iacet  
 Nempe inter gnatos hominum qui bella minantur.  
 Versari cogor, nec datur vlla quies.  
 Illorum dentes, sunt hastæ, & spicula, acutus  
 Est gladius, fallax lingua venena vomens.  
 Gloriam, & eximium altæ maiestatis honorem  
 Atque tuam laudem fer super astra, Deus.  
 Hancque super cælos omnem terramque repente  
 Exalta, cum sis omnibus vna salus.  
 Tu fac agnoscaris ab omnibus auxiliator  
 Omnipotens, vt te semper vbique colant.  
 In vitæ insidias, animæ sceleremque ruina(m)  
 Rete latens pedibus composuere meis.  
 Ante meos oculos foueam fodere profundam.  
 In quam ipsi incauti, præcipitesque cadent.  
 Sed quid pro meritis tantis tibi reddere possim?  
 Deuotum est tibi cor (mi Deus alme) meum  
 Cor meum in omni seruitio, obsequioque paratum:  
 Vt psallam, & cantem maxima gesta, tua

Quicquid ego possum, expetgiscere mens mea pröpta:  
 Tu cithara euigiles, atque canora chelys.  
 Expetgiscar, quam maturrimè, vt (ò Deus) vnum  
 Te celebrem in populis, & tua gesta canam.  
 Gentibus in cunctis vt te Deus optime cantem:  
 Nominis hanc famam commemorémque tui.  
 Nam altos pertingit bonitas tua maxima cælos,  
 Et nubes celsas hæc tua vera fides.  
 Gloriam, & eximium altæ maiestatis honorem  
 Atque tuam laudem fer super astra (Deus)  
 Hanc super hos cælos, omnem terramque repente  
 Exalta: cum sis omnibus vna salus,  
 Tu fac, agnoscaris ab omnibus auxiliator,  
 Omnipotens, vt te semper vbique colant.

## PSALMVS LVIII.

Si verè vtique iustitiam loquimini.

## TITVLVS

*David adhortatorij generis. Ac Thasch. Herx. id est  
 ne perdas  $\chi\lambda\iota\delta\omega\nu$ . id est deliciae.*

## ARGVMENTVM.

*Impiorum audacia describitur, à teneris, &  
 quis eos maneat exitus.*

**I**ustitiam verè si mente reuoluitis, ò vos  
 Gnati hominum, æquum ius, iudiciùmque date.  
 Sed concinnatis vos vestro in corde maligno,  
 Nequitiam, atque animo textitis omne scelus.  
 In terra ad furtum occultum, dulcémque rapinam  
 Porrigitis vestras (ius violando) manus.  
 Tanquam expendatis iusta vos omnia lance:  
 Sic pro iustitia venditis omne nefas.  
 Vobis iudiciùm nihil est, nisi publica merces:  
 Iuris, an officij gratia, crimen habet?

Impij in hanc lucem æditi aberrant matris ab aluo.  
 Cœperunt loqui vana, meròsque dolos.  
 Est furor illorum similis feritate furori  
 Anguis, qui matris viscera rodit atrox.  
 Obrurant aures patulas surdè aspidis instar.  
 Quæ magicas artes calliditate fugit.  
 Quæ incantatorum vocem non audit amicam.  
 Quantumcunque illi carmina docta canant.  
 O Deus ipsorum dentes tu prorsus in ore  
 Contere, ne lacerent nomen in ore bonum.  
 Tuque leonum auidos catulorum frange molares  
 O Domine omnipotens qui sacra iura colis.  
 Liquescant vt aquæ, sicque horum diffuat humor.  
 Diffuat in nigrum, tartareùmque chaos.  
 Cùm in me veloces vibrant, torquentque sagittas:  
 Frangantur subitò, cùm per inane volant.  
 Authores damni illius frangantur, vt illæ:  
 Cùm mihi nil merito noxia damna perant.  
 Vt limax liqueant, & sit conatus eorum  
 Irritus, in fonti nam mala quæque parant.  
 Sicut abortiuum mulieris inane, priusquam  
 Solem conspiciat, morte perire queant.  
 Antequam & illorum spinæ sub tempore veris  
 Crescant in rhamnum, turbine flante cadant.  
 Mox viuos illos valde acri turbo furore  
 Tollat, vt euersi præcipitentur humi.  
 Sic exultabit iustus, cùm iure videbit  
 Vindictam, iustum suppliciumque mali.  
 Abluet ille pedes scelerati in sanguine fuso:  
 Et dicer, quisquis viderit illud opus.  
 Et certè iustum merces manet optima, terram  
 Iustus, & omnipotens vindicat ille Deus.  
 Est orbis Dominus iudex æquissimus horum  
 Quæ in terra fiunt, & moderatur eam.

Eripe me de inimicis meis.

TITVLVS.

*David adhortatorij generis AL Thasch. Heth. Id est, ne perdas. אֲדַוָּר. id est deliciae, super ea re, quando misit Saul, vt vallaretur domus eius & occideretur.*

ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio, & oratio est, qua obsecrat, vt tam impudenter peccantes, & insidiantes extirpentur.*

**M**E Deus inuictus, Dominus meus eripe cinctum  
 Hostibus à rabidis qui mihi bella parant.  
 Et tu victor ab his qui insurgunt sæuiter in me  
 Protege me, vallant obsidione domum.  
 Ex his qui faciunt scelerate, me vndique pressum  
 Eripe, conspirant in necis omne scelus.  
 Ex illis sæuis homicidis me modò salua:  
 Sanguine nam cupiunt se fatiare meo.  
 Ecce meæ texunt animæ quæ concidit ægra  
 Insidias in me terribilésque ruunt.  
 Nil ego commerui, nil sum trasgressus, in illos  
 Nil ego peccaui, rex bone, iuste Deus.  
 Ah properant citra scelus, accinguntur, & vrgent:  
 Exurge, atque vide, fer mihi promptus opem.  
 Quin tu mi Domine, & princeps exercitus omnis:  
 Princeps armorum, militiæque Deus.  
 O Deus Israel vindex exurgito, gentes  
 Omnes vt mulctes tu ditione tua.  
 Nec miserere Deus cunctorum qui malè setum  
 Abscondunt animo crimina vera suo.  
 Vesperam ad vsque, errent: nunc huc, illucque vagentur:

Nunc vrbis plateas, circuitusque petant.  
 Oblatrent illi, diffundant murmur inane:  
 Vt canis oblatrans, impatiensque famis.  
 Cum rabie horribili canis vt venaticus vrget  
 Prædam, me lustrant, & feritare premunt.  
 Fulmineo ore suo en mox obruit hæc fera turba.  
 Illi in me fraudes, perniciemque parant  
 In labiis horum gladii sunt, nil nisi cædem:  
 Nil nisi sanguineum sæpe loquuntur opus.  
 Nam quis in hos animaduertit, nisi tu Deus illos  
 Rides, & vanas destruis ipse minas?  
 Hos nisi subannas, & gentes despicias omnes.  
 Quæ te non vera religione colunt.  
 Omne meum robur tibi soli summe monarcha  
 Acceptum (cum sis victor in hoste) fero.  
 Protector meus es, bonitas tua me (Deus alme)  
 Præuertit solita sedulitate sua.  
 Me (Deus) illa docet, quo pacto sit faciendum.  
 Cum hostibus, infestum qui meditantur opus.  
 Hæc ait, illos ne prorsus, subitoque truces:  
 Ne meus hic populus fiat vt antè, piger.  
 Hos igitur disperge tua virtute potenti:  
 Hos scutum nostrum deiice (quæso) Deus:  
 Oris peccatum, & labiorum sermo merentur.  
 Vt fastus pœnas, suppliciumque luant.  
 Vt verbis illi elatis capientur eisdem.  
 Nam scelus assidue, verbaque vana crepant.  
 Illi ducantur propter periuria falsa  
 Propter mendaces, pestiferosque dolos.  
 Consume in feruore graui, consume repente  
 Tu Deus iratus, ne superesse queant.  
 Quò videant vsque ad fines telluris, ab ortu  
 Solis, & occasu quòd Deus vnus, hic est.

Qui imperiam, & regnum in Iacob tenet. & replet in-  
 Hac Deitate sua totius orbis opus. (gens  
 Vesperam ad vsque, erent. nunc huc, illucque vagetur:  
 Nunc vrbs plateas, circuitusque petant,  
 Oblatrent illi, diffundant murmur inane:  
 Vt canis oblatrans, impatiensque famis.  
 Sic ad vescendum isti dispergantur inanes:  
 Sed sua nocturno membra sopore leuent.  
 Ast ego voce tuum robur cantem, ocyus altas  
 Promulgemque tuas has bonitatis opes.  
 Nam meus inuictus protector in hoste fuisti,  
 Perfugiumque meum, cum male pressus eram.  
 Tutum perfugium hoc in duro angustia acerba  
 Tempore, ab hoste truci quando pericla fero.  
 O robur sublime meum tibi voce sonora  
 Psallam, atque has laudes concelebrabo tuas.  
 Namque Deus meus es. fortis protector. & vnus  
 Thesaurus meus es, rex generose Deus.

## P S A L M V S L X.

## Deus repulisti nos.

## T I T V L V S.

David adhortatorij generis super flore testimonij  
 χλιδων. id est delicia, quibus exponitur quo modo cum  
 profectus esset aduersus Syros Mesopotamiae. & aduer-  
 sus Syros Zobæ Ios rediret. & Idumæorum caderet in  
 valle salinarum supra, duodecim millia.

## A R G V M E N T V M.

Post afflictionem à Palestinis irrogatam, orat Domi-  
 num, lege testamenti vt regnum restituat  
 & redintegret.

Nos Deus afflictos repulisti, & vindice dextra  
 Fregisti, grauiter nos premit hostis atrox.  
 Nobis indignaris, & auersaris, amica  
 A patria profugis horrida bella nocent.  
 Conculisti, & rupisti hanc terram vndique nostram:  
 Rupturas huius tu reparare velis.  
 Hæc etenim variis bellis disrupta vacillat:  
 Illam captiuam sæua tyrannis habet.  
 Dura tuo populo ostendisti æquissime vindex:  
 Affigunt populum bella cruenta tuum.  
 Terra sat horrendo tremuit concussa tumultu  
 Bellorum, satis hæc plebs tua pressa fuit.  
 Nos profugos tetra vino, plenoque pauoris  
 Potasti. vino nil nisi mæror inest.  
 Sed da (quæso) tuis nunc te metuentibus vltro  
 Signum, & vexillum cœlitus ipse refer.  
 In quo felices pugnent, quo denique viso.  
 Trux hostis fugiat, sat fera bella tulit.  
 Da signum auxilij in te confidentibus, illo  
 Vt dulcis palmæ præmia læta ferant.  
 Vt super aduentum æqui, & recti fronte serena  
 Attollant, sese, te duce, summe Deus.  
 Id te facturum tu victor in hoste triumphans  
 Verè es pollicitus, sit tua certa fides.  
 Vt tui in his bellis ille eripiantur amici,  
 Exaudi: & saluet nos tua dextra potens.  
 In sancto Deus ille suo est hac voce locutus:  
 Quod ferat afflicto gaudia vera mihi.  
 Diuidam ego ipse Sichem, & Suchoth dimetiar Imam  
 Vallem, nunc Galaad sud ditione regam.  
 Quicquid ad hunc spectat fortem, augustumque Ma-  
 Parebit regnis, imperioque meo. (nassem  
 Est Ephraim capitis speciosi robur, & alta  
 Est arx imperij valde superba mei.

Est à consiliis, & dux & legifer ille  
 Iuda, sed angusta est olla, lebésque Moab.  
 Nunc ad Idumæam Syriæ quam continet ora  
 Calceum ego extendam lata per arua meum.  
 Sape Palestini venient cum plausibus ad me;  
 Atque manus victas ad mea scepra dabunt.  
 Sed modò munitam quis me direxit ad urbem?  
 Quis per Idumæos me modò duxit agros?  
 Num tu inuicte Deus, qui nos sub tristibus armis  
 Desertos dederas hostis in ore truci?  
 Num tu summe Deus qui non cum hoc agmine nostro  
 Exhibas, nobis qui modò reddis opem?  
 Qui fers auxilium miseris, in rebus, egenis?  
 Est humana salus vana, nihilque potest.  
 Humanum auxilium rationis nil habet in se.  
 Spes humana, sua credulitate cadit.  
 Est humana fides fallax, nec viribus illis  
 Fultra suis, palmæ premia pulchra refert.  
 Illa trophæa nequit iusto que referre triumphos.  
 In Marte ancipiti nec bona pacis habet.  
 Hæc hominis virtus est prorsus inutilis in se:  
 Expectare sua nil sibi debet ope.  
 Sed virtute Dei rem rite geremus, acerbos  
 Hostes conculcat victor hic vnus ouans.  
 A victore Deo, belli victoria pender,  
 Est pax, & requies, nostraque sola salus.

PSALMVS LXI.

Exaudi Deus orationem meam.

TITVLVS.

David adhortatorij generis, ad instrumenta.

ARGVMENTVM.

Ex fidei fontibus oratio est, & gratiarum actio  
 pro Messia promissione.

**O** Deus exaudi clamorem, agrasque querelas.  
 Attende his precibus, quas miser ipse fero  
 Clamo quibuscumque ex terræ huius finibus ad te.  
 Mœsti cordis in hac anxietate graui.  
 E terra longo tractu quæ diffidet alto  
 A cœlo, querulus clamor hic ille venit.  
 In petram editiorem quàm conscendere possim  
 Me ponis: nam tu spes mea sola manes.  
 Es mihi præsidium robustaque turris ab hoste  
 In te spem pono, coniciòque meam.  
 Cùm illic exilio crudeli affectus ego sim:  
 Fac habitem illustri semper in æde tua.  
 Sim alarum latebris securus vbique tuarum;  
 Nam Deus exaudis vota, precésque meas.  
 Et tribuis tua regna his tanquam hæredibus: illud  
 Qui regale tuum nomen amore timent.  
 Tu regi augusto produces tempus, vt anni  
 Illius durent, tempus in omne sibi.  
 Semper vt ante Deum hic habitet securus: & illum  
 Conferuent bonitas, & generosa fides.  
 Sic nomen cantabo tuum per sæcula, vota  
 Vt reddam assiduè, quottidièque mea.

PSALMVS LXII.

Nōne Deo subiecta erit anima mea.

TITVLVS

David adhortatorij generis Carmen pro  
 vice Idithum.

*Spiritualis infestatio est, quæ ex fidei penetra-  
libus proficitur.*

**A**Tamen vnicè ea obseruabit mens mea curis  
Distrahta, excelsum, propitiùmque Deum.  
Nam mea vera salus penitus dependet ab illo:  
Est solus rupes, atque beata salus.  
Ille potens fulcrum, ne multum hîc vndique nutem  
Nixus tam firma, tam solidâque basi.  
Quæso quorûsque hîc insidias, thecnâsque cuique  
Vos fruitis? cur vos læditis ore virum?  
Sed quid in hunc vos irruitis crudeliter? illum  
Perdere cur vultis, quem Deus vnus amat?  
Vt paries minitans celerem, ingentemque ruinam  
Deiicitur, sæpes vullâque repit humi.  
Sponte trucidatis sic vos grauiore ruina  
Vestra, cur homini neçtis arte dolos?  
De statu honesto huius fallax duntaxat initis  
Consilium, vt præcepta deiiciatur humi.  
Vos malè delectant mendacia subdola linguæ.  
Excelsas laudes dicitis ore viris:  
Corde venenato diras effunditis omnes:  
Corde fel euomit, sed mel ab ore fluit.  
Attamen ægra Deum mea mens super omnia constans  
Obseruabit, ab hoc spes mea tota venit.  
Et mea segura expectatio pender ab illo:  
Expecta Dominum mens mea firma, tuum:  
Adferet ille tibi quam expectas mœsta salutem:  
Est solus, rupes, & stabilita salus.  
Ille potens fulchrum, ne nutem in rebus acerbis:  
Hæc mea certa salus nititur vna Deo.  
Et mea cuncta Deo forti nituntur, in hostes

Hic firmamentum, est, arxque, potensque basis.  
Est munimentum, & robur, clypeusque salutis:  
Turris inaccessa est hostibus ille meis.  
In victore Deo mea spes est insita, semper  
Illi vos populi fidite, si quid adest.  
Coram rege Deo nunc vos effundite corda  
Vestra, Deus spes hæc nostra perennis erit  
Sunt hominum gnati vani, nil vanius illis:  
His nihil in mundo vanius esse potest.  
Sunt ita mendaces, vt si libraueris illos  
In bilibri, vana cum leuitate sua.  
Tunc magis ascendent, magis & tollentur in altum:  
Et vana hæc leuitas pondere maior erit.  
Ne vi, sine dolo, aut furto confidite partis  
Diuitiis, illæ namque repente fluunt.  
Et vos ne vanæ leuitati dedite, primùm  
Sed vestri regnum querite (quæso) Dei:  
Copia diues opum si vobis affluat, illi  
Ne vos figite cor, nil bona fluxa iuuant.  
Est semel, atque iterum Deus inclytus ille locutus  
Quod sæpe audiui regis ab ore Dei.  
Quod Domini est robur, quod acerbis sumere pœnas  
Ex his qui peccant, lege iubente, potest.  
Hoc etiam audiui, quod adest tibi (summe monarcha)  
Excellent bonitas, & pietatis amor.  
Quodque cuique Deus reddis tu vt gesserit, æquus  
Es iudex, æquum iudiciùmque tuum.  
Natura es clemens, iustis tu iustus es, illos  
Fœlices solita pro bonitate facis.  
Ipse malos malè perdis, & illis: æquus es vnus,  
Iudex damnat eos impietatis opus.

Deus Deus meus ad te de luce vigilo.

## TITVLVS.

*David carmen cùm esset in deserto Iuda.*

## ARGVMENTVM.

*Gratias agit Deo, quòd illum non deserat.*

**O** Deus omnipotens, Deus es meus vincus, ad te  
 Maturo profugus tristis, & exul ego.  
 Te sitit hïc adeò vehementer mens mea tota:  
 \* Tùm corpus, quod nunc vndique languor habet.  
 Scallidus hïc locus est, & multùm torridus æstu  
 Solis, in hoc, solùm crescit arena sibi.  
 Iunius hïc locus est, incultus, & aridus, illum  
 Nec fons, nec fluuius, nec leuis vnda rigant.  
 Hac in deserta terra sitiente, perinde  
 Sacra vt in æde tua (Rex Deus) adsto tibi.  
 Coram te existo contemplor acumine mentis  
 Virtutem, qua tu bella superba domas.  
 Quæ sit maiestas, quæ sit tua gloria, sæpè  
 Contemplor, sicut mens mea ferre potest.  
 Nam tua ea illustri bonitas, quam laudibus orno  
 Illa luce, mihi charior esse solet.  
 Hanc certè vita meliorem duco, benignum  
 Te mea, collaudant labra (supreme parens)  
 Te idcirco celebri in mortali corpore viuens:  
 Te laudo, vitæ tempus in omne mea.  
 In felice tuo illo nomine (mi Deus author)  
 Sollicita supplex eleuo mente manus.  
 Dum labiis tua (Rex) canto præconia lætis  
 Vt pingui mea mens est satiata cibo.  
 Cùm nox in lecto mihi comparat anxia somnum:  
 Sum memor (ô Regum Rex generose) tui.  
 Noctis in excubiis placida te mentè reuoluo:  
 Te meditor, nam tu fers mihi solus opem.

Totus in alarum vmbra dulci exulto tuarum:  
 Prorsus adherescit mens mea tota tibi.  
 Neque vacillantem fortis tua dextera fulcit:  
 Et mihi demonstrat nocte, dièque viam.  
 Te comitem, atque ducem iungis per saxa per ignes  
 Per nemus horrifera, terribilisque feras.  
 Ergò hostes rabidi frustra me perdere quærunt.  
 Nam subter terræ viscera nigra cadent.  
 Hïc vbi trux gladius vastat, violenter abibunt,  
 Vulpibus in terram forsque suavis, erunt.  
 At Rex in dominante Deo lætabitur, omnes  
 Qui per eum iurant, gaudia iusta dabunt.  
 Obstructum os erit, horum qui mendacia dicunt:  
 Et de me iactant semper inane scelus.

## PSALMVS LXIII.

*Exaudi Deus orationem meã cùm depre.*

## TITVLVS.

*David adhortatorij generis carmen.*

## ARGVMENTVM.

*Orat, vt eum Dominus ab insidiis inimicorum  
 liberet, comminatur etiam illis mala.*

**C**vm nunc oro, tristi animo suspiria fundens:  
 Exaudi vocem (mi Deus alme) meam.  
 Vt mihi tu vitam expedias (supreme Monarcha)  
 Hostis ab ancipiti, terribilique metu,  
 Protege ab occultis in fontem me artibus horum  
 Præuorum, hi cœtus, conciliùmque parant.  
 A fremitu sceleratorum, me absconde feroci.  
 In mea conspirant fata furore graui.  
 Hi linguas acuunt vt acutæ cuspidis enses:  
 Tristem in rem intendunt tela cruenta sibi.  
 Tristis res illa est, vt eum qui iustus, & insons



Est astu, atque dolis, infidiisque petant.  
 Ac subito tangant illum nil tale merentem:  
 Nec metuant homines, iustaque flagra Dei.  
 Religio non tangit eos, rem profus iniquam  
 Inter se, in damnum constituere meum.  
 Ut clam, omnes tendant laqueos, sunt ore locuti:  
 Dicentes, sed quis rite videbit eos?  
 Consilium prauum inquirunt, hac arte laborant:  
 Viribus ut totis hoc reperisse queant.  
 Pectore quisque suo tacito, gremioque silenti  
 Occultæ fraudis præmeditantur opus.  
 Sed petet hos Dominus telo, celerique sagitta:  
 Qua non præuisa, vulnera dira ferent.  
 Tunc in eos, horum malè corruet impia lingua.  
 Qua multam iustam quam meruere lucent:  
 Ut tremat assidue quisquis spectauerit illos.  
 Omnis homo, Domini tunc sciet illud opus.  
 Vltorisque Dei narrabit fortia gesta  
 Qui hic impunitum non finit esse scelus.  
 Interea in Domino iustus gaudebit, in illum  
 Sperabit, Domini robore tutus erit.  
 Atque exultabunt omnes qui corde fideli  
 Et recto, tibi sunt, iuste monarcha Deus.

## PSALMVS LXV.

Te decet hymnus Deus in Zion.

## TITVLVS.

*Dauid adhortatorij generis Carmen  
 gratiarum actionis.*

## ARGVMENTVM.

*Obtestatur Dei misericordiam, per omnipotentiam ac  
 providentiam quas interim celebrat, ut  
 remittat peccata nostra.*

**I**N Zion tibi laus darur(ô Deus) & tibi vota  
 Redduntur, cum sis omnibus vna salus.  
 Tu casta exaudis cunctorum sacra, precésque:  
 Hinc caro sic ad te tota repente venit.  
 Nostrorum scelerum ratio superaret abundè  
 Nos, vitis veniam ni (Deus alme) dares.  
 O ter foelicem, quem tu delegeris, & quem  
 Perpetuum socium feceris esse tibi.  
 Ut tua (rex) habitet foeliciter atria, pulchra  
 Ut bonitate domus sit satur ille tuæ.  
 Ut templi sancti dulces saturetur in horas  
 Deliciis multis, innumerisque bonis.  
 O nimum foelix tua quando palatia viset:  
 Hic satur è regno nollet abire tuo.  
 Illum perpetuo tua regia sancta tenebit.  
 Huius gaudebit prosperitate frui.  
 Tu per iustitiam quæ est admirabilis, audi  
 Nos Deus omnipotens vnica nostra salus.  
 Tu spes cunctorum qui terræ totiùs oras.  
 Et maris immensi littora vasta colunt.  
 Robore qui cinctus montes virtute potenti  
 Format, & hos stabiles efficit esse sibi.  
 Arbitrio iusto fremitum compescit aquarum:  
 Vndarum & sonitum mitigat ille grauem.  
 Commotum sedat populorum voce tumultum.  
 Ex æquo in cunctos est Deus ille potens.  
 Qui terræ latis habitant in finibus oras  
 Postremas metuant hæc tua signa, Deus,  
 Vespere quæ veniunt, & primo manè micanti  
 Leta facis, laudes ut tibi iure ferant.  
 Hæc dum conspiciunt homines, te laudibus ornant:  
 Hos tuus exhilarat maximus ille fauor.  
 Inuisis terram, quam fluctibus abluis, illam  
 Tu ditas vario, multiplicique modo.

Alueus ille tuus fluidis exuberat undis:  
 Quo frumenta viris (ô Deus alme) paras.  
 Namque bonis diues sic tellus ipsa paratur.  
 Quæ sua distribuit commoda cuncta viris.  
 Illius sulcos ebrias, glebâsque rebelles  
 Deprimis, & frangis cunctipotente manu.  
 Tu mollem reddis multùm subtilibus illam  
 Imbribus, & germen multiplicare facis.  
 Tamquam graminea exornas, cingisque corona  
 Annum, qui frugum parturit omne genus.  
 Innumeris, variisq; bonis Deus optime ditas  
 Illum, sed tuus est hic bonitatis honos.  
 Orbita trita tui stillat pinguedine currus:  
 Qua stillant visu pascea pulchra suo.  
 Ornati per te viridanti gramine colles.  
 Cinguntur plausu, lætitiâque noua.  
 Illæ ouium caulæ vestitæ iubila cantant.  
 Planitiem terræ contegit omne pecus.  
 Farre suo pingui valles modulantur onustæ:  
 Laude Dei viridans personat omnis ager.  
 Fertilis omnis ager Domini cantillat honores.  
 Sese diuitiis exhilarâtque, suis.

P S A L M V S L X V I.

Iubilare Deo omnis terra.

T I T V L V S

*Adhortatorij generis Carmen,  
 gratiarum actionis.*

A R G V M E N T V M.

*Generalis gratulatio Israël, qua usus esse videtur in  
 solemnibus festis, quum adhuc carnales hostiæ,  
 & vota offeruntur.*

**V**Os omnes terræ cultores ædite signa  
 Lætitiæ, magno iubila ferte Deo.  
 Et maiestati vos psallite nominis huius:  
 Gloriam ei, & laudem reddite. dignus hic est.  
 Vos narrate Deo, quàm sunt tua facta stupenda.  
 O terræ & cœli conditor, alme Deus.  
 Tanta mole tui supremi roboris hostes  
 Frustrantur, cuncti te (Deus alme) colant.  
 Omnis terra colat, laudet, veneretur, adoret  
 Te solum Dominum, psallat & illa, tibi.  
 Dulce tuum nomen canat, omnes sponte venite:  
 Atque opera excelsi magna videre Dei.  
 Et supra gnatos hominum admiranda per orbem  
 Consilia illius cernite sæpe viri.  
 Qui mare mutabat siccæ in vestigia terræ:  
 Et pede transibant flumen inane suo.  
 Israël gnati tunc lætabamur in illo  
 Qui nos eripuit de Babylone truci.  
 Qui virtute sua vnus ab æterno imperat, orbem  
 Et cælum & terram sub ditione regit.  
 In gentes oculi huius contemplantur, ab illo  
 Qui malè deficiunt, prorsus ad ima cadent.  
 Non exaltabunt sese, nam deprimet illos  
 Fastus, de celso deiicietque gradu.  
 Vos nostrum laudate Deum, cui æterna potestas:  
 O populi, vera laude colendus, hic est.  
 Exerite illius laudis super omnia vocem.  
 Qui vita donat, nos, & amore fouet.  
 Non dat hic ille, pedes nostri vt moueantur, at ille  
 Supponit nobis duxque, comêsque manum.  
 Nos licet igne probes, & aduras nos Deus alme  
 Vt coquit argentum flamma (calore suo)  
 Et nos exploret velut illud in igne probatur.  
 Et morbis tentes nos foris, atque domi.

Tu nos in neruum inducis lumbisque catenam  
 Circumponis, & hac nos ligat hostis atrox.  
 Tu nostro capiti hos homines imponis iniquos  
 Tanquam iumento, quod graue vexat onus.  
 Transimus per aquam, per ferrea saxa per ignem.  
 Sed refrigerium das modò iuste Deus.  
 In loca nos tandem pressos educis amœna  
 Omnia quę nobis suppeditare solent.  
 Ergò holocausta ferens vt ego tibi nunc mea soluam  
 Vota, tuam venio (mi Deus alme) domum.  
 Quorum me damnant mea labra in rebus acerbis.  
 Hęc tibi promisi conueniente fide.  
 Os tibi namque meum distinctè protulit ista  
 Cùm foret angustis mens mea pressa malis.  
 Hęc holocausta tibi nunc offero pinguia, pinguis  
 Bos, aries, hircus dant sua sacra tibi.  
 Vos omnes, Dominum quicumque timetis, adeste:  
 Audite has laudes, auxiliũque Dei.  
 Vos omnes audite precor, dum narro lubenter  
 Quenam afflictę animę fecerit illę meę.  
 Ore meo ad Dominum soleo clamare, sed intra  
 Illud, eum exultat lingua per astra viris.  
 Si mihi perfidię sum conscius, aure benigna  
 Me non exaudit iustus hic ille Deus.  
 Audiit ergò Deus, querulę vocique precantis  
 Attendit, gratis præbuit omne bonum.  
 Sint Domino grates, benedictus sit Deus ille  
 Qui non auertit vota, meęque preces.  
 Quique suę pietatis opes, non reppulit à me.  
 Qui neque destituit me pietate sua.

PSALMVS LXVII.

Deus misereatur nostri &amp; benedicat no.

TITVLVS.

*Adhortatorij generis Carmen gratiarum  
 actionis ad organa Musica.*

ARGVMENTVM.

*Orat, vt eum Dominus, cunctis gentibus manifestet, sic  
 enim omnes sub officium venturos inuitat.*

**S**It nobis clemens Deus, & nos fronte benigna  
 Respiciat, vultum monstret in orbe suum.  
 Præclari vultus faciat lucere fauorem  
 Erga nos, crebras audiat ille preces.  
 Vt (supreme Deus) tua sit via nota per orbem.  
 Per gentes omnes, & tua læta salus.  
 Vt te collaudent populi (ò Deus) vt tibi laudes  
 Hic omnes populi voce sonante ferant.  
 Vt populi lætentur, & his in rebus amicis  
 Exultent, illos quòd ratione regas.  
 Illorum quòd sis iudex æquissimus, & tu  
 Ius summum emendes hac bonitate tua.  
 Quòd gentes omnes solus modereris in orbe:  
 Et te illis præstes, exhibeasque ducem.  
 Vt te collaudent populi (ò Deus) vt tibi laudes  
 Hic omnes populi voce sonante ferant.  
 Sit nobis clemens Deus, hic Deus optimus ille  
 Noster, vt annonam det benè terra suam.  
 Sic Deus hic fauceat nobis, vt terminus omnis  
 Terrę illum metuat, suspiciatque Deum.

PSALMVS LXVIII.

Exurgat Deus, &amp; dissipentur inimici eius.

TITVLVS.

*Dauid adhortatorij generis gratulatorium Carmen.*

*Gloriatio fidei est, quæ se super Deo suo iactat: il-  
lius facta canit, & fore comminatur gentibus  
vt manus dent ei Deo, quòd Christo per or-  
bem prædicato factum esse dignoscitur.*

**T**V sine, Rex Deus exurgat, mox illius hostes  
Dispergentur, & hi terga pudenda dabunt.  
Osores rabidi conspectum valde tremendum  
Illius fugient præ vehemente metu.  
Disficientur ij, vt fumus dispersus ab aura  
Disficitur præceps, & per inane fluit.  
Nam vt cæra ardenti consumpta liquefcit ab igne:  
Sic reprobi pereunt adueniente Deo.  
Sic à conspectu illius qui cuncta tuetur  
Impia turba, sui criminis arte perit.  
At contrà capient plenissima gaudia iusti  
Aduentante Deo, qui bona quæque dabit.  
Et præ lætitia, iustorum pulchra corona  
Gestiet, & Domino carmina lata canet.  
Illa canet laudes in honorem nominis huius:  
Victori Domino muniet illa viam.  
Qui ad nos deuehitur, velox virtute potenti  
Sicut ad occasum sol citò raptus abit.  
Huic nomen Dominus, coram illo Rege, Deo que  
Iusti exultabunt fronte patente sua.  
Nam Deus ille suas qui sanctas incolit ædes.  
Qui Rex Empyreo magnus in axe fedet.  
Est orphanorum dulcis pater ille futurus:  
Et viduis vindex, atque patronus, hic est.  
Rex Deus ille domi vnanimis qui collocat aptè  
Qui educit victos cunctipotente manu.  
Cum tamen intereà reproborum perfida turba

Omnibus in rebus detineatur inops.  
Quandò tuo populo (dux, ô Deus) alme præites:  
Cum per desertum tu gradereris iter.  
Terra mouebatur, tonitru, pluuiâque fluebant  
Cœli alti à facie (rex metuende) tua.  
In monte excelso Sinaï qui visus es, illas  
Cum Mosi leges, & tua iussa dares.  
A facie rutilante tua, tum terra tremebat.  
O Deus, Israël plebis alumne Deus.  
O Deus hæredi populo qui sæpius imbrem  
Assignas larga tu bonitate tua.  
Et tua cum mundi genitor possessio languet:  
Hanc reficis, sterilem multiplicare facis.  
Inde tuum hoc armentum sæcundum errat vbique:  
Quòd bonitate inopi tu Deus alme paras.  
Commendas Domino, & sermonem suggeris aptum  
His qui decantant horrida bella ducum.  
His quæ significant mandatum de agmine magno:  
Clarâque gesta ducum commemorare solent.  
Quæque solent horum victricia signa, triumphos  
Atque trophæa choris concelebrare suis.  
Quòd cum exercitibus fugiant velocius aura  
Reges, à populo belligerante tuo.  
Vt populum Israël victorem euadere possint:  
Et vitam seruent præcipitante fuga.  
Et quòd post bellum crudele domestica turba.  
Distribuat prædas, exuuiâsque sibi.  
Atris perfimiles se vos carbonibus estis:  
Vos inter tripodas si iaculistis humi.  
Et si vos inter nigræ fuliginis ollas  
Corpora strauistis pressa sopore graui.  
Vt flumen uitidum inter ripas absque labore  
Tunc requiescetis: nec dolor vllus erit.  
Tunc inter pennas, niueas alâsque columbæ

Vestra relaxabit candida membra sopor.  
 Et candente potest quid pulchrius esse columba?  
 Illa lucidius, candidiúsque, quid est?  
 Splendorem argenti excellentem albedine mira  
 Vincit, & aspectu gaudia quæque parit.  
 Illius dorsum rutilans, fuluúmque, nitorem  
 Auri perspicuum vincere luce solet.  
 Illa volans pennis vehementer, in aère pendet:  
 Exhilarat cantu dulcia rura suo.  
 Hostibus euerfis sic vos gaudebitis omnes  
 Deposito luctu, tristitiáque graui.  
 In lucem è noctis tenebris, venietis, & vltro  
 Atratis vobis prospera cuncta cadent.  
 Cùm Deus omnipotens qui regibus imperat orbis  
 Sic terram iussu constituisse velit.  
 Vt lacte albescas tanquam niue, commode Zalmon:  
 Sed Basan sit mons, & locus ille Dei.  
 Et Basan sit mons qui totus palleat albis  
 Caseolis, & qui lactis abundet ope.  
 Cur montes alti Basan contemnitis? illi  
 Cur vos inuidiam (non ratione) datis?  
 Cùm sit caseolis, & pressi lactis abundans  
 Copia, & innumeris, diuitibúsque bonis.  
 Hoc in monte Deus, cùm nunc habitare peroptet:  
 Hunc montem Dominus tempus in omne colet.  
 Sic tu cùm fueris Domini successio, nigra  
 Antea, & ingenti plena dolore tuo.  
 Candida tanquam nix eris, ingentémque dolorem  
 Mutabis cantu, lætitiæque sono.  
 Sed quid ô vos reges infertis bella cruenta  
 Vrbi Hierusalem, quam Deus vnus amat?  
 Quam sibi charam habet, inuicta dextráque tuetur:  
 Ante alias vrbes, vrbs placet illa Deo.  
 Sed quot myriadas, & quot sibi millia centum

Accipiunt currus (ô Deus alme) tui?  
 Sed quis eos certo numero finire valeret?  
 Quis queat aurigas dinumerare tuos?  
 Ad Sinai, ac rursus ad sanctum tu curribus illis  
 Inueheris, sed quis dinumeraret equos?  
 Quis numerare leues equites (Deus inclyte) posset?  
 Quis queat Angelicos dinumerare choros?  
 Cœlestes currus, acies, celerésque cohortes.  
 Cœlitum in hac pompæ nobilitate, tenes.  
 Ipse triumphales deducis in æthera currus.  
 Et tuus insignis iure triumphus, hic est.  
 Clara trophæa refers, vexiláque capta triumphans  
 Victor habes, palmam fert tua dextra manus.  
 Victor captiuis captis ascendis in altum.  
 Afferis hos tibi tu sub ditione tua.  
 Inter dispersos homines, populósque per orbem  
 Læta tibi recipis munera victor ouans.  
 Captiuu abducti victori se tibi dedunt.  
 Dántque manus victas (summe monarcha) tibi.  
 Quin & acerbum hostem recipis, multósque rebelles.  
 Ignarósque tui nominis ipse capis.  
 Et tu in gratiam eos recipis rex maxime regum.  
 Et cum illis placidæ fœdera pacis inis.  
 Vt cum rege Deo Domino dominante per orbem  
 Illi habitent, & te relligione colant.  
 Sint regi Domino grates, laudésque per omne  
 Æuum, sint grates nocte, diéque Deo.  
 Námque saluari merito nos obruit omnes:  
 Nos onerat donis quottidiéque suis.  
 Sintque Deo grates qui nos à crimine nostro  
 Saluat, & ingenti ditat amore suo.  
 Sit laus digna Deo Domino qui conterit hostes:  
 Et per quem terimus spicula dura necis.  
 Per quem nos mortis laqueos euadimus, illi  
 Inuicto, laudum, sint mea vota Deo.

Ille ex diuerso, horribili ictu vulneris, hostes  
 Cædit: & his frangit, comminuitque caput  
 Ille capillosum culmen citò conterit huius  
 Qui solitum pergit crimen in omne ferox.  
 Qui obfirmato animo perdurat nocte, dièque  
 Turpibus in vitiis, quæ necis antra petunt.  
 Dixit enim Dominus, de Basan vertice sancto  
 Restituam, ex alto restituamque mari.  
 Crudeles hostes ex Basan monte fugabo:  
 Illos expellam roboris arte mei.  
 Vt fuso illorum tingatur sanguine velox  
 Pes tuus, (ô mea gens) & fera lingua canum.  
 Inde tui miram laudem, pompamque triumphi  
 Spectabunt omnes, pulchrâque gesta canent.  
 Illius incessum, qui rex meus, & Deus es tu.  
 Qui stas in sancto, turba videbit ouans.  
 Tunc tibi cantores occurrent in clype victor.  
 Victori que canent musica nabra tibi.  
 Ipse puellarum chorus vndique tympana rauca  
 Pulsabit, laudes concinet ille tuas.  
 Insignemque tuum recinet vox læta triumphum:  
 Nobilis & palmæ proferet omne decus.  
 Quin & in hoc cœtu, multum celebrique corona  
 Laudabunt illi voce canente Deum.  
 Tunc & apud fontes salientes murmure leui  
 Te (ô Domine Israel) religione colent.  
 Paruulus in pompa præerit dux Benjamin ille  
 Iuda altis ducibus, principibusque viris.  
 Et claris ducibus, Zebulonis hic ille iubebit:  
 Ius dicet, laudes constituétque tuas.  
 Neptalicisque viris præerit, censebit hic illos:  
 Hostibus his victis iudiciûmque dabit.  
 Sic Deus ille tuus statuit tibi robur, opemque:  
 Israël, vires addidit ille tibi.

Ne

Ne tibi quid tribuas, tantum Deus ille triumphum  
 Hostibus ex domitis, post fera bella dedit.  
 Quod tu fecisti nobis Deus optime princeps  
 Confirma, cœptis annue (quæso) tuis.  
 Nam super æde tua, excellentius, & super alta  
 Vibe, tibi reges munera læta ferent:  
 Longè aliter, seu multò magnificentius illi  
 Quàm olim in Hierusalem, splendida dona dabunt  
 Ob templum, atque urbem Solymorum da Deus alme  
 Nobis auxilium, præsidiumque tuum.  
 Et virtute tua inuicta nos perge tueri.  
 Nos meritis orna (rex generose) tuis.  
 Numinis ille tui cultus nam crescet, in orbe  
 De fide in excelsam, perpetuamque, fidem.  
 Tu iumenta leui munitus arundine duces:  
 Armentum, & vitulos dux benefidus ages.  
 Hoc est, tu duces populos, gentésque rebelles  
 Et calcitrantes, vt tua iussa colant.  
 Et duces gentes, opibus, nummisque superbis  
 Quæ dedunt animum, quem miser vrit amor.  
 Lasciuire solent vitulorum more, rebelles  
 Hos forti rediges sub ditione tua.  
 Sub iuga dura premes, donec tibi iure tributa  
 Collectasque suas pendere sponte velint.  
 Disicias fauos populos quibus horrida bella  
 Et cruor effusus, morsque cruenta, placent.  
 Illos certandi cupidos, auidosque cruoris  
 Disperdet dextræ vis generosa tuæ.  
 De Ægypto venient legati, Ægyptius orbis  
 Se deder soli religione Deo.  
 Innumeri Æthiopes, & vis exercitus ingens  
 Current ad Dominum, magnificumque Deum.  
 Sponte manus victas omni cum laudis honore  
 Reddent, cum Domino fœdus inire volent.

L

Terræ regna Deo cantabunt, totius orbis  
 Authori Domino regia sceptrâ canent.  
 Vnus ab æterno qui cœlis infidet, & qui  
 Cœlis vt plaufro vectus, vbique volat.  
 Ille suam vocem tribuit, vocem ille potentem  
 Dat verbis addit pondera firma suis.  
 Vos Domino, veróque Deo, regíque potenti  
 Israël, summum robur, honore date.  
 Huius maiestas portendit, & exerit vsque  
 Ad nubes, sese nobilitate sua.  
 Quid? virtutem huius nubes testantur, & huius  
 Splendorem eximium, magnificúmque, probant.  
 Omnipotens Deus est sancta merendus ab arce  
 Israël rex est, solus, & ille Deus.  
 Qui dat virtutem populo, robúrque: supremo  
 Sit Domino cœli gloria summa Deo.

PSALMVS LXIX.

Saluum me fac Dom. quoniam int. aqua.

TITVLVS.

*David adhortatorij generis, super liliis, rosis,  
 aut violis appellatum.*

ARGVMENTVM.

*Oratio est in summa, diuturnaque angustia, quæ Christi  
 passionum, & membrorum typus est.*

**S** Alua me Deus, vsque ad anhelam animam vndique  
 Terribili, penetrant gurgitis huius aquæ (fluctu  
 Naufragium patior, merfúsque periclitor ægre  
 De vita, afflictum suffocat vnda ferax.  
 In sordente luto, & cœno, limóque profundo  
 Hæreo, vbi nullum est (mi pater alme) solum.

Veni ego in hoc altum pelagus, fluctúsque malorum  
 Obruit immerfum me grauis vnda lacus.  
 Orta suis subito tempestas fluctibus atris  
 Me oppressum inuoluit, nilque salutis adest.  
 Rebus in afflictis fessus clamando laboro:  
 Raucessit guttur vociferando meum.  
 Aduentum Domini clamans expecto, fluentes  
 Deficiunt oculi, suspiciendo Deum.  
 Illius auxilium toties sum expertus in arctis  
 Rebus, & ærumnis, atque dolore graui.  
 Qui me nunc odio infontem sectantur iniquo:  
 Mordacique suo rodere dente solent.  
 Plures sunt, quam sint crines, capitísque capilli.  
 Sed quid eis feci, quid meruíque mali?  
 Insurgunt sine causa imò mendaciter hostes  
 Ægrum me misera conditione premunt.  
 Viribus & totis pressum subuertere tentant.  
 Illis non nocui, nec nocuisse volo.  
 Mi Deus, illorum rabidum compefice furorem:  
 Horum sæuitiam sponte cœrcet tua.  
 Et quæ non rapui, nunc reddere cogor, amica  
 Hæc mea simplicitas est benè nota tibi.  
 Non te iure latent mea crimina, rex bone tu scis.  
 Quas patior pœnas, quæ mala sponte fero.  
 Exoluo pœnas sceleris, vitiiique nefandi  
 Quod non admisi simplicitate mea.  
 Ne quæso per me pudefiant ob graue probrum  
 Qui sperant in te (summe monarcha Deus)  
 O Deus, in cuius dextra, sunt omnia: forte  
 Qui peditum, atque equitum pondus, & arma regis,  
 Et qui solus habes in prælia quæque. supremum  
 Edictum, & leges, imperiique decus.  
 In cuius dextra, & sceptro, & ditione potenti  
 Omnia ponuntur conditione sua.

Cuius maiestati, æquòque resistere iusso  
 Nemo potest, tu omni solus in orbe Deus.  
 Tu solus Dominus, Dominator, Rector, & Author  
 Cunctarum rerum quas habet orbis opus.  
 Tu qui fecisti terram, cælumque polòsque:  
 Quicquid & illorum machina tota tener.  
 Quique potestatem vitæ, mortis que supremam  
 In cunctos, mundi rex generosus habes.  
 Et qui vsque ad mortis portas deducis, & vna  
 Sponte reducis eos quos superesse cupis.  
 Ne (oro) ignominia per me aspergantur atroci  
 O Deus Israël, qui tua iussa colunt:  
 Et qui te quærunt, & qui te sapius optant.  
 Namque tua causa probra pudenda fero.  
 Et vultum infamis pudor obregit, hic alienus  
 Factus sum immeritò fratribus ipse meis.  
 Matris dilectæ gnatis peregrinus ego sum:  
 Me fratres remnunt, reiiciuntque, mei.  
 Illud adest, quoniam ægrum me torquebat in horas  
 Æmulus ille domus zelus, amorque, tuæ:  
 Nam summo studio volui tua iura tueri  
 Et maiestatem sustinuisse tuam.  
 Mi Domine afflictum me tam malè semper habebant  
 Quæ maiestati sunt data probra tuæ:  
 Quàm si affectus ego ipse illis tam sæpè fuisssem:  
 Flebam, ac vrgebam me vehemente fame.  
 Sic me ieiunum affligebam, sed tamen illa  
 Omnia cedebant in probra dura mihi.  
 Vtebar sacco pro veste, loquacibus istis  
 Fabula fiebam, ludibriumque graue.  
 Iactabant in me dicteria praua sedentes  
 In porta, de me iudiciùmque dabant.  
 Et qui potabant vinum, inter pocula de me  
 Carmina cantabant ore loquace suo.

Hic ego fundo bonis auibus mea vota, precèsque  
 Ad te summe Deus, fer mihi promptus opem.  
 Immensa bonitate tua succurre, peritam  
 Tu fer opem: certa (quæso) salute tua.  
 E fordente luto, tu me eripe, ne amplius illic  
 Hærescam exanguis, seu moribundus ego.  
 Da, vt conclusus ego è nocuis osoribus, atque  
 Ex imo pelago liberer, (alme parens)  
 Ne me tempestas, & densus fluctus aquarum  
 Obruat in limo, naufragiòque graui.  
 Non me absorbeat, & deglutiat ima vorago:  
 Nec stricto puteus me tegat ore suo.  
 Pro bonitate tua tu hominum sanctissime custos  
 Me exaudi, quid te dulcius esse potest?  
 Pro immensa pietate tua in me respice mœstum  
 Tu pietatis amor, delitiæque viri.  
 A seruo faciem ne auertas valde benignam  
 Fluctibus in mediis quando pericla premunt.  
 Mille modis miserum vehemens angustia torquet:  
 Tu propera, vt presso des Deus vnus opem.  
 Respondere meo voto, mœstiisque querelis  
 Festina, vndique nam premit omne malum.  
 Accede huc propius, mihi tu succurre dolenti  
 Vt redimas animam, quam dolor omnis habet.  
 Me, propter rabidos inimicos eripe, probra  
 Quæ mihi dant hostes, sunt benè nota tibi.  
 Omnem ignominiam & conuitia turpia tu scis  
 Quæ in causa patiar, sustineamque, tua.  
 Ecce mei illi hostes coram te cominus adsunt:  
 Tristem animum frangunt probra molesta meum.  
 Et cor contritum opprobriis superatur iniquis  
 Quæ mihi coniciunt triste doloris onus.  
 Qui mihi mœrenti solatia dulcia præstet:  
 Opperior, nec qui commiserescit, adest.



Nullus adest, qui me in fatis soletur acerbis.<sup>1</sup>  
 Ipse nec inuenio qui fera fata leuet.  
 Nullus adest, animum qui nonnihil alleuet agrum:  
 Nam fel in hanc escam nunc posuere meam.  
 Et quando sitio, potum mordacis aceti  
 Mixti felle graui, dent (venerande pater)  
 In mortis laqueum ante illos vertatur eorum  
 Mensa, ex qua quærunt gaudia plena sibi.  
 Hic vbi pacem optant, scisso discordia crine  
 Impingens, pariat triste furoris opus.  
 Hec illis veniant in præmia, scandala, probra:  
 Et meritas pœnas, quas tribuere mihi.  
 Omne hoc iudicium rationis, & illa nocendi  
 Vis, adimatur eis, ô bone, iuste Deus.  
 Sint oculi illorum obducti caligine densa:  
 Ne quid in optata luce videre queant.  
 Illorum lumbi semper labantur, & horum  
 Tergum da pœnæ, seruitiique iugo.  
 Bilem effunde trucem super hos vehementer, & iram  
 Ardentem, hos tumidus vinciat ille furor.  
 Horum sit deserta domus, tentoria magna  
 Illorum, nullus mox habitare velit.  
 Nam Domine afflictum cum me percusseris, vltra  
 Percutiunt, duris verberibusque premunt.  
 Ad plagas, quas infixisti (ô iuste Monarcha)  
 Illi admetiri (nec ratione) solent.  
 In cumulum illorum scelus omne repone, quid illi  
 E vitio, in vitium, flagitiumque ruant.  
 Iustitiæque tua illi non vtantur, & huius  
 Non sint consortes, participesque sibi.  
 Viuorum è libro deleta sit impia turba:  
 Nec sua cum iustis nomina scripta ferat.  
 Sed me (iuste Deus princeps) tenuem, atque dolentem  
 Protegat excellens hæc tua certa salus.

Vt sublime Dei immortalis carmine nomen  
 Concelebrem, grates magnificæque feram.  
 Hoc magis oblectat Dominum, quam taurus opimus,  
 Et vitulus, qui sunt sacra dicata Deo.  
 Qui sua producunt crescentia cornua primum:  
 Et quorum crescens vngula tangit humum.  
 Respicite huc humiles, & gaudia iusta fouete:  
 Quod facti sitis merx pretiosa Dei.  
 Quærite sponte Deum, nam certo certius, illa  
 Vestra anima excelsi viuet in arce Dei.  
 Rex Dominus clemens humiles exaudit egenos:  
 Et victos nunquam despicit ille suos:  
 Hunc laudent cœli, tellus, mare, quicquid in illis  
 Serpit, cum authorem cuncta creata colant.  
 Nam Deus inuictus Zion saluabit, & vrbes  
 Iuda seruabit, ne noceatur eis.  
 Hanc læti ciues habitabunt, hancque tenebunt.  
 Vt iusti hæredes, filiolique Dei.  
 Et semen seruorum huius sæliciter illam  
 Incolet, hæc sedem dirigit ille suam.  
 Qui sanctum illius nomen venerantur amore:  
 Illam pacificè, perpetuòque, colent.

PSALMVS LXX.

Deus in adiutorium meum intende.

TITVLVS.

*David adhortatorij generis commone factio, eiusdem  
 argumenti est, cum superiore Psalmo.*

**M**I Deus, (vt spectas) me circuit hostis acerbus.  
 Eripe me ex grauibus, continuisque malis.  
 Festina, fer opem, Domine, & me (quæso) moreris:  
 Rebus in afflictis sis mihi tuta salus.  
 Erubeant, & confundantur turpiter hostes

Qui quærunt animæ fata molesta meæ.  
 Retro vertantur, pudefiant in sua damna.  
 Hic malè qui cupiunt (nec ratione) mihi.  
 Et retrò vertantur in hoc, rubor vt tegat illos  
 Qui ohe, ohe, impingunt obiciuntque mihi.  
 Infestis mœstas onerant sermonibus aures.  
 Namque meo gaudent, insiliuntque malo.  
 Ast omnes qui te quærunt, lætentur, & in te  
 Exultent, cum sis (rex bone) noster amor.  
 Et qui depereunt, multum redamantque salutem  
 Quæ prodit de te, semper in ore ferant.  
 Magnificè Deus omnipotens canteretur, vt illis  
 Omnibus in rebus magnus, & altus, hic est.  
 O Deus, hic equidem sum humilis, tenuisque: sed ô tu  
 Mi Domine auxilium fer mihi, rumpe moras.  
 Festina mihi tu succurrere, longius (oro)  
 Ne tu differ, in his spes mea certa malis.  
 Seruator meus es, meus es defensor: & vna  
 Es mea libertas, & mea sola salus.

PSALMVS LXXI. ἀπειραφός

In te Domine speravi, non confund. in.

ARGVMENTVM.

*Oratio, & gratiarum actio est, vt Dominus per omne  
 senium perinde adsit, ac per iuueniles annos: nullam  
 enim ætatem à tribulationibus  
 vacare.*

**S**pes mea tota sita est, in te Domine inclyte princeps  
 Ne vnquam confundi me sine, iuste Deus.  
 Iustitia tu namque tua me protegis, & me  
 Eripis, ex hostis fraudibus, atque metu.  
 Aurem sponte tuam mihi præbes, me quoque saluas

Dum vita innumeris est agitata malis.  
 Es rupes robusta mihi (Rex nobilis) in quam  
 Confugio semper pressus ab hoste malo.  
 Saluare afflictum statuisti: nam mea petra  
 Es, munimentum, præsidiumque meum.  
 Impius ille meis semper ceruicibus instat:  
 Illius è regida me citò solue manu.  
 E dextra iniusti, & violenti me modò pressum  
 Libera, & afflictum substrahe, summe Deus.  
 Rebus in afflictis mea es expectatio sola:  
 O Domine omnipotens, valde benigne Deus.  
 E cunis ipsis, & ab hac florente iuuentra  
 Es mea spes constans, atque beata salus.  
 Te nitor grauida charæ genitricis ab aluo:  
 In te conceptus, sum stabilitus ego.  
 Me secreuisti dilectæ matris ab ipsis  
 Visceribus castis, mi venerande pater.  
 Hinc consumo meam omnem laudem nocte, dièque  
 De te, in te solo laus mea semper erit.  
 Tanquam portentum turbæ sum factus atroci:  
 Me vt monstrum horrendum, prodigiùmque fugit.  
 Tu verò, mea es (ô princeps) fiducia firma.  
 Pulchra ergò plenum est os mihi laude tua.  
 Gloriam ego ore tuam cantabo tempus in omne:  
 Et maiestatem concelebrabo tuam.  
 Me non abiicias, dum me premit ægra senectus:  
 Et gressus tremulo dum mihi tardus inest.  
 Me non deficias, cum virtus deficit, & cum  
 Defluit hæc ætas partibus orba suis.  
 Viribus effæctum ne me tu defere, corpus  
 Exuctum affligit nocte, dièque, dolor.  
 Quassatum est fluxi validis hoc viribus æui.  
 Viribus obtusis languida membra cadunt.  
 Tu succurre mihi, nec deneget hæc tua virtus

Auxilium, effracto quam pores, adfer opem,  
 Hostes namque mei rabidi, multumque feroces  
 In me damnosum nunc meditantur opus.  
 Qui dant insidias animæ, communiter illi  
 Consulrant, de me talia verba ferunt.  
 Hunc Deus iratus iusta ratione reliquit.  
 Currite post illum, nam citò captus erit.  
 Captus erit, nam nullus adest, qui liberet illum:  
 Ne à me longè abeas (ò Deus alme parens.)  
 Promptus ad auxilium propera tu mi Deus, & me  
 Eripe. quando hostes obsidione premunt.  
 Hos aduersantes animæ quæ concidit ægra  
 Nunc pudeat, subitò deficiantque, precor.  
 Fœda ignominia, & probro grauiore tegantur  
 Qui occulta quærunt fraude nocere mihi.  
 At semper constem, assiduè, & patienter acerbos  
 Expectem casus, magnificémque Deum.  
 Augeam ego ipse tuam omnem laudem, & voce decora  
 Iustitiam celebrem, commemorémque, tuam.  
 Vitricæ hederas exponam, quas numerare  
 Non possum, hæc veniunt sponte fauente tua.  
 Hæc mea lingua tuam memoret cum laude salutem:  
 Donec agam vitæ tempora certa meæ.  
 Cùm multos in me meritorum semper aceruos  
 Contuleris summo, gratuitoque, bono.  
 Ipse modum illorum ignoro, sunt maxima, nunquam  
 Hæc intermittam commemorare viris.  
 Quàm sis omnipotens, & quàm sis iustus, & æquus:  
 Solus ego ingrediar dicere, summe Deus.  
 O Domine illustris princeps, & conditor orbis:  
 In mentem cunctis hæc reuocabo viris.  
 Nam Deus à puero, & teneris iuuenilibus annis  
 Vsq̄ ad eam ætatem me tua facta doces.  
 Promulgare doces tua me miracula, canum

Atque senem ne me desere iuste Deus.  
 Quin adsis potius velut huc vsque, alte monarcha  
 Qui cælum, & terram regnâque cuncta regis.  
 Donec ego memorem venturæ posteritati  
 Brachium, & hoc robur (rex metuende) tuum.  
 Quàm sis omnipotens, quàm sit tua summa potestas?  
 Omnibus exponam gentibus, ore meo.  
 Omnibus exponam præsentibus, atque futuris:  
 Rebus in aduersis, & tua gesta canam.  
 Iustitiam indè tuam hic extollam prorsus in altum:  
 Qua perfecisti magna, tremende Deus.  
 Quis tibi sit similis. quis tecum laude vehendus?  
 Robore quis tecum conciliandus erit?  
 Qui mihi monstrasti ærumnas, & dura duella  
 Et mala multa, quibus vexor, & angor ego.  
 Afflictum rursus sed tu me restituiisti  
 Ira deposita, quæ mihi tristis erat.  
 Et me iterum tu erexisti telluris ab imo  
 Vt barathro, insigni nobilitate tua.  
 Abiectum tu me dignatus laude fuisti:  
 Auxisti famam nominis ipse mei.  
 Quid? me auxisti gratis honoribus, atque vicissim  
 Hæc tua solamen gratia læta dedit.  
 Quare (summe Deus) celebros te carmine te dulci  
 Organici nabli, dulcisonè que chelis.  
 Et canto nablo, quàm sis super omnia constans  
 His in promissis, pollicitisque tuis.  
 O sancte Israël, citharæ cum voce loquaci  
 Psallo tibi, gestu gaudia, labra ferunt.  
 Æquè anima hæc mea, quam verè tua dextra redemit  
 Gestit, vt ista tibi nunc tua gesta canam.  
 Hæc mea lingua die tota meditabitur illam  
 Iustitiæ lucem, sacrâque iura tuæ.  
 Nam sunt confusi, & pudefacti qui mihi triste

Quæsiuere malum corde procace suo.

PSALMVS LXXII.

Deus iudicium tuum regi da.

TITVLVS

Solomonis

ARGVMENTVM.

*Solomonis oratio est pro se, ac populo, quibus Christus, &  
Ecclesia significatur.*

**A** Equo iure tuo regem (Deus inclyte) dona.  
Spiritus ei immensa da bonitate tuum.  
Illi (quæso) tuas cupias præscribere leges:  
Ut recto prudens ordine cuncta gerat.  
Iustitiæque tua tu gnatum regis honesti  
Dona qua regnum dirigat omne suum.  
Iustitia ut præsit populo, rùm & legibus æquis  
Præsit, & afflictis, pauperibusque tuis.  
Illi namque tuæ curæ sunt iure relictæ.  
Hos humiles tractet iure fauente tuo.  
Et montes populo pacem, collésque virentes  
Iustitiæ sanctæ fœdera sacra ferant.  
Reges, atque duces, quorum caput eminent orbi  
Dent populo pacem, iustitiámque suo.  
Iudicium è populo minimis vt reddat. ægenos  
Ut gnatos inopum feruet amoris ope.  
Illis ne noceat damnosa calumnia falsò  
Accusatorum qui scelus omne ferunt.  
At citò comminuat violentum, quo magis omnes  
Te timeant, & te (summe monarcha) colant.  
Vt venerentur, ament, mequant te in sæcula cuncta:  
Donec in hoc cœlo, sol gradietur iter.  
Donec & in cœlo cincto rutilantibus astris  
Luna suum cursum nocte, dièque dabit.

Æqua fides, & iustitia hæc. qua cuncta reguntur  
Ad terram veniat regis ab arce Dei.  
Descendat fundum in defectum messibus albis  
Vt pluuia, arenti rósque benignus agro.  
Iustitia illius per tempora floreat, ingens  
Multráque pax duret, dum vaga luna micat.  
Dum vaga luna suum cursum tenet, atque tenebras  
Obscuras noctis, luce micante fugat.  
Imperet à pelago, vastum dominetur ad æquor:  
Nulla sit imperij nescia terra sui.  
A fluuio Euphrate, vsque ad fines totius orbis  
Extremos, & ad hæc littora cuncta maris  
Solis ab aurora, & rutilantis luminis ortu  
Solis ad occasum rex sua sceptra ferat.  
Coram illo Domino Dominorum, poplite flexo  
Æthiopes, manibus supplicibusque cadent.  
Vt se subiectos illi testentur, ad illum  
Cum venient, summa religione colant.  
Seruitio addicti lingant terram, illius hostes  
Mordicus ore suo corripiantque solum.  
Huic reges maris, & cilicum, tharsisque feracis  
Et Cretæ. & Cypri munera magna, ferent.  
Huic dona adducent, reges qui regna gubernant  
Intima latiuagi, continuíque, maris.  
Dona ferent reges Arabum, populique Sabæi.  
Sponte suo regi magna tributa dabunt.  
Hunc omnes reges Dominum reuerenter adorent  
Hic, regum rex est, omnia regna regit.  
Huic tanto regi gens omnis seruiat, orbis  
Totus eum pura religione colat.  
Vt querulum, & depressum inopè, afflictumque dolore  
Cui nullus dat opem, liberet, atque leuet.  
Vt pius in miseros inopes, tenuésque, feratur:  
Vtque animas inopum saluet amore suo.

Horum animas vindex redimet de scœnore turpi  
 E violente manu, fraude, dolôque malo.  
 Illorum vitam in pretio numerabit, & horum  
 Sanguis coram illo rûm pretiosus erit.  
 Non impune feret, qui fuderit ense cruorem  
 Horum, nam vindex iustus, & æquus erit.  
 Viuat, ei ex Arabum auro derur, & ille Monarcha  
 Summus adoretur tempus in omne viris.  
 Assiduæque preces illius nomine fiant:  
 Regno vt succedant prospera quæque suo.  
 Quotidie magis, atque magis regnum illius ingens  
 Dilatetur, eum maximus orbis amet.  
 Munificus princeps inopi celebretur, & omni  
 Tempore laudetur, cum bona tanta ferat.  
 Tanta fit in terra, & montano vertice diues  
 Copia frumenti, tanta sit illa seges.  
 Vt Libani instar conficiat, reddâtque fragorem.  
 Sit paruo ex grano maxima messis humi.  
 Quid? frugum calami, & sublimes messis aristæ  
 Vt Libani Cedri (si viget aura) sonent.  
 Vt terræ fœnum, Solymorum cinis in vrbe  
 Germinet, illius crescat vbique decus.  
 Illius nomen duret per sæcula cuncta:  
 Illius nomen sæcula cuncta canant.  
 Illius nomen iuuenescat solis ad instar:  
 Fiat in hoc hæc gens tora beata Deo.  
 Prædicet hunc regem omnis natio in orbe beatum  
 Præ cunctis, ille est omnibus, vna salus.  
 Laudetur magnus Dominus Deus, & Deus ille  
 Israël princeps, huius & vnus amor.  
 Qui miranda suis excelsis viribus vnus  
 Præstat, qui mundum solus vbique regit.  
 Et maiestatis venerandæ principis huius  
 Nomen, sit dignum semper honore suo.

Maiestate huius sancta repleatur vbique  
 Omnis terra, illi gloria, laus, & honor.  
 In toto cœtu, tota populique corona,  
 Magnificetur, in hoc orbe, monarcha Deus.  
 Quod iubet ille Deus, fiat, fiatque frequenter:  
 Omnis Amen, cantet, dicat & omnis, Amen.  
 FINIS ORATIONVM  
 DAVID FILII IESSE.  
 FINIS LIBRI SECVNDI.

## SECVNDVS TOMVS.

*Qui distribuitur in Tertium, Quartum, & Quintum  
 librum Psalmorum.*

*Hæc, vt euenient, summa fuit votorum ipsius  
 David filij Iesse.*

PSALMORVM  
LIBER TERTIVS.

PSALMVS LXXIII.

Quàm bonus Israël Deus.

TITVLVS

ASAPH Carmen.

ARGVMENTVM.

*Fidei exercitium est, quæ impiorum foelicitate non nihil  
 offenditur, at vbi ad se redit: piorum impiorum-  
 que exitu se solatur.*



Vam suavis Deus Israël est omnibus illis  
 Qui sunt sincero corde, fidéque bona.  
 Quicquid agit, quicquid permittit, cedit ho-  
 Et meritò illorum qui mala multa ferunt. (nori  
 Quamuis ad tempus Deus optimus adferat ista

Fata, tamen semper iustus, & æquus hic est.  
 Humanis rebus Deus ille est prouidus author:  
 Illarum curam sollicitusque fouet.  
 Sed pes penè meus modò declinauerat, ipse  
 Penè oblitus eram nocte, dièque mei.  
 Penè mei gressus (vt qui per lubrica currunt)  
 Effusi fuerant rusticitate mea.  
 In stultam inuidiam tentatus cùm incido: cuncta  
 Illis peruersis salua videndo viris.  
 Nil oneris sub quo occumbant, opulencia magna  
 His simul ex animo cedere ritè solet.  
 Totus enim vitæ non solum cursus euntis  
 His fortunatus, sed requietus erit.  
 His in morte solet tranquilla semper adesse,  
 Illos vt longus non cruciatus agat.  
 His ætate graui defectis absque dolore  
 Obrepens subitò mors inopina venit.  
 Hæredi post fata suo tranquilla relinquunt  
 Ædes regales, magnificasque domos.  
 Ærumnis hominum minimè torquentur, & illos  
 Non in morte dolor, nec cruciatus agit.  
 Et non cum reliquis miseris mortalibus illi  
 (Vt meruere tamen) iusta flagella ferunt.  
 Vt mala diffugiant, non deterrentur amicis  
 Diuinis flagris, sed scelus omne probant.  
 Quò fit vt effrenis, feruensque superbia, toros  
 Illos extollat, possideatque sibi.  
 Vt vis, atque atrox iniuria contegat illos.  
 Et tectos habeat criminis atra cohors.  
 Vt per opes multas illos furibunda cupido  
 Vt bruta, in luxus, deliciásque trahat.  
 Et desiderium cordis sectentur, & addant  
 Cuncta voluptati quæ iubet omne scelus.  
 Fortunæ ebrietate, ad eum insanum vsque furorem

In

In florente sibi prosperitate placent.  
 Omnia sordescunt illis, quam quæque loquuntur  
 Per fastum audacem, nequitiamque suam.  
 Hoc autem ipsi valde elata voce loquuntur  
 Omnibus immeritò probra nefanda vomunt.  
 Ob scelus admissum se iactant, nec pudet illos:  
 Horum cùm irritat perfida lingua Deum.  
 Ore venenato Dominumque, Deumque lacessunt.  
 Quamuis sit supra cuncta, monarcha Deus.  
 In cœlum, ingratum os portendunt, lingua vagatur  
 Illorum, & totum circuit orbis opus.  
 Nec cœli Domino, nec non mortalibus vllis  
 Hi maledicendo parcere sponte, volunt.  
 Idcirco & grex illorum qui sæpe sequuntur  
 Hos, hic versatur commoditate sua.  
 Vtilis hic quæstus multumque vberimus istis  
 Prouenit, & si illos fluctus, & vnda premant.  
 Quin hi ridentes & dicere protinus audent:  
 Quo pacto sciret prouidus ista Deus?  
 An Deus hæc nouit supremam qui incolit arcem;  
 Et fert, & patitur crimina tanta videns?  
 Sic ergò mecum reputabam mente reuoluens:  
 En reprobi, ac dites robur, opésque, tenent.  
 Robur, opésque tenent vitæ foelicis in annos:  
 Et summum insignis culmen honoris habent.  
 Frustra igitur vitam insontem nunc transigo: frustra  
 Et cor purifico relligione meum.  
 Ergò manus frustra (fugiens scelus) vt tuus adsim:  
 Innocua vita, munditièque lauo.  
 Ergò diem totum frustra illic vapulo, noctem  
 Totam castigor, flagràque tanta fero.  
 Cùm hoc inquam pacto reputarem (rex bone) mecum:  
 Spectarémque malos prosperitate frui.  
 Tantum non socium fœdus, cœtumque tuorum

M

Gnatorum poteram tùm reprobare mihi.  
 Hęc animo mecum statuebam scire profundo:  
 Námque videbantur, valde molesta mihi.  
 Donec mente alta penetrarem ingressus in illa  
 Sacra adyta, arcanum, consiliúmque Dei.  
 Donec & illius mentem, & mysteria rerum  
 Cum sanctis saperem spiritus ore sacro.  
 Donec ibi mente, atque animo complecterer alto  
 Prauorum finem, cùm bona quæque ferant.  
 Nempe quòd hos in lubricum iter (Deus alme) locasti:  
 Ex alto & sternis, præcipitáque loco.  
 Vah quàm illi reprobi subito expelluntur, & extra  
 Hoc vitæ fœlix eiciuntur iter.  
 Extorres illi perimuntur cladibus abste:  
 Et cónsumuntur perditione sua.  
 Perditione graui, & varia absumuntur, at horum  
 Quàm subita, & præceps, alta ruina fuit?  
 Non aliter quàm somnium, vbi euigilauerit atra  
 Nocte aliquis, qui nil se reperire videt.  
 Sic horum erectas statuas, simulachráque, fumos  
 Et titulos deles prorsus ab vrbe, Deus.  
 Hoc pacto veluti fermentabatur in horas  
 Cor pertriste meum, sic tumefactus eram.  
 Dispunctos renes qui fortius igne, calebant  
 Immutabar ego pressus acore graui.  
 Sic mente ambigua quæ secum plurima voluit.  
 Me ipsum torquebam, nec modus vllus erat.  
 Hoc pacto imprudens agitabar feruidus aestu:  
 Bestia, coram te tunc ego stultus eram.  
 Cùm mihi tu nunquam desis bonitate fideli:  
 Et dextram capias, sustineásque meam.  
 Consilio me ritè tuo comes optime ducas:  
 Et mihi demonstrés dux benefidus, iter.  
 Deinde me honorificè motus pietate paterna

Suscipias hilari fronte, benigne parens.  
 Quanta mihi (oro) sunt (princeps excelsæ) reposta  
 In cœlis qui sunt hæc tua cella domus?  
 Qui sunt (rex regum) tua regia nobilis? illa  
 Terra, mihi nihil est, dum memor exto tui.  
 Quæ sunt in terra, quando tibi confero: prorsus  
 Temno, mihi nihil est hæc caro, corque meum.  
 Námque mei cordis robur, mea portio diues  
 Perpetuò Deus es, totius orbis amor.  
 Te vnum amplector ego, & suspiro funditus: & nil  
 Præter te cupio, nocte, dièque mihi.  
 Corpus, & hic animus totas tabescit in horas  
 Hoc desiderio valde flagrante tui.  
 Ecce illi percunt qui abscedunt longius abs te  
 Qui es, mundi cunctis gentibus vna salus.  
 Omnem illam qui aliud contempto te, tibi præfert:  
 Perdis, & id iusta tu ratione facis.  
 Sed mihi valde bonum esto hærrere tenaciter illi  
 Clementi, & dulci, munificòque Deo.  
 Optima res esto, Dominòque Deoque potenti  
 Fidere, spes certa est in bonitate Dei.  
 Omne opus illius totum memorare per orbem.  
 Optima sit mihi res, nam benè cuncta facit.

PSALMVS LXXIII.

Vt quid Deus repulisti in finem.

TITVLVS.

ASAPH Admonitorium.

ARGVMENTVM.

Oratio est ex Babylonica captiuitate ad Deum,  
 ne perpetuò sinat suos affligi.

**C** Vr in perpetuum tu nos Deus alme repellis?  
 Cur stomachatur in hunc tam grauis ira gregem?

M ij

Ille tuæ vnus curæ committitur, illum  
 Vt pascas, cœtus (quæso) memento tui.  
 Electum hunc cœtum tibi iam olim sponte parasti:  
 Tu populi Israël nunc memor esto tui.  
 Assis virga tui, & sceptrum, regnûmque redempti  
 Israël, moneat te (venerande parens.)  
 E rigido, durô que iugo hunc rex asseruisti.  
 Tu huius rupisti ferrea vincla manu.  
 Vt rex in populum tanquam iustissimus hæres  
 Acciperes leges, imperiûmque tuum.  
 Illius montis Zion quem tu incolis vtrò  
 Sis memor, est regni culmen, & altus honos.  
 In gressus te tolle tuos, sis obuius hosti.  
 Ne cunctere (precor) tu modò rumpè moras.  
 O Deus, hostis atrox tibi sanctum, & nobile templum  
 Vastat, te in rectos erige (quæso) pedes.  
 Vt cæde afficias bacchantem turpiter hostem:  
 Est ausus templum commaculare tuum.  
 Nil non est ausus tentare procaciter, illud  
 Polluit impura, sacrilegâque manu.  
 In templo, sancto que loco, omnia perdidit: illic  
 Vt nullus tibi (Rex) iam superesset honos.  
 O Deus, in festis illis solennibus, hostes  
 Hic reboant, cunctis incuriuntque metus.  
 In sacro templo vietricia signa locarunt:  
 Urbis vt acceptæ iam monumenta forent.  
 Erexere sibi captam vexilla per ædem:  
 Signaque mox pinnis imposuere sua.  
 Creditur audiri scindens vtrinque securis:  
 Qua vastant templi culmina sacra tui.  
 Tecta superna secant ferro resecante securis:  
 Vt nil sit templum, reliquiæque domus.  
 Ille fragor veniens vehementer ab æde superna  
 Arboris euerse est sylua tonantis humi.

Runcinis simul, & valida, horrendaque bipenni  
 Quassatur sculptum nobilis ædis opus.  
 Iam nunc hoc, nunc illud agunt, vt denique perdant  
 Omnem hunc ornatum, magnificasque fores.  
 Sanctus hic ille tuus locus igni incenditur, hostes  
 Consumunt ædes igne vorace tuas.  
 Nominis alta tui domus hæc euerfa, ruinis,  
 Polluitur, ruit, & præcipitatur humi.  
 Illa prophanatur, penitus vastatur, ab illis  
 Prorsus adæquatur præcipitata solo.  
 Proh dolor, vt fœdum modò conspurcatur equile:  
 Nullus ibi superest, conspiciturque decor.  
 Sacrilegi rabidis dicunt in cordibus hostes:  
 Iam nos victores diripiamus eos.  
 Depopulemur eos, nunquam celebretur in illa  
 Vna dies summo festa dicata Deo.  
 Qui terras habitat, non amplius affluat illuc:  
 Nec queat hîc festum concelebrare diem.  
 Sed non aspicimus signa hæc que patribus olim  
 Hîc ostendisti tu bonitate tua.  
 Apparent nondum conceptæ signa salutis:  
 Et nondum Domini pendet ab arce, salus.  
 Ah non vllus adest vates, qui præcinat ore  
 Quanto tempore, nos hæc mala dura manent.  
 Nullus iam superest doctus, sapiensque propheta:  
 Qui possit fatis nunc adhibere modum:  
 Et qui scire queat quando sperare licebit  
 Finem, qui tribuat post mala, dulce bonum.  
 Nullus qui quicquam, aut tantillum cernat in illis  
 Afflictis rebus, continuisque malis.  
 Probra quousque feres tibi nunc illata per hostem  
 O Deus? hostis atrox cur tibi probra vomit?  
 Qua te contemnit, grauis est iniuria, sed cur  
 Hanc patiens tanto tempore ferre potes?



Perpetuò ne tuum proscindet nomen hic hostis?  
 In maiestatem cur ruit ille tuam?  
 Cur utramque manum tu hominis nunc desidis instar.  
 Contrahis in tacitum, plausibilémque, sinum?  
 Sed cur omnino retrahis Deus alme sinistram  
 Et fortem dextram qua cadat hostis atrox?  
 E gremio has profer, sceleratos funditus hostes  
 Perde tuos, vindex ó metuende Deus.  
 O Deus, atque meus Rex, es venerandus ab ipso  
 Principio, seruas quos cupis ipse tibi.  
 Et qui quicquid in hoc medio terræ orbe salutis  
 Est: o peraris, & es tu cruce victor ouans.  
 Per terras, palmæ victricis es vnicus author:  
 Hâcque salutis opes hæc tua dextra facit.  
 Hac virtute tua mare tu discindis, aperta  
 Plebis vt Israël sit via sicca tuis.  
 Thynnorum qui habitant in magnis æquoris vndis  
 Tu capita elidis, comminuísque, manu.  
 Leniatham testam, & caput hoc Pharaonis atrocis  
 Horrendum, frangis roboris arte tui.  
 Et populo Æthiopum tu illum largiris in escam:  
 Huius vt exuias auferat ille sibi.  
 Ægypti victæ dispersa cadauera coruis  
 Et rabidis præbes dilanianda feris.  
 E silice, & fontem & rapidarum flumen aquarum  
 Incidis, magnas petra profundit aquas.  
 Immanes fluuios exiccas tu Deus illic.  
 Cernere nil posses prætereuntis aquæ.  
 Est tuus ille dies, sunt hæc tua tempora noctis  
 Alternis vicibus cedere iure solent.  
 Tu benè adornaisti lucem, solémque coruscum:  
 Vt præsent vicibus, temporibúsq; tuis.  
 Nocti distribuis Lunam, Solémque, diei:  
 Et nocti Stellas, igniferósque globos.

Auroram rubeam fecisti, Solis vt esset  
 Nuncia, quæ tenebras luce micante fugat.  
 Est abs te, terræ præscriptus terminus, abs te  
 Omnibus & rebus mutuus ordo datur.  
 Tu ver, æstaté, atque Autumnum, hyemémque vicissim  
 Formasti, sic sunt tempora certa sibi:  
 Sis memor ergò Deus cælum cui militat omne  
 Horum probrorum quæ mouet hostis atrox.  
 Sis memor & populi stupidi, nimumque rebellis  
 Qui malè blasphemar nomen in orbe tuum.  
 Ne tuus ille feræ turtur tradatur atroci:  
 Conserues animam turturis ipse tui.  
 Contemplare tuos humiles, obliuio nè te  
 Illorum captet tempus in omne, (parens)  
 Respice tu fædus quod tu cum patribus olim  
 Fecisti, pacti tu memor esto tui.  
 Siste tuo pacto, quoniam tenebrosa repletur  
 Illa domus terræ, crimine, fraude, dolo.  
 Nos mala tanta premunt, non hîc durare liceret:  
 Cogimur in tetrís nunc habitare locis.  
 Cogimur in tenebris obscuram degere vitam:  
 Tristitiæ nostræ nec modus vllus inest.  
 Omnibus hic probris sæuo laceramur ab hoste:  
 Hostis & insultus nunc furibundus adest.  
 Hæc loca nostra sibi quæ sunt plena vndique luctus  
 Occupat hostis atrox, & violentus homo.  
 Ne modò contritus (quæso) cogatur abire.  
 Illic nec detur mæsta repulsa (Deus)  
 Non ignominiis adfectum, humilémque fidelem  
 Atque oppressum inopem sponte repelle tibi.  
 Illi te laudant, hi te venerantur honore:  
 Laudibus hi tollunt nomen ad astra tuum.  
 Mox exurge Deus, causam defende fauenti  
 Iure tuam, probri iure memento tui.

Sis memor opprobrij, nullo non tempore; quo te  
 Afficit hic stultus qui tua iussa negat.  
 Ne Domine accipias obliuia vocis acerbæ  
 Hostis, qui spernit nomen vbique tuum.  
 Fastus enim illorum qui in te nunc vndique surgunt:  
 Et magis, atque magis crescit, & alta petit.

PSALMVS LXXV.

Confitebimur tibi Deus.

TITVLVS.

*ASAPH adhortatorij generis, Al Thafch Heth.*

*Id est, ne perdas: Hymnus  
 gratiarum actionis.*

ARGVMENTVM.

*Orat qui negligens, aut cunctatus fuit: vt functioni  
 restituatur, ac pollicetur se pro dignitate res  
 gesturum esse, futurum enim vt Do-  
 minus orbem adfligat.*

**O** Deus omnipotens te nos celebrabimus, illas  
 Tollemus laudes semper in astra tuas.  
 Nôsq; tuum nomen præsens celebrabimus vltro.  
 Lingua tuum excellens non reticebit opus.  
 Egregia hæc tua facta viris narrabimus: hostes  
 Tu virtute tui nominis ipse domas.  
 Quando nactus ero tempus, tempusque statutum:  
 Æquum ius, rectum iudiciûmque dabo.  
 Langueat ista licet tellus, atque incola terræ  
 Omnis, præ ingenti, terribilique metu,  
 Ille ego quas icci, terræ firmabo columnas,  
 Si placet, has scindam, concutiâque citò.  
 Et dicam stultis, ne quid faciatis ineptè  
 Et stulte, nec vos turpe patrare scelus.  
 Et dicam reprobis, ne vestrum tollite cornu:

Nolite in Dominum verba superba loqui  
 Nolite in Dominum qui cælo regnat in alto  
 Erigere has cristas ambitione leui.  
 Nec nimis erecta ceruice feratis in illum  
 Probra, vel infandum vos agitetis opus.  
 Colla superba Deo Domino submitte tandem:  
 Vestraque vos huius reddite colla iugo.  
 Nullus ab occasu veniet, nec solis ab ortu:  
 Non à deserto, terribilique noto.  
 Vllus non aderit vobis à montibus altis  
 Qui vos defendat belligerante manu.  
 Sed Deus est vindex, hunc deiicit, erigit istum:  
 Craterem vini nam tenet ille manu.  
 Ille quidem vino ornatus, plenusque meraco:  
 De quo fundetur cum bonitate, piis.  
 Huius sed fæces exuger, & ebibet omnis  
 Impius hic terræ qui sitit omne scelus.  
 De reprobis pœnas sumet Deus æquus atroxes.  
 Præbebitque piis præmia digna suis.  
 Ipse autem tua gesta (Deus) memorabo per æuum:  
 Laudabo Iacob tempus in omne Deum.  
 Omnia confringam reproborum cornua, iusti  
 Exaltabuntur cornua firma viri.

PSALMVS LXXVI.

Notus in Iudæa Deus.

TITVLVS.

*Adhortatorij generis Psalmus Asaph organu-  
 latorius ad organa.*

ARGVMENTVM.

*Magne alicuius victoriæ gratulatio est, epinicion.*

**I**N Iuda notus Deus est, super omnia magnum  
 Nomen in Israël Rex generosus habet.

Ipse sibi in Solymis tentoria fixit, & alta  
 In Zion, fecit, constituitque domum.  
 Istic confregit volucres, celerésque sagittas:  
 Et fortes arcus, scutáque dura manu.  
 Mortiferos rupit gladios, atque omnia bella:  
 Quæ cunctis gignunt, incutiuntque metus.  
 Clarior in bellis, & magnificentior es tu  
 Prædonum excellis montibus, atque feris.  
 Conspicius, vel fortis eras tùm victor in hostes:  
 Fortior acri vrsó, siue leone truci.  
 Qui nunc ad prædam exiliunt è montibus altis:  
 In quibus ad somnum commoda lustra perunt.  
 In prædas abeunt audaces corde, soporem  
 Stertunt, præsidio nil potuère suo.  
 Fato concedunt somno vehemente grauati.  
 Mortiferis telis oppetiere suis.  
 Nil potuère suis armati viribus, illi  
 Quamuis tractarent arma cruenta manu.  
 Omnes cum immensis opibus, cunctique potentes  
 Prostrati in nihilum tunc rediguntur humi.  
 O Deus ipse Iacob; cunctis metuendus in armis:  
 Qui solus subito ferrea bella domas.  
 Cùm verbis illos obiurgas, mortis acerbæ  
 Obruitur somno currus, & omnis eques.  
 Nec rex inuictis cum viribus agminis, atque  
 Curribus effugit tela cruenta necis,  
 O Deus omnipotens, es formidabilis, omnes  
 Te Dominum iusta cum ratione timent.  
 Conspectum ante tuum quis enim sibi constet: abundè  
 Cùm tu succenses, & mouet arma furor?  
 Cùm tu de cælo profers æquissimè iudex  
 Decretum, edictum, iudiciúmque tuum:  
 Iam tellus tremebunda silet, concussa tremore  
 Illa tacet, sed quid diceret illa tibi?

Quum Deus exurgit iudex, vt iudicet omnes:  
 Vt reprobos pœna, supplicióque, premat,  
 Vt misera in terra, è violente tyrannide cunctos  
 Adferat afflictos, quos graue vexat onus.  
 Iustam ob eam vindictam homines tua fortia gesta  
 Collaudant, laudes concelebrantque tuas.  
 Telaudent, vt ad hanc vindictam rursus in hostes  
 Accingaris, honos hic tuus, altus erit.  
 Sponte vouete Deo Domino; illi reddite vota:  
 Victricis palmæ præmia læta tulit.  
 Hoc in magnifico cœtu vos quotquot adestis  
 Terribili Domino munera ferte Deo.  
 Hic est principibus qui vitam intercipit: & qui  
 Terribilis, terræ regibus esse potest.

Voce mea ad Dominum clamaui.

*Asaph adhortatorij generis pro vice idithum, hymnus.*

*Tentatur fides, illa se tuctur Dei contemplatione  
 atque gestis, attamen adhuc tentatur, sed tandem  
 superat, cùm se in omnipotentia ac prouidentia eius considerationem recipit.*

**C**Um alta voce mea, mœstis animique querelis  
 Clamarem ad iustum, perfacilémque Deum  
 Ad dulcem, leuémque Deum cùm voce dolenti  
 Clamarem: tum aurem præbuit ille mihi.  
 Cùm tribularer ego curis distractus acerbis:  
 Quærebam Dominum qui mihi ferret opem.  
 Ipsa vacillabat virtus mea languida, noctes  
 Totas, vlla quies nec mihi dulcis erat.

Nec sese meus ille dolor, mœrorque feuerus  
 Nocte remittebat vi grauiore sua.  
 Omne meum vulnus recrudescibat in horas:  
 Nec fisti poteris huius acerbe cruor.  
 Fundebat tota vehementi nocte cruorem  
 Et saniem, fluxum continuûmque, dabat.  
 Cuncta recusabat solatia mēns mea tristis:  
 Lætitiæ gratas & reuēbat opes.  
 A solo Domino solatia læta petebat:  
 Hunc expectabat nocte, diēque sibi.  
 Cūm persæpe Dei reminiscerer, ipse fremebam:  
 Cūm votum ordiret, mœstus, & æger eram.  
 Spiritus oppressus curis me valde frementem  
 Deficiebat in hac anxietate graui.  
 Palpebras vigilēs oculorum nocte tenebas:  
 Ne somno possem me recreare leui.  
 Sic infornis eram attonitus, turbatus, & æger:  
 Vt mihi vocis iter clauderet ille dolor.  
 Et præ continuis singultibus, atque palato  
 Clauso, non posset lingua molesta loqui.  
 Sic mihi sensus iners, & mens torpore sepulta  
 Sequi, gignebant tēdia mille sibi.  
 Tunc retrò mecum reputabam tempus, & annos  
 Seclorum lapsos, præteritòsque dies.  
 Nox infesta nigras tenebras, curasque sopori  
 Frigido, in excubiis tristitia fata dabat.  
 Mente reuoluebam mea carmina, sæpe loquebar,  
 Cum corde ancipiti quod dolor vrget atrox.  
 Spiritum ego ambiguum excutiebam, talia dicens.  
 An nos perpetuò deseret ille Deus?  
 Num nunquam Dominus fiet placatior vltra?  
 Num placidus post hæc, ille quietus erit?  
 Ad finem vsque, bonus Deus à bonitate fideli  
 Nunquid abhorrebit, cūm sit origo boni?

Irritus est sermo, quo nos promiserat ægros  
 Se solaturum? desinet ipse loqui?  
 Desinet ipse loqui post sæcula cuncta futuris?  
 Tristitiæ nobis nonne repellet onus?  
 Num Deus ipse sibi miserendi fronte benigna  
 Nunc est oblitus, qui pius esse solet?  
 Nonne per ardentem hanc iram, summumque furorem  
 Ille suas reprimet nunc pietatis opes?  
 Huc tandem mœstus veniebam, vt dicere possem:  
 Nonne satis toto tempore sanus hic es?  
 Illa vices vindex excelsi dextera mutat.  
 Hoc opus immensum commemorabo Dei.  
 Hæc antiqua libens tua ego miracula constans  
 Mente recensebo, mi venerande Deus.  
 Hoc opus omne tuum referam, cunctis que fatebor  
 Et de consiliis colloquar ipse tuis.  
 His de consiliis edisseret hæc mea lingua:  
 Illa tua in sancto est semita, iuste Deus.  
 Hoc opus omne tuum sanctum est, & filius vnus  
 Ille tuus, nobis præbet ad astra viam.  
 Quis Deus est adeò magnus, sublimis, & altus:  
 Vt Deus est? cælum tu regis, atque solum.  
 Tu Deus es qui mira facis, tu in gentibus orbis  
 Hoc notum robur, qui facis omne tuum.  
 Ipse redemisti populum virtute potenti  
 Hæc Iacob, & Ioseph pignora chara tibi.  
 Æquoris immensi cognoscunt te (Deus) vndæ:  
 Omnes cognoscunt te reuerenter aquæ.  
 Te Dominum, solumque Deum reuerentur abyssi:  
 Et terrore graui, continuoque tremunt.  
 Effundunt nebulae pluuies, nubésque fragorem  
 Reddunt, de grauido, parturiente sinu.  
 Collisæ nubes fulgur, tonitrusque tremendi  
 Inclusum emittunt, horribilèque sonum.

Inde tuæ vtrices, magnum per inane sagittæ  
 Discurrunt, & lacri cum leuitate volant.  
 Illis persimilis lapidosæ grandinis imber  
 Decidit è cælo per glaciale solum.  
 E cælo igniferum fulgur descendit, & illa  
 In sphæra tonitrus vox boat alta tui.  
 Emicat attonitum resplendens fulgur in orbem:  
 Et tremit, atque mouet funditus omne solum.  
 Per medium mare sic, tu rex spatiaris, & erras:  
 In vasto tua sic est via firma mari.  
 In molli pelago sic est tua semita constans:  
 Illius vt tritum non videatur iter.  
 Vt tua nec quisquam videat vestigia fixa:  
 Sic Dominus solus notus es ipse maris.  
 Ipse sub imperio Mosis, iussûque fideli  
 Hoc Aaron fratris, dux benefidus eras.  
 Non aliter quàm pastor oues ad pascua ducit:  
 Duxisti populum (mi Deus alme) tuum.

## PSALMVS LXXVIII.

Attendite popule meus legem meam.

## TITVLVS

*Asaph admonitorium.*

## ARGVMENTVM,

*Oratio est ad populum admonens, vt exemplis  
 Maiorum, docti in viam redeant.*

**A** Vdi mi popule illam legem quam tibi trado:  
 Et quam percupio iure docere tibi.  
 Illius egregij nitidis sermonibus oris  
 Attentas aures vos adhibete mihi.  
 Os verum adperiam ad vestræ præclara salutis  
 Facta, illuc animum vertite, mira canam.  
 Offeret hîc sese referenda parabola, pri mùm

Et quanquam hîc cerni fabula nuda potest.  
 Aut præter, suprâque fidem videatur id esse:  
 Contigit id seclis, temporibusque patrum.  
 Eruam ego docte priscarum anigmata rerum:  
 Abstrusa & prisca temporis acta loquar.  
 Ex nostris patribus doctis audiuius illa:  
 Scimus: & ingenio nota dedere suo.  
 Hęc narrauerunt nobis, & scripta dederunt:  
 Vt res hoc vero tempore gesta fuit.  
 Ne nos cõlemus per secla futura nepotes  
 Illorum, laudes concelebrando Dei.  
 Concelebrandò Dei robur, factumque stupendum  
 Quod gessit, mirum nam fuit illud opus.  
 Namque hic cum Iacob fœdus stabiliiuit, & vni  
 Israël legem cum ratione tulit.  
 De qua illis patribus nostris præcepit, vt illam  
 Gnatis præberent, instruerentque suis.  
 Hanc vt posteritas, & qui nascentur ab illa  
 Scirent, hanc gnatis prælegerentque suis.  
 Quò magis hi (nihil ex se præsumendò) locarent  
 Spem suam in excelsum, propitiùmque Deum,  
 Et non captarent obliuia protinus horum  
 Quę fecit verbo, consilioque suo.  
 Et custodirent huius præcepta, beatæ  
 Quę cunctis vitæ præmia læta ferunt.  
 Et non vt patres ipsorum natio duræ  
 Ceruicis fierent gens malè grata Deo.  
 Natio defectrix, & perfida: natio quæ non  
 Muniret recta cor ratione suum.  
 Cuius non esset verax hic spiritus, erga  
 Constantem in pactis, pollicitisque Deum.  
 Ephrain gnati Domino ceruice rebelles  
 Quo pacto fusi præcipitantur humi?  
 Hi licet armati vibrarent fortiter arcu

Tela, tamen belli tempore, sæpe ruunt.  
 Terga fugæ vertunt, in belli tristibus armis.  
 Occisi subito commoriuntur humi.  
 Namque Dei minimè seruarunt fœdus, amicam  
 Illius legem nec voluere sequi.  
 Obliti sunt consilia, eius & inclyta gesta:  
 Quæ illis ostendit nobilitate sua.  
 Fecit res miras hic coram patribus horum,  
 Egypti in terra, Taphuèque metropoli.  
 In campo vasto prope Nilum Taphueos vrbis  
 Quæ Pharaonis erat regia celsa ducis.  
 Abscidit hic mare, congeriem diuisit aquarum:  
 Et traduxit eos, stareque fecit aquas.  
 Vndas constituit, tanquam cumulasset acruum:  
 Vt starent veluti mœnia firma duo.  
 Muros fecit aquis, rubrum mare fidit vtrinque:  
 Quod sicco, & firmo transiliere pede.  
 Nube leui testos ardentis solis in æstus,  
 Per lucem duxit duxque, bonusque comes.  
 Noctis & obscuræ tenebroso tempore toto.  
 Dum graderentur ij, lumen in igne dedit.  
 Ignis & ardentem, & claram rutilamque columnam  
 Illis accendit, quòd via nota foret.  
 In vasta rupes præduras fidit eremo:  
 Illis & potum suppeditauit aquarum.  
 Hos velut in magna, atque alta potauit abyssos:  
 Et sicca latices elicuitque petra.  
 Vt magnorum instar fluuiorum præpete cursu  
 Proruerent silicis valde fluentis aquarum.  
 Nil sunt effecti meliores omnibus illis:  
 Adiungere sibi cœnem, & omne scelus.  
 Aduersus Dominum peccarunt: sapius illi  
 Ira affecerunt asperiore sua.  
 Excelsum in vasta, & tristi vehementer eremo

Irritauerunt,

Irritauerunt, cum bona tanta daret.  
 Tentare Deum, duris ex cordibus, illi  
 Ex hoc ceperunt & dubitare Deo.  
 Et quantum posset Dominus, fecere periculum:  
 Illud perfidia constituere graui.  
 Exegere cibum vt vult hæc insana libido:  
 Nam contra Dominum verba dedere sua.  
 Dixerunt illi in ieiuna nunquid eremo  
 Fercula lauta Deus sponte parare potest?  
 En petram percussit, aqua effluxere: potenti  
 Vt fluxu equarint flumina iusta suo.  
 Heu hominum impietas, heu natio cæca. benigno  
 Gens ingrata Deo, talia verba refert.  
 Nonne suo populo poterit panemque, cibumque  
 Præbere, & carnes sponte parare sua?  
 His Deus auditis irascebatur, vt ignis  
 In Iacob ardebat, tam grauis ira fuit.  
 Huius in Israël crescebat feruidus æstus.  
 Quod non seruassent pacta, fidemque Deo.  
 Et non sperassent, in opem, certamque salutem  
 Eius, qui his facilis, munificusque fuit.  
 Nubibus excelsis mandauerat ille. supernè  
 Cœlorum clausæ tum patuere fores.  
 Et rupit nubes, vt in illos ad comedendum  
 Nam plueret, tantus sic erat huius amor.  
 Frumentum præbebat eis cœleste, voracem  
 Faucibus vt possent exaturare famem.  
 Heroum panem pretiosum hic quisquis edebat:  
 Res mira, ex cœli nubibus ille venit.  
 Et mittebat eis epulas, & fercula lauta:  
 Vt satiata sibi tota libido foret.  
 Nubibus areis, cœloque mouebat hic Eurum  
 Qui Zephiro aduersa prælia fronte dabat.  
 Aphricum & è cœlo ingentem, cræbrumque procellis

N

Tunc inducebat vi vehemente sua.  
 Depluit è cœlo carnes his pulueris instar  
 Multi quem impulsu ventus vbique rapit.  
 Et volucres in eos, auium celerésque cohortes  
 Depluit, ac si alti crescat arena maris.  
 Has in castra horum media, & tentoria circum  
 Proiicit, vt cuncti prorsus habere queant.  
 Pastus delicias saturato dente vorabant:  
 Implebantur iis: vt gula plena dabat.  
 Nam desiderium gratum tribuebat edenti.  
 Nil desiderij deficiebat eis.  
 Cùm cibus illorum nondum venisset in ora:  
 Efferuescebat mox grauis ira Dei.  
 Morte trucidabat violenta iratus, eorum  
 Pinguiculos, fortes, egregiósque viros:  
 Electos iuuenes, florémque, decúsque iuuentæ  
 Israël gentis proiiciebat humi.  
 Succidebat eos, meliores omnibus illis  
 Nil, & adhuc facti sunt feritate sua:  
 Námque hi continuò recidebant corde rebelles  
 In prius horrendum, perpetuúmque scelus.  
 Nec tot prodigijs quæ omni faciebat in orbe  
 Credebant duri cordis acore graui.  
 Ergò dies horum temerè finiuit, & annos  
 Hora consumpsit, corripuitque breui.  
 Cùm illos percuteret, quarebant protinus illum:  
 Poscebant & opem, præsidiumque Dei.  
 Illi ad eum subito, contrito corde redibant:  
 Deslebant vitæ crimina fœda sua.  
 Fiebant memores, cùm fata hæc tristia ferrent:  
 Quòd Deus illorum petra, salúsque foret.  
 Quòd Deus excelsus vindex æquissimus horum  
 Esset, & atroci dulcis ab hoste salus.  
 Quamuis ore suo illi blandirentur, eorum

Lingua tamen mendax verba dolosa dabat.  
 Námque erga Dòminum non integra corda gerebant:  
 Nec reuerebantur cordis amore Deum.  
 Nec decus hoc fidei seruabant fœderis huius:  
 Sed sua rumpebant pacta probata fide.  
 Hic verò, vltro his ignoscebat, quominus illos  
 Perderet, vt vi tío commeruere truci.  
 Iram difficilem reuocauit, quominus illa  
 Arderet, quamuis iusta, vel æqua foret.  
 Sed meminit pietate sua, quòd casibus essent  
 Subiecti, ad lapsum prona, sequáque caro.  
 Ventus mox abiens, nec iam rediturus, vt antè:  
 Ah, quoties illi displicuère Deo.  
 Ah, quoties illi accenderunt illius iram  
 Hoc in deserto, cum bona quæque daret?  
 In sterili quoties illum vehementer eremo  
 Irritauerunt impietate sua?  
 Sæpius auersi tentarunt mente maligna  
 Clementem Dòminum, munificúmque Deum.  
 Israël sanctum grauibus risere cachinnis.  
 Ludibriis omnes hunc habuere suis:  
 Illius immemores virtutis, temporis huius  
 Quo seruarat eos anxietate graui.  
 Trux hostis Pharaon grauitè, miserèque premebat  
 Illos, plectebat seruitiòque truci.  
 Et cogebat eos, duros seruire per annos:  
 Et dabat illorum colla subacta iugo.  
 Non agnoscebant, quo pacto signa dedisset  
 Ægypti populis hac deitate sua.  
 Quo pacto, in campo Taneos miracula summa  
 Ostendisset eis hac pietatis ope.  
 Quo pacto magnos fluuios mutauerit horum  
 Sanguine, cum occisi tinxerit hostis aquas.  
 Nam effuso tinxit currentes sanguine riuos.

Ne quis ibi biberet, quando sitiret, aquam.  
 Totius generis muscas immisit in illos  
 Quæ hos morfu pungunt, dilacerantque graui.  
 Misit in hos ranas, quibus hi perduntur in agris  
 Immenso sumptu quos coluere sibi.  
 Et dedit annonam illorum fætentibus illis  
 Bruchis, qui fructus fertile germen edunt.  
 Illorum cultus, sumptus, magnósque labores  
 Perdidit erodens ore locusta suo.  
 Grandine saxosa penitus deperdidit horum  
 Vites, & ficus dira pruina ferit.  
 Et glaciato imbre interimit, violátque feraces  
 Hos sycomoros, sycaminósque cremat.  
 Grandine confecit iumenta, bouésque superbos:  
 Bellaces & equos, eximiósque greges.  
 Armenta hæc pecorum iaculi contagio perdit:  
 Et carbo ignitus, fulgur, & ignis edax.  
 Iræ correptus fremitu, atque ardente furore:  
 Immittebat in hos horrida fata mali.  
 Mille modis vehemens illos tribulatio vexat:  
 Laruas crudeles, horribilésque vident.  
 Terribiles cernunt cacodæmonas ire per agros.  
 Quorum incurfus atrox tristia damna mouet.  
 Angelus ille malus plectebat verberare surdo  
 Illos, & reprobis dira flagella dabat.  
 Vt Deus hos homines, iumentaque peste feriret.  
 Iræ difficili tunc faciebat iter.  
 Omnes primitias, primos partúsque tenellos  
 Ægypti, dextra percutiebat acri.  
 In castris quæ Cham sibi fixerat, ille potenti  
 Primùm quódque manu percutiebat opus.  
 Sed populum ille suum vultu educebat amico  
 Tamquam dilectum, sollicitúmque gregem.  
 Hunc velut armentum, in desertum pastor agebat:

Ille suas tutò pastor agebat oues.  
 Perducebat eos, vt nulla pericla timerent:  
 Sed maris hic vndis obrutus hostis erat.  
 Adducebat eos sanctas regionis in oras  
 Quas sua maiestas conspicienda colit.  
 Adducebat eos ad montem quem sua dextra  
 Quæsiuit, victrix asseruitque sibi.  
 Ante illos, gentes hic expellebat acerbas  
 Quæ ignaræ Domini religionis erant.  
 His igitur pulsus, has immittebat in oras  
 Ille suos, quibus hæc rura colenda dedit.  
 Distribuebat eis iusto patrimonia fune  
 Hæredum titulo, pacis vt esset opus.  
 Hostium & in tectis castrensibus ille locabat  
 Israël fortes, eximiásque tribus.  
 Sed Dominum excelsum tentarunt corde maligno:  
 Atque irritarunt rursus, vt ante, Deum.  
 Nec testamentum illius, iurataque pacta  
 Seruarunt vitio, perfidiáque graui.  
 Non secus, ac patres auersi mente, retrorsum  
 Defecere: Deum nec voluère sequi.  
 Námque rebellarunt omnes, vitiosus vt arcus  
 Qui iaculatorem fraude, dolóque, petit.  
 In lucis altis cùm idolis sacra pararent:  
 Irritauerunt sæpe furore Deum.  
 His Deus auditis est indignatus, abhorrens  
 Israël populi sacra, malásque preces.  
 Detestatur hic Israël vehementer in æstu.  
 Iræ cùm solitum crimen in omne, ruat.  
 Arcam nempe Sylo, templum sacrumque reliquit.  
 Arcam deseruit fœderis ille sui.  
 In qua inter charos homines habitauerat, in qua  
 Pergratam sædem fixerat ille suam.  
 Illorum robur captiuum tradidit hosti.



Horum splendorem trux manus hostis habet.  
 Dilectum populum gladio tum obiecit, & illum  
 Hæredem iratus punit ille suum.  
 Illius iuuenes ignis cita flamma vorauit:  
 Nullus deplaxit virgineosque choros.  
 Innuptæ pereunt sine laudis honore puellæ:  
 Et perit innuptæ virginitatis honos.  
 Atque sacerdotes huius cecidere cruento  
 Ferro, quid? gladii occubere feris.  
 Vxorésque viris orbæ, viduæque puellæ  
 Non complorata cæde fuere truci.  
 Non luxere viros, nec funera mœsta virorum,  
 Incolumes, horum nec gemuere necem.  
 Nulla superstes erat quæ funus triste mariti  
 Fleret, & in vidua mœsta maneret humo.  
 Est experrectus, tanquam dormisset in aurem  
 Vtramque, omnipotens altitonânisque, Deus.  
 Excussit longum somnum, velut exhilaratus  
 A viuo, miles qui fera bella gerit.  
 Et qui (dum iacta est hæc anceps alea Martis)  
 Fortiter aggreditur cuncta pericla sibi.  
 Tergum hostis rabidi percussit vulnere duro.  
 Et probro infami, perpetuoque, dedit.  
 Est auersatus Ioseph tentoria, gnati  
 Illius Ephrain spreuit & ille tribum.  
 Ipse tribum Iuda elegit, montemque supremum  
 Et sanctum Zion quem vehementer amat.  
 Istic extruxit saxis sublimibus ædem  
 Quam maiestati consecrat ille suæ.  
 Istic suspiceres miranda palatia regum  
 Rex Deus hanc mira condidit arte domum.  
 Ambitiosè, atque affabrè sibi condidit illam.  
 Illud vbique sibi nobile fulget opus.  
 Ac velut hanc terram, stabilem fundauit, vt illa

Duraret, finem non habitura suum.  
 Elegit Dauid seruum, atque hunc abstulit, illis  
 Ex ouium caulis, vt diadema ferat.  
 Illum post dulces scætas abduxit euntem.  
 Vt populum (ô Israël) pasceret ille tuum.  
 Vt simul electi Israël patrimonia læta  
 Pasceret, & paut pastor amicus eos.  
 Pro integritate sui cordis, prudenter, & aptè  
 Hos paut, chara sustinuitque manu.  
 Vtque suæ tandem præstans industria summa  
 Virtutis meruit, duxit amanter eos.

PSALMVS LXXIX.

Deus venerunt gentes in hæreditatem.

TITVLVS

*Asaph Carmen.*

ARGVMENTVM

*Querimonia est super excidio Ierosolymæ & captiuitatis erumna.*

**I** Nuasere Deus tua prædia splendida gentes.  
 Sancta profanarunt templa dicata tibi.  
 Equaruntque solo tibi sacram funditus urbem  
 Hierusalem, euersa est vrbs generosa Dei.  
 Alta redegerunt mox diruta mœnia, sum mos  
 In lapidum cumulos, congerésque graues.  
 Seruorum fecere cadauera nuda tuorum  
 Escam illis auibus quæ per inane volant.  
 Sanctorum carnem, occisum corpusque eruenta  
 Sponte, feris terræ constituere cibum.  
 Sicut aquam, innocuum illorum fudere cruorem  
 Per rotam hac urbem, circuitusque suos.  
 Illic nullus erat, qui corpora funeta leuaret:  
 Nullus erat, cæcos qui sepeliret humi.

Ah fumus opprobrium vicinis vndique nostris;  
 Vndique nos risus, ludibriumque, sumus.  
 Fabula digna iocis-leuibus fumus omnibus illis  
 Qui circum nos sunt (ô metuende Deus)  
 Summe quousque Deus tandem indignaberis. An ne  
 Perpetuo? cesset maximus ille furor.  
 An ne tuam penitus velut ignem (mi Deus) iram  
 Incendes? fat nos puniit ira grauis.  
 Iram effunde tuam in reprobos, gentesque rebelles  
 Quæ non nouerunt te Deus alme, parens.  
 Euome tu vindictam, & bilem in regna superba  
 Quæ non implorant nomen in orbe tuum.  
 Namque vorauerunt Iacob, illiusque nepotes:  
 Excidere domos, quas habitabat humi.  
 Vastauere Dei templum venerabile: sanctam  
 Urbem vastarunt & loca sacra Deo.  
 Duram in perniciem scelerum quæ fecimus olim  
 Nos miseri, noli tu meminisse Deus.  
 Hæc iuste patimur, sed tu supreme monarcha  
 Libera, & eripe nos hac bonitate tua.  
 Nos tua præuertat subito clementia summa:  
 Valde inopes facti, nos miserique sumus.  
 Omisissis vitis citò nos amplectere princeps  
 Lenis inexhausta pro pietate tua.  
 Nam fumus attenuati nos vehementer, & illo  
 Pro vitio afflicti per mala dura sumus.  
 Propter gloriam, & insignis præconia famæ  
 Nominis illustri, magnificique tui.  
 Non habita (quæso) nostri ratione, salutis  
 Nostræ auctor nobis auxiliare, Deus.  
 In rebus fractis afflictos eripe, quando  
 Nos deploratos mille pericla premunt.  
 Et placare super miserando crimine nostro  
 Propter magnificum nomen vbique tuum.

Quo pacto poteris perferre diutiùs illas  
 Audaces gentes quæ probra dira vomunt?  
 Insultant nobis dicentes, en vbi vester  
 Ille Deus nunc est, qui regit omne solum?  
 En vbi vester adest Deus hic, qui in rebus acerbis  
 Præstet opem vobis, & mala vestra leuet?  
 A Domino vestro frustra pendetis, in illa  
 Ærumna, nam vos deseruisse cupit.  
 Vulgerur nostris oculis cernentibus illas  
 In rabidas gentes vltio, iuste Deus.  
 Sanguinis effusi seruorum hæc vltio iusta  
 (Oro) palam fiat, pœna dolenda venit.  
 Namque tua causa proprium effudere cruorem:  
 Tu iustas pœnas, suppliciumque cape.  
 Neruo addictorum gemitus, & ferrea vincla  
 Sub visum penetrant, introeantque tuum.  
 Addictos cædi conserua robore dextræ  
 Incolumes, reliquos fac superesse tibi.  
 Est tua dextra potens, tua magna potentia, virtus  
 Inuisita, & certum est robur vbique tuum.  
 His autem, inter quos misero versamur in orbe  
 Tu redde in tacitum probra pudentia sinum.  
 Septuplum opprobrium quo te affecere, repende:  
 Exige ab his pœnas, suppliciumque modum.  
 Nos tuus hic populus, nos grex tuus, optime pastor  
 Qui tua das ouibus pascua læta tuis.  
 Acceptas grates Domino tibi semper agemus:  
 Dicemus laudes tempus in omne tuas.  
 Quas scriptis nostris mandabimus omne per æuum.  
 A cunctis cum sis dignus honore coli.

*Adhortatorij generis ad Schos chammin id est ad  
modum Violarum, rosarum, aut liliorum,  
cætus Asaph carmen.*

## ARGVMENTVM.

*Oratio est ex ipsa captiuitate ad Deum facta, libera-  
tionem exemplo AEgyptiacæ, postulans.*

**O** Israël's pastor, qui Ioseph amicum  
Ducis, vt eximium læta per arua gregem.  
Tu nostras attende preces, attende querelas:  
Ausculta gemitus, mœstitiãque grauem.  
**Qui** Cherubim inuictus resides, te prode parumper:  
Exhibe tu te ipsum, conspicuusque veni.  
Fac agnoscamus, tristes te audire querelas:  
Et crebras lachrymas, assiduãque preces.  
Et coram Ephraim, seu Benjamin, atque Manasse  
Maieestas vires exciter alta suas.  
Ad nos saluandos veni, & hac succurre potente  
Dextra, tu es nobis omnibus vna salus.  
**O** Deus alme redi ad nos, & placido aspice vultu:  
Nos erimus salui, si facis ista, Deus  
**O** Domine omnipotens princeps inuictus in armis:  
O exercituum Rex generose Deus.  
Quæso quousque iratus dedignaberè vota  
Atque preces populi, qui tibi sacra facit?  
Quem ad finem (oro) tuis tu succensebis, & iræ  
Quem tu compones, constituẽsque modum?  
Illos afflictos, lachrymis, vt pane, cibasti:  
Potasti lachrymis, nec modus vllus erat.  
Tu nos fecisti vicinis iurgia fœda.  
Hostibus infestis fabula vana sumus.  
Nos nihili pendunt hostes, ridẽntque superbe  
Inter se, ex spoliis iurgia sæua ferunt.

**O** Deus alme redi princeps exercitus, ad nos:  
Et nitidam faciem tu modo prode tuam.  
Nos erimus salui, si feceris ista libenter:  
Et tua nos cernet gratia, summe Deus.  
Ex illa AEgypto accitam prædiuite vitem  
Plantasti, expulsis gentibus in dè malis.  
Illi solicitus foueãque, scrobẽmque, parasti,  
Hæc ramos virides spargit vbique suos.  
Illa suis sparsis radicibus occupat oras  
Terræ, tum & totas has regionis opes.  
Ritè tegebantur montes lata illius vmbra.  
Quæ refrigerium (dum viget æstus) erat.  
Et cedros fortes æquabant vndique rami  
Qui vvas pendentes, purpureãque, dabant.  
Ad mare nunc huius palmes diffunditur vsque  
Ad fluuium Euphratem surculus ille, venit.  
Huius cur igitur rupisti fortia septa  
Et cur auxilio deseris ista tuo?  
Hac qui prætereunt omnes: hanc vndique vastant:  
Vinum huius tollunt, surripiuntque sibi.  
Hanc syluestris aper vastat, depascit in agro  
Hanc fera, militiæ dux Deus (oro) redi.  
**O** exercituum Deus, armorum inclyte victor  
Iram terribilem desere sponte tuam.  
Nunc in gratiam & ipse redi, positòque furore:  
Vtere nobiscum tu pietate tua.  
Prospice de cælo, tu contemplare, resectam  
Inuise hanc vitem, perdidit omne decus.  
Quam tua dextra potens plantauit, respice plantam  
Hoc est hunc gnatum, progeniẽmque tuam.  
Respice tu gnatum quem tu dignaris honore:  
Quem tibi firmasti (summe monarcha Deus)  
Respice tu gnatum, quem tu tibi magnificasti:  
Per quem designas fortia quæque tibi.

Fac illi viti, quicquid conferre, putabis.  
 Hanc repata, est dextræ planta decora tuæ.  
 Hæc igni succensa iacet, flammâque voraci  
 Nunc euerfa sibi funditus ista iacet.  
 Hoc qui fecerunt, pereant virtute potenti  
 Obiurgante tua, quam notat ira grauis.  
 Adsit firma manus tua, princeps optime regum  
 Dextræ excellentis, magnificæque, viro.  
 Hæc hominis gnato quem tu tibi magnificasti  
 Adsit, defendat nos tua dextra potens.  
 Auxiliare precor nobis, non amplius à te,  
 Iure recedemus, nos reparare velis.  
 Tu nos restituas, noſter ſeruator, vt ipſi  
 Nos imploremus nomen in orbe tuum.  
 Ad nos ipſe redi Domine, atque exercitus omnis  
 Rector, cœleſtis militiæque Deus.  
 Tu maris, & terræ, cœli Dominator, & orci:  
 Qui pacem, & bellum, militiamque regis.  
 Claram ostende tuam faciem, ſi feceris illud:  
 Nos erimus ſalui ſpontè fauente tua.  
 Nobis continuò, & ſæliciter omnia cedent:  
 Depulſiſque malis affluet omne bonum.

PSALMVS LXXXI.

Exultate Deo adiutori noſtro.

TITVLVS

*Adhortatorij generis, pro torculari, Aſaph.*

ARGVMENTVM,

*Torcularis gratulatio eſt, qua monetur Deum  
 omnia ſuppeditaturum, ſi nos ad eius  
 voluntatem componamus.*

**E**Xultate Deo qui noſtra eſt vnica virtus.  
 Atque Deo Iaacob iubila veſtra date.  
 Inſignes hymnis huius cantate triumphos:  
 Reddite victori tympana rauca Deo.  
 Tùm citharam, latamque chalydum vos reddite dulci  
 Cum Nablo, venit feſta colenda dies.  
 Dum noua ſe produnt creſcentia cornua Lunæ:  
 Clangite vocali, dulciſonæque tuba.  
 Venit feſta dies, venit clangorque tubarum:  
 Solemnis nobis dicitur ille dies.  
 Hic eſt Iſraël ritus, cultusque ſacrorum:  
 Hęc ſunt à Domino iura profecta Iacob.  
 Hoc eſt dignatus monimentum ponere, pugnam  
 Quando per Ægypti conſeruiffet agros.  
 Cùm labium peregrinum hîc audiremus, & ille  
 Ignotus miſero tempore ſermo foret.  
 Cùm veſtros humeros oneri ſubduceret ingens  
 Hęc mea libertas, & generoſa ſalus.  
 Cùm neque veſtra manus pertingeret amplius ollas:  
 Quas tunc ex molli conſiciebat humo.  
 Qui tibi ſuccurri, cùm me perſæpe vocares  
 Caſibus in miſeris, continuis que malis.  
 Qui tibi ſub tonitru latitans, ſum ſæpe locutus:  
 Quo hoſtibus incuſſi ſigna tremenda ruis.  
 Atque vbi tu de me deſperas, te ipſe probauî.  
 Iurgij aquam è petra diſtribuîque tibi.  
 Audi mi popule, & te conteſtabor, in illis  
 Pactis, Iſraël tu mihi teſtis eris.  
 Si mihi credideris, ſi morem geſſeris: in te  
 Non erit externus, fatidicusque Deus.  
 Nec tu corde tuo veneraberis hîc alienum  
 (Quem impia gens præfert relligione) Deum.  
 Nâque ego ſum Dominus Deus hîc tuus vnicus author  
 Qui Ægypti ex terra dux tuus ipſe fui.

Qui te vnum eduxi è violente tyrannidis orco  
 In libertatem, deliciâque tuas.  
 Os aperi, satiabo illud, tu in rebus egenis  
 Si quid habere voles, posce, repente dabo.  
 Tu voti compos numquam patiere repulsam:  
 Si tu conserues hæc mea dicta tibi.  
 Sed meus hic populus vocem non audiit, & me  
 Israël renuit, deseruitque Deum.  
 Quare obdurato corde insanire reliqui  
 Hos, quantum vellent, atque libido, daret.  
 Et sua consilia hæc insana mente sequuti  
 Sunt, quando nollent hæc mea pacta sequi.  
 O vtinam meus hic populus nunc me audiat vnum.  
 Israëlque viis ambulet ipse meis.  
 Ad paucos horum deletem funditus hostes:  
 In quos versa foret nostra seuera manus.  
 O fores Domini nunc frustrarentur, in illo  
 Israël, hac spe deciderentque sua.  
 Et meus hic populus fœlicia tempora semper  
 Vidisset placidos transigeretque dies.  
 Atque cibarem illos simila, pinguique medulla  
 Frumenti, & saturis prospera quæque darem.  
 Et saturarem illos è petra, melle suau.  
 Et desertus eis fertilis esset ager.

PSALMVS LXXXII.

Deus stetit in synagoga.

TITVLVS.

*Carmen Asaph.*

ARGVMENTVM.

*Increpatio est, principum ac iudicum vltionisque  
 Divinae comminatio.*

Constitit in cœtu princeps Deus ipse potentum  
 Iudicum, & in medio constitit ille throno.  
 Iudicio vt iusto iudex contendat, & illis  
 Admoueat partes, officiisque modum.  
 Quò tandem vsque viris iustis dicetis iniquas  
 Iudicij leges, sponte fauendò malis?  
 Quò tandem vsque viri reproborum suscipietis  
 Personam? an munus iudicis illud habet?  
 Reddite ius tenui, & pupillo reddite rectum  
 Iudicium, vos ius ne violate sacrum.  
 Afflictum, atque inopem vos iuste absoluite, non spe  
 Muneris, hac iusta sed pietatis ope.  
 Adserite agrum inopem, & defendite semper egenum:  
 Ne falsum his crimen congerat hostis atrox.  
 Prauorum è manibus violentis protinus, illos  
 Eripite, vt partes iudicis esse solent.  
 At nihil insano sensu discernere possunt.  
 Et modò corrupta nil ratione vident.  
 Assiduè in cæcis tenebris spatiantur, & illi  
 Mox pedibus subitis in tenebrosa ruunt.  
 Humanæ vitæ ratio turbatur, & omnes  
 Corrumpti donis, muneribusque solent.  
 Occœcantur ij, & cor obfirmatur eorum:  
 Indurescit, & id nil rationis habet.  
 Ergò mouebuntur fundamenta omnia terræ:  
 Cùm vos ius illud, iudiciumque premet.  
 Lance hac iudicij, qua vos appenditis omnes  
 Vos illa appendet iustus hic ille Deus.  
 Dixeram ego ipse, dii officio vos estis, & omnes  
 Supremi gnati, progeniesque Dei.  
 Verùm longè aliter vobis hic accidet, & vos  
 Vt quemquam è populo, mors inopina premet.  
 Vt quisquam è ducibus mortalibus, atque tyrannis:  
 Ex vobis omnes lege iubente, cadent.

Exurge (ò Deus) & vindex vlciscere terram:  
 Et forti legum frena capesse manu.  
 Nam tibi debentur tanquam patrimonia, gentes  
 Omnes, heredis iure iubente tibi.

PSALMVS LXXXIII.

Deus quis similis erit tibi.

TITVLVS.

*Asaph hymnus gratulatorius.*

ARGVMENTVM.

*Inuocatio est diuini auxiliij, hostibus coniuuatis ac  
 bellum instructibus.*

**N**E taceas Deus, & ne cesses, longius oro.  
 Nec tu cuncteris qui regis arma, Deus.  
 Ecce tui illi hostes furibunda voce tumultus,  
 Seditiois opus, duraque bella mouent.  
 Oseresque graues qui nunc tua numina damnant.  
 Atrollunt cristas, & caput omne suum.  
 In populum occultas sutelas vndique texunt,  
 Fraudibus, astutis consiliisque suis.  
 In tua coniurant arcana, tuamque salutem.  
 Inque tuos, quos tu protegis, atque foues.  
 En illi inter se dicunt, properanter adeste:  
 Disperdamus eos, ne superesse queant.  
 Illos ex hominum numero extirpemus, vt hæc sit  
 Nominis Israel mentio nulla viris.  
 Conspirauerunt omnes ex corde rebelli  
 Vnanimi voto, sæuitiæque graui.  
 Et coniurarunt in te illud sædus iniquum  
 Fortis Idumææ qui fera castra locant.  
 Ismaël, Moab, atque Agareni, Gebal, & Amon:  
 Atque potens Amalec quem sibi thamna tulit:  
 Hicque Palestini qui tractant arma cruenta  
 Et ciues claræ, belligeræque Tyri.

Illis Assyrius vehemens, & fortis, adhæret.  
 Gnatis Lot iunctus, perpetuusque comes.  
 Fac his quod quondam Madiam, Sifaræque superbo  
 Dextra fecisti (rex metuende) tua.  
 Fac his quod Iabin fecisti ad Cisonis vndam  
 Torrentem (ò belli rector, & alme Deus)  
 Illi sunt fracti latis in finibus Eudor.  
 Et facti terræ stercola plena luto.  
 Occisi iacuere solo, nullusque sepulchrum  
 Condebat, nullus qui sepeliret, erat.  
 Damna duces horum patiantur, quæ tulit Oreb:  
 Et Zeb, & Zebee, quos Gedeone feris.  
 Illaque damna ferant quæ Salmana pertulit, & quem  
 Cum Zebee Gedeon percutit ense suo.  
 Hi dixere, Dei præclara habitacula nobis  
 Debita legitima possideamus ope.  
 Ius suadet nobis, vt nostrum quilibet, ista  
 Vendicet, inuadat, possideatque, loca.  
 Illos redde rotæ similes, stipulæque volanti  
 Quæ vento exposita est, mi metuende Deus.  
 Ignis, vt incendit syluas, montesque superbos  
 Inflammat volitans flamma furore graui.  
 Sic tu persequere illos debachante procella:  
 Obrue nunc illos turbine flante tuo.  
 Illorum vultus trepidos perfunde furore:  
 Vt rursus quærant nomen in orbe tuum.  
 Et placare tui huius læsi nominis iram  
 Cogantur numen conciliantque tuum.  
 Erubeant, & conturbentur, semper: & illi  
 Hic confundantur, dispereantque citò.  
 Vt nunc agnoscant, & re vera experiantur:  
 Quod (Domine omnipotens) solus es ipse Deus.  
 Quodque tuum nomen solum est, altissimus ille  
 Es solus Dominus tu super omne solum.

Quàm dilecta tabernacula tua.

TITVLVS

*Adhortatorij generis super torculari filiorum Coræ Hymnus.*

ARGVMENTVM.

*Comparatione carnalis letitiæ horum qui in celebratibus frequentes conueniunt, animorum Deo viuentium tranquillitas adumbratur.*

**Q**uàm dilecta mihi tua sunt habitacula, princeps  
Rex exercituum, militiaeque Deus.  
Sæpe cupit mea mens, & deperit ægra dolore  
Et semper languens, atria celsa Dei.  
Ad Dominum, viuumque Deum cor gestit, & illa  
Languidi, & infirmi corporis ægra caro.  
Hic ubi ritè domum passer sibi repperit, illic  
Et turtur nidum construit ore suo.  
Quo implumes pullos, fœtus dulcésque reponat  
Aram nempe tuam summe Monarcha Deus.  
O exercituum bellator valde triumphans:  
Rex meus, atque Deus solus, & vnus amor.  
Iuxta altare tuum sibi nidum fingit hirundo:  
Garrulæque in nido que parit oua, fouet.  
At mihi non patet hinc aditus, Rex maxime Regum  
Ad templum excellens, quod tuus ambit honos.  
Inter eos hinc exul agor, qui nocte, dièque  
Externos diuos religione colunt.  
O ter fœlices, qui habitant (rex maxime regum)  
In tua, ea illustri, magnificaque domo.  
Et qui te laudant: & multum dulcibus hymnis

Diuina celebrant nomen in æde tuum.  
O ter fœlices, iam terque, quaterque beatos  
Quorum tu robur, præsidiumque manes.  
In quorum certè synceris cordibus, hæ sunt  
Laudes eximia, per celebrésque, tuæ.  
Cum proficiscuntur lachrymarum in valle fluenti.  
Illis vtuntur tum vice fontis aquæ.  
Et dux ornatur diuinis laudibus, illi  
Omnes applaudunt, officiisque fauent.  
Ex opibus multis in opes opulentiùs illi  
Transgrediuntur, & hi præmia multa ferunt.  
Deinde videtur eis in Zion Rex Deus, omnem  
Qui mundum docta cum ratione regit.  
O Domine alme Deus princeps exercitus omnis  
Exaudi ipse meas aure fauente preces.  
O Deus ipse Iacob præbe aurem, tu inspicere, nostrum  
Scutum, & protector fortis, amande Deus,  
Supplicis ipse tui Christi nunc inspicere vultum:  
Exaudi tu vncti vota, precésque tui.  
Ipse tuum Dauid placido tu respice vultu:  
Ipsius regno (Rex Deus alme) faue.  
Suauior vna dies, & certè gratior illi  
Qui tua (mi princeps) atria sancta colit.  
Quàm fuerint alias sine te per regna, per orbem  
Mille dies, quæ illic nocte, dièque fluunt.  
Attricus esse Dei templi magis opto, Deique  
Ad domus hoc limen malo iacere mei.  
Quàm gaudens habitare palatia pulchra malorum:  
Auratisque Tholis tecta superba sequi.  
Quamuis deliciis hæc sint loca plena: suaues  
Quæ pariant plausus, & genus omne ioci.  
Lux etenim, & tutela mihi secura per æuum  
Est Dominus, verus, perpetuusque Deus.  
Est Sol, & clypeus, mentes hinc luce salutis

Recreat, aduentu lætificatque suo.  
 Sensu iustitiæ, ac pietatis hic afficit, omnes  
 Errorum tenebras luce micante fugat.  
 Protegit infontem, hunc violenti fulminis ictu  
 Dæmonis, & mortis non finit ille premi.  
 Gratiam, & insignem famam cum laude frequenti  
 Gloriam, & omne decus rex Deus ille dabit.  
 Nullum námque bonum hic princeps auertit ab illis  
 Qui integrè viuunt, nilque negare potest.  
 O ter fœlices, qui sperant iugiter in te  
 O exercituum suspiciende Deus.

PSALMVS LXXXV.

Benedixisti Domine terram tuam.

TITVLVS.

*Adhortatorij generis filiorum Coræ hymnus.*

ARGVMENTVM

*Anxia oratio pro liberatione captiuitatis tam  
 Babylonice quam scelerum quæ per  
 Christum deleta sunt.*

**O** Domine humani generis spes sola, salúsque:  
 Sis terræ clemens, propitiúsque tuæ.  
 Restitue huc Iacob captiuum victor ab hoste  
 Qui premit hunc pœnis, supplicióque graui.  
 Tolle tui populi scelus infœlicis, & omne  
 Horum peccatum tu tege, summe Deus.  
 Omnem tolle tuam hanc iram, à vehemente furore  
 Iræ, quæ tibi nunc præparat arma, redi.  
 O Deus omnipotens, noster saluator, & author  
 Ad nos tu solita pro pietate redi.  
 O Deus vna salus, & nostra redemptio sola:  
 Vita, fides, & spes vnicus orbis amor.  
 Nostra hæc iustitia, vnáque iustificatio, duram

Hanc iram erga nos tu modò solue tuam:  
 Nùm tu in perpetuum nobis Deus inclyte princeps  
 Succensebis, & hæc vltio damna feret?  
 An tu produces ardentis fulmina bilis.  
 De sobole, in sobolem, progeniémque tuam?  
 Nonne reuerteris potiùs bonitate suprema  
 Et nos seruabis, restituésque tibi.  
 Vt tuus hic populus quæsito fœdere pacis  
 In te rege suo gaudia plena ferat?  
 Vnam ostende tuam bonitatem rex bone nobis:  
 Dona captiuos ipse salute tua.  
 Participésque tuæ nos effice (quæso) salutis:  
 Saluator noster, nostráque sola salus:  
 Auscultabo libens quid rex Deus optimus ille  
 Sit mandaturus lege vel arre sua.  
 Námque suo populo pacem mandabit, & illam  
 Sanctis decernet, constituétque, suis.  
 Ne illi ad stultitiam citò conuertantur: & indè  
 In primum recidant impietatis opus.  
 Námque propinqua salus eius gratissima cunctis  
 Est, his qui metuunt, & reuerentur eum.  
 Estque propinqua Dei suprema gloria vera:  
 Est Christi aduentus proximus ille Dei.  
 Vt nobiscum habiter, nostram terrámque repentè  
 Incolat ingenti pro bonitate sua,  
 Et bonitas, & casta fides sibi fœdere iuncto  
 Occurrent, ferient mutua pacta sibi.  
 Iustitiæ vultus, pacis faciésque decora  
 Oscula grata sibi mutua, sponte dabunt.  
 Vera fides, verique simul cœlestis origo  
 Ex humili terra germen in orbe dabit.  
 Iustitia hæc, cœli summa exortietur ab arce.  
 Donabit Dominus rex bonitatis opes.  
 Annonámque suam reddet pinguißima terra.



Noftra, fuum fructum fertilitate dabit.  
 Iuftitia hæc præcedet eum qui charus amico  
 Eft Domino, vt totum munitur huius iter.  
 Vtque viam, per quam ingrediatur, sternat, & huius  
 Defigat greffus, ne t: tubare queat.  
 Sic iufti viuent, ac fi Deus vndique teftis  
 Quicquid agant, videat luce micante fua.

PSALMVS LXXXVI.

Inclina Domine aurem tuam.

TITVLVS.

*Dauid Oratio.*

ARGVMENTVM.

*Communis Oratio eft, petens ab hoftium infidiis &  
 aduerfitatibus liberari.*

**O** Domine, ô pie rex, clemēs, & fumme Monarcha:  
 Hic aurem facilem tu mihi præbe tuam.  
 Et refponde mihi, nam fum hîc afflictus in horas:  
 Et fum pauper ego, nudus, & exulinops.  
 Sum expositus probris cunctorum, ô candide rector:  
 Triftem animam ferua nocte, dièque meam.  
 Nil ego peccaui, nulli nocuique: fidelem  
 Seruum tu falua pro pietate, tuum.  
 Hic in te sperat, totam fpem collocat in te:  
 Et de te folo pender, (amande Deus)  
 Tu mihi fis clemens, & tu mihi ritè faueto:  
 Ad te clamantis tu miferere mei.  
 Semper ego clamo pofcens tua numina, ferui  
 Lærifices animam, quæ mala tanta tulit.  
 Tollo ad te afflictam mentē, (ô Domine optime prin-  
 O Domine es fuavis conditione tua. (ceps)  
 Mitis es, & clemens, diues pietatis in omnes  
 Qui fandum implorant nomen in orbe tuum.

Aufculta, precibusque meis da tu Deus aurem.  
 Audi clamofas, affiduâsque preces.  
 Tempore quo tribulor, te fupplex inuoco: nam tu  
 Exaudis queftus, mœftitiâsque graues.  
 Inter eos diuos quos gens colit impia falô:  
 Nemo tibi eft fimilis, (rex metuende Deus)  
 Eft tibi par nullus (fupreme monarcha) gerendis  
 Rebus, quas mira fufcipis arte tua.  
 Ergo omnes gentes quarum Deus optimus author  
 Es, veniant, & te relligione colant.  
 Coram te, Domine omnipotens reuerenter adorent:  
 Et nomen laudent, magnificentque tuum.  
 Magnus es ô princêps fpatiofi conditor orbis.  
 Magna facis, Deus es folus in orbe tuo.  
 Dirige me per iter rectum, quò acceditur ad te:  
 Tu fis securus duxque, comêsque mihi:  
 Tutus vt incedam in pacto vehementis amoris  
 Et iuffis, que illic dat tua vera fides.  
 Coge meum pectus, cor excitet hic tuus ardor.  
 Vnicè vt hoc timeat nomen amore tuum.  
 Toto corde meo grates tibi foluo fideli.  
 Nomen inæternum magnificabo tuum.  
 Namque tua hæc bonitas ingens mihi grandia fecit.  
 Et tu feruafte me bonitate tua.  
 Hanc animam oppreffam reuocafte prorfus ab orco  
 Ad fuperos, ô rex, atque benigne Deus.  
 O inuifte Deus, violenti fortiter in me  
 Infurrexerunt, & fera bella mouent.  
 Audentum motus celeres, claffêsque fuperbæ  
 Ægram animam quarunt proditione meam.  
 Non habita ratione tui, mihi fata minantur  
 Ante oculos ne habent te (Deus alme) fuos.  
 Verùm tu Domine, es clemens Deus, atque benignus:  
 Summus es immenfæ tu pietatis apex.

O iij

Te mala nostra mouent, ex his tu sponte dolorem  
 Suscipis, & miseros, & mala cuncta leuas.  
 Es semper patiens, & iustam tardus ad iram:  
 Nec damnare soles protinus omne scelus.  
 Sed propensus es hac natura (mi Deus.) omnes  
 Ad pietatis opes, pollicitamque fidem.  
 Ad me sat pressum insidiis conuertere, quaeso:  
 Da veniam culpæ, tu miserere mei.  
 Da vires, roburque tuum, dextramque fidelem  
 Ipse tuo seruo qui mala ferre solet.  
 Ancillæque tuæ gnato, pueroque, salutem  
 Præbe, illum incolumem fac superesse tibi.  
 Sit tuus in miseris rebus vernaculus ille  
 Constans, & patiens tempus in omne sibi.  
 Est tibi natura seruus, Deus optime serua  
 Illum, & continuis exime (quaeso) malis.  
 Æde tui erga me tu signum illustre fauoris.  
 Fac mecum signum victor, ad omne bonum.  
 Quo viso attoniti pudeant turpiter hostes:  
 Oforésque mei qui probra dura vomunt.  
 Quòd Domine auxilium, & solatia dulcia mæsto  
 Contuleris, miserum dum vorat ille dolor.  
 Quòd simul obiectum crimen (quod respuit æquum  
 Ius,) vltus fueris vindice iure tuo.

PSALMVS LXXXVII.

Fundamenta eius in montibus sanctis.

TITVLVS.

*Filiorum Coræ hymnus gratulatorius.*

ARGVMENTVM.

*Hierusalem encomium est, quæ fuit ecclesiæ typus.*

**H**As Zion portas super hæc Iacob omnia tecta  
 Omnipotens Dominus totius orbis, amat.

Cuius in excelsis, tum sancto monte quiescunt  
 Fundamenta situ valde decora suo.  
 Charior illa Deo, quam sit sinagoga prophetæ  
 Moysi, quam Dominus fouit amore suo.  
 Magnifica hæc sunt, magnificis & plena triumphis  
 In te quæ vates iam cecinere viri.  
 O vrbs sancta Dei, de te præclara prophetæ  
 Dicunt, & sese res ita semper habet.  
 Accidet hoc tempus, quòd se Deus ipse videndum  
 Omnibus hæc intra mœnia celsa, dabit.  
 Ciuibus ipse tuis placidus, clemensque, loquetur:  
 Cunctis fidus erit duxque comésque viris.  
 Omnibus hæc Zion terrarum dulcibus oris  
 Parturiet gnatos, progeniesque Dei.  
 Et memorabo Rahab, forti Babylonis & vrbi:  
 Atque palestinae, belligeræque Tyro:  
 Et mihi nunc notis generosis vrbibus illis  
 Dicam, christicolis Æthiopumque viris.  
 Ecce hîc est natus claris natalibus ille:  
 Istic natales accipit ille suos.  
 Nam in Zion passim dicetur gloria cunctis:  
 De sancta Zion fama celebris erit.  
 Ille hic excelsus princeps qui condidit illam  
 Est in ea natus, maximus huius honos.  
 Quin & in annales populorum referet ipse  
 Rex, elementa orbis qui ratione regit.  
 Quòd sit natus in hac insignis, & inclytus ille:  
 Hinc tua cantores pulchra trophæa canent.  
 Voce tuas recinent laudes, clarosque triumphos:  
 Cantabunt citharis inclyta gesta suis.  
 Saltantesque, choros ducent cum voce sonora:  
 Omne suum studium (te celebrandò) dabunt.  
 Hinc horum excellens habitatio laudibus, in te  
 Est: ô mons Zion, regia sancta Dei.

Domine Deus salutis meæ.

TITVLVS.

*Adhortatorij generis gratulatorius hymnus filiorum  
Coræ, alternis ad buccinas cantandus admonito-  
rius denique, Hemam Aefraitæ.*

ARGVMENTVM,

*Miserabilis gemitus est, supra modum afflicti.*

**M**I Domine omnipotēs Deus, & saluator, & à quo  
Vnica dependet reddita nostra salus.  
Ante tuos oculos clamantis nocte, diēque  
Coram te veniant vota, piæque preces.  
Ad mea clamosa hæc suspiria (mi Deus) aurem  
Admoue, nam mea mens est satiata malis.  
Et mea vita breuis pertingit ad usque sepulchrum  
Sum morti (vt cernis) proximus æger ego.  
Quin ego iam inter eos numeror qui in morte sepulti  
In foueam subeunt, atque teguntur humo.  
Æstimor hic homini similis quem tota reliquit  
Virtus, præstaret me (Deus alme) mori.  
De me actum esse putant vt functo prorsus, amici:  
Et fermè ingreditur triste cadauer humum.  
Inter defunctos, velut inter cæde peremptos  
Inuenior functus, cæsus & ipse mihi.  
Et iaceo inter eos in densa mole sepulchri  
Ignavi somni quos graue vexat onus.  
Quorum non vltà meminit per tempora quisquam  
Qui sunt abscissi vi vehemente tua.  
Me detrusisti inferni violentis in antrum:  
In tenebras videor præcipitatus ego.  
Obruor in tenebris densis, puteoque profundo:  
Obscuro clausus carcere fata gemo.

Proh dolor, huc hominum nulli penetrare liceret:  
Inuius hic locus est, ô mea sola salus.  
In me fixisti tu irata fronte furorem.  
Vndique conturbat me furor ille tuus.  
Omnibus ipse tuis nimbis, tumidisque procellis  
Me deiecisti mi generose Deus.  
Nunc alienasti notos mihi longius à me  
Qui curam penitus deseruere mei.  
Me detestantur miserum, & me prorsus abhorrent.  
Hoc tuus erga me perficit ille furor.  
Ast ita detineor conclusus, vt vndique nullus  
Exitus accedat, conueniatque mihi.  
Præ mœrore oculus languens, nunc deficit, atque  
In rebus miseris anxia fata gemit.  
Inuoco te clemens Deus omni tempore duro:  
Auxilium imploro languidus ipse tuum.  
Ipse meas extollo manus, supreme Monarcha:  
Ad te, contrito do tibi corde preces.  
Nùm tua defunctis ostendis fortia gesta?  
Magnificum ipse tuum nùm modò prodis opus?  
Nùm exangues ita viuunt, vt te conſiteantur:  
Et laudes dicant, commemorentque tuas?  
Nonnè tua in tumulo bonitas celebrabitur ingens.  
Nùm functi exponant pacta, fidemque, tuam?  
Nonne his in tenebris fiet tua nota potestas,  
Qua miranda viris hæc tua gesta facis?  
Nùm tua iustitia hæc cunctis obliuio rebus  
Fiet? nunc ad te clamo (benigne Deus)  
Vt subito occurrat tibi leui oratio mesta:  
Matutat, questus acceleratque suos.  
Cur animam satis afflictam tu deseris? à me  
Cur vultum occultas (summe Monarcha) tuum?  
Cum præ mœstitia iaceam hic ego anhelus, & amens?  
Cum tua cor de tremens pondera magna feram?

Me super afflictum transit tuus ille furoris  
 Impetus, oppressum me premit ira tua.  
 Circum me stagnant terrores instar aquarum:  
 Et simul hîc in me nocte, diéque, ruunt.  
 Nunc amouisti à me solo iratus amicos:  
 Cognatósque meos cogis abire procul.  
 Proh dolor, hic notus, meus, est ignotus vbique:  
 Solus in ærumnis verfor vbique meis.

PSALMVS LXXXIX.

## Misericordias Domini in æternum cant.

TITVLVS.

*Admonitorium Ethan Aezraitæ.*

ARGVMENTVM.

*Canitur magnificentia, & gloria Dei requiritur  
 eius misericordia, virtute fœderis  
 cum Dauid initi.*

**Q**uam pius, & clemens, Dominus sit, donec in orbe  
 Tolo durabunt sæcula cuncta, canam.  
 Ore meo notam faciam omni posteritati  
 Illius veram, perpetuamque, fidem.  
 Nam, scio quòd bonitas tua duratura per æuum  
 Est, & tu seruas pacta, fidemque tuam.  
 Et tua vera fides aderat cum illustribus ipsis  
 Cœlis, cum illorum perficeretur opus.  
 Sic aderant tua pacta Deus, promissâque: cœlis  
 Quæ veluti pignus, depositumque, dabas.  
 Syncera, atque illæsa manet tua vera loquela:  
 Et nitidis cœlis fortior illa, viget.  
 Incêdi fœdus (Dominus Rex maximus inquit)  
 Cum illo quem elegi, percipiique mihi.  
 Iuravit Dauid seruo, firmabo per æuum  
 Omne tuum semen, progeniemque tuam.

Et solium regale tuum firmabo per annos  
 Ad supremum omnis posteritatis opus.  
 Ergò (Deus) celebrant cœli tua fortia gesta:  
 Et tanti artificis gesta stupenda canunt.  
 Sanctorum florens Ecclesia prædicat illam:  
 Immotam pacti, pollicitique fidem.  
 Idque tuum verbum constans, verumque perenne  
 Sanctorum ipsorum concio tota canit.  
 Namque quis est cœli celsis in nubibus alti  
 Conferri Domino qui ratione queat?  
 Aut inter diuos, fortem, Angelicamque cohortem:  
 Quis Domino verè conciliandus erit?  
 In magno cœtu sanctorum, valde tremendus  
 Est Deus, & dignus qui timeatur, hic est.  
 Et venerandus hic est cunctis qui circiter illum  
 Sunt, illum cultus, relligióque decet.  
 O Domine ingentes rerum qui flectis habenas  
 O exercituum ductor, & alme Deus:  
 Maiestate, fide vera, pactoque fideli  
 Et verò, similis quis queat esse tibi?  
 His latus omne tuum, nitidis stipatur vt armis:  
 Semper stas pactis, illaque valde probas.  
 Tu Deus imperio factum regis æquoris alti.  
 Illius & fluctus sub ditione tenes.  
 Elatos fluctus, furias, celerésque procellas  
 Huius & anfractus, (cum cupis ipse) premis.  
 Tanquam vulneribus contundis corde superbum:  
 Arteris Ægyptum clade feroce trucem.  
 Fluctibus ipse maris tumidi velut ense peremptum  
 Conficis Ægypti tu Pharaona ducem.  
 Hostes attonitos disperdis robore dextræ:  
 Solus es everso victor in hoste tuo.  
 Ægypti victæ defuncta cadauera fundis  
 In littus, quod atrox ventus, & vnda premit.

Est tua terra, tui sunt cœli, hic denique mundus:  
 Et quicquid mundi machina pulchra capit.  
 Namque hæc fundasti, Boreamque, Notumque creasti.  
 Et Thabor hoc iactat nomen in orbe tuum.  
 Hermon ipse tuo de nomine valde potenti  
 Effertur, laudes iactitat ille tuas.  
 Ortus, & Occasus Septentrio, parsque corusca  
 Altera, te memorant, concelebrantque Deum.  
 Brachia ter tua sunt fortissima (mi Deus alme)  
 Est robusta manus, dextraque valde potens.  
 Et iusti, atque æqui iuris splendore refulget.  
 Instructum solium (iuste monarcha) tuum.  
 Et bonitas, & vera fides, qua fœdera seruas  
 Sunt præcessores, armigerique tui.  
 Præcedunt nitidos oculos, vultumque decorum:  
 Ante pedes adsunt vndique præsto tibi.  
 O ter fœlicem populum, longèque peritum  
 Qui tibi victori iubila festa canit.  
 Fœlix ille nimis populus qui hæc noscit, & illis  
 Oblectat sese nocte, dièque bonis.  
 Qui tales fuerint, semper comitabitur illos  
 (O Domine, omnipotens Rex) fauor ille tuus.  
 Hac in luce tui vultus, rutilante nitentis  
 Versantur, fœlix ingrediuntur iter.  
 In virtute tui huius nominis omne per æuum.  
 Exultant, gaudent iustitiæque tua.  
 Et sese iactant, & gestus vndique produnt  
 In dono, & merito iustificante tuo.  
 Namque es tu splendor pulchræ virtutis eorum  
 Quæ augmentum capiet pro pietate tua.  
 Exultat cornu nostrum tua gratia sancta.  
 Es scutum nostrum, tu Dominator ouans.  
 Et sancte Israël, noster Rex ore locutus  
 Es quondam sanctis nuncius ipse tuis.

Ore tuo roseo dixisti mi Deus, illi  
 Heroi illustri robur abundè dabo.  
 Exaltabo super populum, gentemque fidelem  
 Hunc regem electum, magnanimumque ducem.  
 Hunc David seruum mihi ego nanciscar, & vnguam  
 Illum, oleo sancto deliniamque meo.  
 Omnipotens hæc firma manus mea fulciet illum:  
 Brachium ei adiciet robur, opemque, meum.  
 Non superabit eum crudelis, & impius hostis.  
 Non affliget eum, flagitiosus homo.  
 Concidam ante illum furibundos ipsius hostes:  
 Ipsi os ofores percutiamque manu.  
 Hunc mea vera fides, bonitas, pietasque sequentur.  
 Percipiet pactum, quod bonus auxit amor.  
 Irrita non fiet suprema hæc gratia prima  
 Qua hunc illum elegi, constituique mihi.  
 Efferet ipsius mea firma potentia cornu:  
 Exaltatus erit viribus ille meis.  
 Et maiestatem insignem illius ad mare vastum  
 Protendam, princeps ille timendus erit.  
 Protendam imperium florens illius, vsque  
 Ad fluuium Euphratem, victor acerbus erit.  
 Ille Palestinos dextra victrice domabit:  
 Atque Syros rediget sub ditione sua.  
 Ipse appellabit me, o mi pater inclyte princeps,  
 Et meus omnipotens, perpetuusque Deus.  
 Vna meæ vnus firmissima petra salutis:  
 Inuictum robur, præsidiumque meum.  
 Hunc primum faciam terræ, regumque supremum:  
 Regibus his terræ celsior vnus erit.  
 Semper ei seruabo meum bonitatis honorem:  
 Prosequar hunc illum, sponte fauente mea.  
 Omne meum fœdus constans, firmumque manebit.  
 Illi, huius semen nobile semper erit.

Illius sobolem, & gnatos, charosque nepotes  
 Ipse propagabo tempus in omne mihi.  
 Illius solum veluti lux clara, diésque  
 E cœlo qui mox exoriuntur humi.  
 Quòd si huius gnati, & soboles parere recusent  
 Legi, nec cupiant hæc mea iussa sequi.  
 Si leges, morésque meos, & dicta profanant:  
 Et non conseruiant hæc mea iussa sibi:  
 Tam virga inuisam peccatum, & crimen eorum:  
 Inuisam flagris, verberibusque meis.  
 Hos visam vt medicus, genitorque fidelis, amicum  
 Erudiens gnatum dulcis amicus ero.  
 Sic fiet primùm illorum correctio lenis,  
 Sed tandem grauior, ni sacra iussa colant.  
 Vt multis lachrymis tandem respiscere possint  
 Et redeant, sceleris pœniteantque sui.  
 Non tamen ipse meam bonitatem prorsus ab illo  
 Tollam, promissam nec violabo fidem.  
 Nec violabo meum pactum succensus in ira.  
 Irrita non faciam fœdera iuncta fide.  
 Non immutabo quicquid prodiuit ab ore  
 Omnibus in verbis ipse fidelis ero.  
 Omnino per me iuravi, & profero sanctam  
 Per maiestatem, verba, fidemque meam.  
 Si Dauid fallam, atque vsquam si mentiar illi:  
 Sacrum illi fœdus non violabo meum.  
 Illius semen, totum durabit in æuum.  
 Et semper viuet posteritatis honos:  
 Fœcundi gnati, & soboles, pulchrique nepotes  
 Nascentur, donec totus hic orbis erit.  
 Donec erit mundi reuolubilis annus, & orbis  
 Cœlorum, motus nocte, diésque dabunt.  
 Illius regni solum regale potentis  
 Coram me, tanquam sol preciosus, erit.

Firmum

Firmum semper erit, velut orbi Luna refulgens  
 Ex hoc Sole: suum quæ sibi lumen habet.  
 Et sicut testis, celsis in nubibus ille  
 Cerrus, sed non es tu memor ipse tui?  
 Ipse tuum Christum nunc tu tibi despicias, illum  
 Abiicis, hunc ira tu vehemente premis.  
 Ipse simultatem magnam exercere videris  
 Cum Christo, multum qui tibi charus erat.  
 Rescindis serui fœdus, tu polluis, atque  
 Sternis humi illius tu diadema sacrum.  
 Et forti dextra illius omnia septa secidisti.  
 Diruta nunc terræ mœnia celsa iacent.  
 Contriuisti omnes munitas illius arces  
 Quas formidabat sapius hostis atrox.  
 Omnis eum pedibus calcat, qui præterit istæ.  
 Vicinis probrum est, ludibriumque suis.  
 Victricis palmæ pretio summo, hostis atrocis  
 Dextram tu exaltas ipse fur ore graui.  
 Latificas omnes inimicos, nobile regnum  
 Qui debellarunt sub ditione sua.  
 Inde retorsisti gladij huius robur, & illum  
 Victorem in bello non facis arte tua.  
 Cessauisti ab eo ornando, conuertitur atras  
 In tenebras regni splendor, & omne decus.  
 Tu collisisti solum, & regale tribunal  
 Ipsi ad terram, sic iacet huius honos.  
 Ipse recidisti florem, tempusque iuuentæ  
 Huius, & hunc totas contegit ipse pudor.  
 Quæso quousque (ô mi Domine) absconderis in ira?  
 Annè in perpetuum, tu latitare voles?  
 Ille quousque tuus furor horridus, atque seuerus  
 Ardebit toties, vt solet ignis edax?  
 Quàm breuis, & nihili illic sit mea vitæ, reuolue.  
 Nonne sat afflicti per mala nostra sumus?

P

Non fat in afflictis miserandis rebus habemus  
 Ex ipsa misera conditione mali?  
 Affiduis est tota malis obnoxia vita  
 Spirandi ratio non datur vlla mihi.  
 Non locus vllus adest dulcis, placidæque quietis,  
 Non possem casus nunc meminisse mei.  
 Tu reputa, quanta hic mihi temporis hora statuta  
 Sit: cum tot patiar nocte, diæque mala.  
 Nonne leuem ob causam (Deus alme) creaueris omnes  
 Hos hominum gnatos posteritatis Adæ?  
 Nemo est, quam tumuis sit vir robustus, & ingens  
 Qui vitare queat spicula dura necis.  
 Quique suam vitam de vi vehemente sepulchri  
 Protegere hac possit conditione sua.  
 Hæc vbi prisca tua est bonitas, quam Dauid amico  
 Iurasti ex vera, pollicitaque fide?  
 O Domine esto memor probri, probrique nefandi  
 Quo afficit hos seruos impia turba tuos.  
 Quo malè perpetuò populorum concio tota  
 Commouet hos famulos qui tibi cuncta vouent.  
 Quod premo ego in gremio tacito, & quod perfero  
 Quo perulans hostis fert maledicta mihi. (constans:  
 Quòque tui vncti excratur vestigia, tanquam  
 Nil spei in hoc videat, nunc superesse sibi.  
 Qualiscùmque status, fortunàque dira mearum  
 Rerum sit, Dominus fœdera pacta dabit.  
 Stabit promissis, & re sua pacta probabit:  
 Quamuis afflictò sit mora longa mihi.  
 Gratia sit Domino, famulos qui seruat ab hoste:  
 Persoluam grates tempus in omne Deo.  
 Quæ volet hic faciat, gnato dabit ille salutem:  
 Et seruo cedent prospera cuncta suo.  
 Hic est laudandus dum totus stabit hic orbis.  
 Et dum sol rutilum lumen in orbe dabit

Et dum luna suum splendorem nocte silenti  
 Præbebit cœlis, astraque clara reget.  
 Omnis Amen dicat deuota mentis honore:  
 Et cum lætitia concinat ore suo.

LIBRI TERTII FINIS.

## PSALMORVM

LIBER QVARTVS.

PSALMVS XC.

Domine refugium factus es nobis.

TITVLVS.

*Oratio Mosis hominis Dei.*

ARGVMENTVM.

*Dei laus est, & magnificatio, hominis autem  
 deiectio, atque ad Deum  
 recursus.*

**R**efugium es nostrum ô Domine immortalis  
 ab omni  
 æuo, in diuersis, flebilibusque malis  
 Namque priusquam montes formarentur, &  
 In centro tellus pendula, facta foret. (ingens  
 Antequam & hic orbis spatiosus conditus esset  
 E nihilo, dextra cunctipotente tua.  
 Solus ab æterno Deus es per sæcula cuncta  
 Extremum finis non habitura diem.  
 Tu in cineres hominem redigis sub pulueris vrina:  
 Et contrà, dicis conditor alme Deus,  
 In vestrum corpus cum infusa mente, redire  
 O hominum gnati posteritatis Adæ.

Ante tuos oculos annorum tempora mille  
 Sunt velut hesternus, præteritúsque dies.  
 Sunt velut ex cubiæ noctis, quæ fluxit vt vmbra:  
 Et post se nullum ritè reliquit iter.  
 Si tuus hic æternus honos confertur ad illud:  
 Imò momentum temporis esse solent.  
 Cùm tua dextra potens, metuendaque dissipat illos:  
 Hi somnus fiunt, prætereúntque citò.  
 Ac subitò sicut fœnum mutantur, & illo  
 Flore iuuentutis sapè perire solent.  
 Fœnum manè virens, floret, succrescit, & illud  
 Incisum arefcit vespere, sole breui.  
 Sic nos te irato consumimur, atque perimus.  
 Ob nostrum horrendum, mortiferúmque scelus.  
 Deturbamur in hoc tristi, & vehemente furore:  
 Ante tuos oculos crimina nostra tenes.  
 Clara in luce tui vultus qui prospicit omnes  
 Hæc occulta patent nostra (benignè Deus)  
 Omnis nostra diès citò labitur, atque recedit.  
 Te irato nobis ob graue quòdque scelus.  
 Nos dictò citius, tacitos finiimus annos.  
 Qui incautis nobis vt breuis vmbra, fluunt.  
 Annorum, ætatísque dies quos degimus. illi  
 Fèrmè, bis septem lustra decora ferunt.  
 Et si qui sunt viuidiores, lustra bis octo  
 In vitæ lucta, curriculòque, tenent.  
 Quòd decus excellens, robur, flos & vigor horum  
 Annorum exuperat, vel superesse potest.  
 Hoc illud tandem numeratur rectius, inter  
 Continuas pœnas, mæstitiásque graues.  
 Ver breue transuolitat blanda, viridísque iuuentæ:  
 Atque senectutis defluit acris hyemps.  
 Hic sunt primitiæ mortis, labor, & dolor ingens:  
 Hic curæ, & morbi mæror, & omne malum.

Sic miserè, subitòque recidimur, atque volamus  
 Tanquam alis sumptis cum leuitate breui.  
 Quis (Deus vltor) habet rationem valde potentis  
 Iræ, quæ meritò commouet arma tibi?  
 Quis tuâ & hanc excandescenciam, acremque furorem  
 Vitare hîc nouit, si cupis ipse coli?  
 Et si præcipuè hîc à nobis exigis illum  
 Cultum, quem iusta cum ratione decet?  
 Instrue nos sapiens princeps, Rex optime, nostros  
 Vt nos possimus dinumerare dies.  
 Vt contemplemur sapienti corde salutem  
 Et res æternas, & tua gesta, Deus.  
 Nunc tandem redeas Domine, & tu fronte benigna  
 Sis seruis clemens, propitiúsque, tuis.  
 Nos bonitate tua subitò satiemur: vt omnes  
 Nos exultemus, nomen amandò tuum.  
 Vt nos lætemur cunctis, paucísque diebus  
 Quos nobis miseris tu superesse vides.  
 Lætemur tandem nos pro ratione dierum:  
 In quibus afflictì nocte, dièque, sumus.  
 Pro miseris annis, quibus hîc mala maxima semper  
 Experti fuimus: nos recreare velis.  
 Impartire tuis seruis tua splendida facta:  
 Illorum gnatis sit tua nota salus.  
 Gratia diuinæ huius maiestatis amica  
 Qua tu nos redimis, restituísque tibi.  
 Excellensque tuus fauor hic appareat. illum  
 Tu confer gnatis posteritatis Adæ.  
 Nobiscum Domini nostri sit splendor, ab illo,  
 Nostrarum manuum perficiatur opus.  
 Hic Dominus, nostérque Deus qui elementa gubernat  
 Inceptis nostris ritè fauere velit.  
 Absoluat quicquid manibus tentauimus, vno  
 Authore hoc cedant prospera quæque Deo.



Qui habitat in adiutorio altissimi.

ἀνεπιγάφος.

ARGVMENTVM.

*Fideles ab omni metu liberos esse.*

**Q**ui in cellis habitat penetralibus, atque latebris  
Supremi armorum, militiæque Dei.  
Qui se tutelæ illius committit, & illi  
Rebus in afflictis fidit, opemque petit.  
Qui requiem, & pacem captans versatur in umbra  
Omnipotentis, humi qui fera bella quatit.  
Inuiso Domino dicit, Deus hic meus, vna  
Spes mea, securum præsidiumque, manet.  
Arx mea fortis hic est, & propugnacula tuta:  
Susceptor meus est, perfugiumque meum.  
Illi confidam, mea spes pendebit ab illo.  
Et pendebit ab hoc hæc mea tuta salus.  
Illius curæ me totum tempore duro  
Committam, auxilium dura per arma dabit.  
Nam è venatoris laqueo, atque à peste maligna  
Te eximet, insidias, atque venena premet.  
Pestiferum exitium quod habet sibi pessima damna  
Auferet, atque dabit dulce salutis opus.  
Ille suis alis leuibus te conteget, vt sis  
Huius sub pennis tutus ab hoste tuo.  
Huius vera fides, huius pactumque fidele  
Fortis erit clypeus, tutaque parma tibi.  
Umbo tuus securus erit, curaque suprema  
Hic te defendet semper ab hoste truci.  
Vt neque securo metuendum sit tibi, nocte  
A terrore graui, fulmineoque malo.  
Ille timor noctis, larum, & mala quæque molesta  
Luce Dei veri, non tibi damna dabunt.

Nec res vlla die, celeri volitante sagitta  
Incutiet dubios, terribilisque, metus.  
Quid? nullum damnum, nullum subitumque periculum  
Accidet impauido nocte, dieque tibi.  
Non tibi nequitia, falsus sermoque nocebunt:  
Dictis non oberit pessima lingua tibi.  
In morbis, grauibulque malis quæ deferet hostis  
Latus erit medicus, rex Deus ille tuus.  
A peste horribili quæ clam grassatur, & omni  
Sæuit in obscuro, nulla pericula feres.  
Tutus eris simul à noxa quæ vastat acerbe  
In media, & clara, perspicuaque die.  
Occultus fomes qui te premit extus, & intus  
Nullam tristitiam, perniciemque dabit.  
Hic etiam Sathanas qui fingitur Angelus ille  
Lucis, in occulta calliditate sua.  
Hoc duce securo qui lux est vera, tenebras  
Omnes expellens, non tibi terror erit.  
Si bellum ingrederis mox pugnaturus in hostes:  
Ad latus hoc læuum, millia caesa cadent.  
Myriades recident ad dextram, quominus ad te  
Accedatur, eris victor in hoste tuo.  
Inspicies oculis mulctam, pœnasque malorum:  
Quas pro peccatis commeruere suis.  
Quas iustus iudex Dominus Deus ille rependet:  
Illis cognosces numen, opemque Dei.  
Es mea tu Domine omnipotens fiducia tota:  
Et secura salus, & mea grata quies.  
Tu domus ipse tuæ statuisti tutus asylum  
In summo rupis, perfugique loco.  
Ad te non veniet temerè fera turba malorum.  
Nec castro accedet plaga cruenta tuo.  
Namque tua causa Dominus Deus ille ministris  
Angelicis dicet, præcipietque suis.

Vt sint solliciti pro re, quocunq̄ue feraris:  
 Inq̄ue viis adsint vnica cura tui.  
 Vt promptis manibus te gestent, quominus ipse  
 Ad lapides lædas, impediãsq̄ue, pedes.  
 Tu super atroces pardos, atque aspida sæuum  
 Incedes victor, nullãque damna feres.  
 Prostratum virtute tua victrice leonem  
 Calcabis, pedibus subiiciẽsq̄ue tuis.  
 His etiam pedibus tumidum, igniferũque draconem  
 Calcabis victor tu violenter humi.  
 Sic tibi parebunt animalia quãq̄ue superba  
 Et fera, nec poterunt illa nocere tibi.  
 Me Dominum solum, quoniam sibi deperit, inquit  
 Rex Dominus, palmã præmia læta feret.  
 Hunc ego seruabo, stabilem semp̄erque tuebor:  
 E grauib̄us cunctis eripiãmq̄ue malis.  
 Hunc inconcussum reddam, quia rebus acerbis  
 Agnoscit firmo nomen amore meum.  
 Rebus in aduersis cũ me in sua vota vocabit:  
 Respondebo illi sedulitate mea.  
 Illum cũ vehemens angustia deprimet, illi  
 Mox adero, auxilium sentiet ille meum.  
 Hunc tandem eripiam ex ærumnis omnibus, ægrum  
 Hunc solabor, ei gaudia plena dabo.  
 Magnificabo illum, viuet longæuus, & à me  
 Longæuis annis hic saturatus erit.  
 Postremò ipse meam illi demonstrabo salutem:  
 Perpetuò fœlix viuet in arce mea.

PSALMVS XCII.

Bonum est confiteri Domino.

TITVLVS

*Ode gratulatoria pro die sabbati.*

ARGVMENTVM.

*Generalis & communis collaudatio populi  
 est, ac fidei confessio.*

**C**oncelebrare Deum Dominũ pulcherrima res est:  
 Et cantare tuum nomen, ò alte Deus.  
 Atque sub auroram qua fulget candidus orbis  
 Commemorare tuas has bonitatis opes.  
 Noctibus & cunctis tua verò consona pacta  
 Dicere, præclarum, conueniẽsq̄ue, decus.  
 Illud non tantũ voce alta, sed decachordo:  
 Carmine, tũ cithara, dulcifonãque Chely.  
 Hac operum forma multũ eccellente tuorum.  
 Nam me latificas suspiciende Deus.  
 Et propter manuum sublimia facta tuarum  
 Exulto, & totus gaudia iusta fero.  
 Quã præclara tua hæc opera, atque heroica facta  
 Sunt Domine, ò mundi conditor alme Deus?  
 Ex cœlo, & terra est compages, mundus, & huius  
 Ornatus, pulchrum est omnis honoris opus.  
 Quã speciosus hic est ornatus, & huius imago  
 Quã excellens? formã est flos, honor, atque decus.  
 Totius est formã speculum mirabile cunctis:  
 Diuinum est certè totius artis opus.  
 Consilia hæc tua sunt vehementer in orbe profunda:  
 Estque profunda nimis mens tua facta, Deus.  
 Hęc quis scrutari velut ipsa ænigmata possert?  
 Omnibus hæc nobis semper abyssus erunt.  
 Humanum captum superant hæc intima docti  
 Consilij occulti non penetranda tui.  
 Non capit imprudens, hoc non intelligit vnquam  
 Stultus, & insipiens non videt istud homo.  
 Non hic naturẽ cernit miracula, non hic  
 Perpendit Domini cunctipotentis opus.

Quòd cùm instar fœni sceleratus germinat, indè  
 Floreat hic omnis flagitiosus homo.  
 Et flores emittat in hoc, vt semper ab illa  
 Excindatur humo, dispereatque sibi.  
 Hoc igitur non est tribuendum prosperitati  
 Huius, at excidio, perpetuæque neci.  
 Sic spectatur in hoc huius damnatio, siue  
 Argumentum huius casus, & indè crucis.  
 Sed tu supremus Deus es, semperque manebis.  
 En pereunt hostes (ò Deus alme) tui.  
 Hostes (dico) tui qui nunc florere videntur  
 Funditus intereunt perditione sua.  
 Et vitii sese sceleratus dissipat omnis.  
 Hoc mihi sed cornu Rhinocerotis erit.  
 Vt nunc Rhinoceros gestit sibi tollere cornu:  
 Sic vis ascendet, rursus, vt illa fuit.  
 Iucundum senium præ succo sæpè virescet.  
 Corpore constanti, mentèque firmus ero.  
 Quòd meus hic oculus vindictam cernet in hostes  
 Qui insurgunt in me præ feritate sua.  
 Hos insurgentes in me cecidisse malignos  
 Cernam, & percipiam prouidus aure mea.  
 Iustus verò instar palmæ florebit, & ille  
 Frondescet, Libani montis vt alta Cedrus.  
 In Domini templo plantati, semper in illis  
 Florebunt atriis, porticibusque Dei.  
 Quin in iucunda, & fœra, viridique senecta  
 Flores, & pulchrum germen, abundè dabunt.  
 Floridi, & hi succo pleni, virtute virebunt:  
 Atque piæ vitæ commoda pulchra ferent.  
 Quò notum fiat cunctis, quàm rectus, & æquus  
 Est Dominus, rupes, & mea firma petra.  
 Nil apud hunc illum videas tu prorsus iniqui.  
 Omnibus à vitii sic alienus, hic est.

## Dominus regnavit decorem indutus.

*ἀνεπιγὰφος.*

ARGVMENTVM.

*Dei fidem non fallere, aut frustrari, vt cumque  
 magna pericula immineant.*

**O** Domine omnipotens Rex qui vestitus es vnus  
 Magnificè illustri pro Deitate tua.  
**O** Domine immenso qui robore cinctus es, atque  
 Indutus, totum construis orbis opus.  
 Sic orbem ingentis terræ, cœlique, Monarcha  
 Firmasti dextra cunctipotente manu.  
 Ille, tua vt fluctus nequeat virtute, moueri.  
 Orbis in hoc centro pendula terra iacet.  
 Iam indè à principio sedes tua firma paratur.  
 Et solij regnum est tempus in omne tui.  
 Vnus ab æterno Deus es, semperque fuisti.  
**O** Domine omnipotens, semper & vnus eris.  
 Ecce, extollunt flumina mi Domine inelyte rector.  
 Extollunt vocem flumina magna suam.  
 Ipsa suos raucos attollunt flumina fluctus:  
 Tempestate graui nunc maris vnda furit.  
 Immani sed aqua resonante potentior ille  
 Est Dominus cœli, terribilisque maris.  
 Vndarum nimbis multum violentibus ille  
 Fortior est, vehemens æquor, & astra regit.  
 Præcipites vndas prosternit hic ille, minacis  
 Æquoris, & furias temperat arte sua.  
 Hic excelsa colit, celsaque moratur in arce.  
 In cœlis habitat, constituitque, domum.  
 Maxima vis hostis, violens atque imperus, huius  
 Irruit in populum, progenièmq; Dei.

Impetus horribilis, furibundaque turba malorum  
 Qui nos inuadunt, & fera bella parant.  
 Sed magis horribilis Deus est, metuendus in armis.  
 Conterit in bellis arma potente manu.  
 Ille hic pro nobis rabidos propugnat in hostes  
 Acriter, & palmae praemia laeta refert.  
 O inuicte Deus, tua sunt oracula vera:  
 Promissumque bona das (pater alme) fide.  
 Nam quae tu testatus es hoc sermone fideli  
 Et pulchra, & sancta nunc super aede tua.  
 O Domine omnipotens, haec vera, & firma, manebunt.  
 Perpetuo constans est tua sancta fides.

## PSALMVS XCIIII.

Deus ultionum Dominus, Deus ultion.

ἀνεπιγάφως

## ARGVMENTVM.

*Summa fiducia prouocatur Deus in magna oppressione ad vindicandum, quoniam semper tulerit auxilium.*

**O** Domine alme Deus, vindex Deus aequus, & ultor  
 Ad nos magnifico cinctus honore, veni.  
 Euchere o mundi iudex, & redde superbis  
 Digna, tuum solium scande, supreme Deus  
 Conspicuum te praebere malis, tu sumito poenas  
 Ex his, & poenas (quas meruere) luant.  
 Quæso, quousque Deus: reprobi, reprobi que triumpant?  
 Quæso, quousque malum voce loquuntur opus?  
 Impius hic garrit, mox differit, omnia quæque  
 Friuola mox iactat flagitiosus homo.  
 Quæso, quousque tuum populum vir commolit atrox  
 Et sortem affligit per mala quæque tuam?  
 Omnibus illa modis tua nunc successio mærens

His afflicta malis languet, & ægra iacet.  
 Interiment viduam, & peregrinum hæc impia turba:  
 Pupillum periment, cuius es vna salus.  
 Et falso dicunt, dominus non nouit, & horum  
 Nil capit, è cælo rex Deus ille Iacob.  
 Vos imprudentes igitur, de plebe, parumper  
 Accipite, & tota voluite mente, precor.  
 Vos stulti tandem sapite, & vos cernite, quæ sit  
 Rebus in humanis prouida cura Dei.  
 Non is qui capiti conseruit, & indidit aurem  
 Est auditurus? surdus hic vnus erit?  
 Qui vobis oculos finxit sub fronte, nefandum  
 Visurus non est crimen, & omne scelus?  
 Qui gentes omnes informat, & erudit, hic vos  
 Iustus non plectat, corripiatque flagris?  
 Qui facit, vt sapiant homines, qui mentibus horum  
 Artes insculpsit, nesciet illud opus?  
 An mala vestra feret, vel iustus inulta relinquet?  
 Vos impunè feret turpe patrare scelus?  
 Internos hominum sensus pernouit, & audit:  
 Quam sit mens hominum vana, repentè videt.  
 Illius nitidis oculis sunt omnia nuda:  
 Et nullus locus est hinc sine teste Deo.  
 Consilia ergo humana Deo sunt cognita, vana:  
 Idque sua tanta calliditate facit.  
 Vt facere æquè, & legitimè videatur, & illud  
 Ducat pro iusta lege iubente sibi.  
 Contra præceptum Domini qui iudicat omnes  
 Subiectis poenas, & mala dura parat.  
 In vitam iusti concurrant, atque cruorem  
 Innocuum damnant impietate sua.  
 Sed meus vnus erit Dominus protector in hostes?  
 Sic erit vna salus, per fugiumque meum.  
 Est Deus ille meus mea spes, fiducia tota:

Arx inuicta, spei firmaque petra meæ.  
 Ille retorquetur victor violenter in illos  
 Horum nequitiam quæ scelus omne parit.  
 Propter nequitiam, & sceleratum crimen eorum  
 Illos disperdet funditus ille Deus.  
 Disperdet Dominus noster Deus vnicus illos:  
 Illos subuerteret, præcipitesque dabit.

## Venite exultemus Domino.

ἀνεπιγάστος

ARGVMENTVM,

*Excitatio est fidelis populi ad verè laudandum Deum.*

**E**ià exultemus Domino, petraque salutis  
 Nostræ, dicamus iubila, tempus adest.  
 Nos coram Domino, placidis properemus in hymnis:  
 Et lætis animis nos celebremus eum.  
 Perfoluamus ei puro cum pectore grates:  
 Vt nos iucunda fronte videre velit.  
 Sponte canamus ei psalmis, & dulcibus hymnis:  
 Huius & in laudem carmen in ore sonet.  
 Solus enim Dominus Deus, & Rex maximus. omnes  
 Est super antiquos nobilitate Deos.  
 Est super angelicas turmas, cunctosque Prophetas  
 Atque magistratus, iustitiæque duces.  
 Est supra reges, quoniam regit omnia solus.  
 Ipsi imperio subdita cuncta iacent.  
 In ditioe huius sunt hæc penetralia terræ:  
 Montium & excelsum robur, & omne iugum.  
 Illius immensum est pelagus, nam condidit illud.  
 Illius est æquor, quicquid & illud habet,  
 Hoc extra pelagus iussit virtute potenti  
 Vt grauis extaret terra colenda viris.  
 Nam firmavit eam manus illius, ergò venite:

Et lætis animis semper adeste, precor:  
 Nos veneremur eum, genua hæc flectamus honore:  
 Coram illo Domino, conditor orbis, hic est.  
 Nos coram Domino nostro factore fideles  
 Fundamus placidè, suppliciterque preces.  
 Hanc animam, & mentem afflictam, cordisque querelas  
 Nil latet hunc Dominum, nilque latere potest.  
 O ter scelicem, quem tu Domine instruis: & quem  
 Tanquam præceptor corrigis, atque doces.  
 Et quem lege tua formas, à tempore duro:  
 Vt sit securus te duce, summe parens.  
 Illi præbebis (dum aduersa pericula sæui  
 Temporis occurrent) dulce quietis opus.  
 Dum lacus intereà præceps fodiat iniquo:  
 Ex quo non poterit sponte redire sua.  
 Obfirmatus hic est in crimine questio iusta  
 Est illi in pœnas, suppliciumque graue.  
 Non etenim Dominus populum atra in nube repellat:  
 Non sortem abiiciet pro pietate, suam.  
 Nec sua chara sibi patrimonia deseret vnquam.  
 Iunget iustitiam, iudiciumque simul.  
 Ad normam illam iustitiæ, qua cuncta reguntur:  
 Iudicium reddet cum ratione bona.  
 Iudicium ex æquo faciet, sectabitur illam  
 Iustitiam veram, iustus, & æquus, hic est.  
 Vtique ad iustitiam quæ dirigit omnia: tandem  
 Iudicium accurret, peruenietque viris.  
 Interdum iustum pœna Deus afficit, illud  
 Æquo iure suo, iudicioque facit.  
 Iudicium iustus patiens amplectitur, illud  
 Cùm sciat à Domino iure venire suo.  
 Sectabuntur eum qui recto corde relucet.  
 Quis ferat in prauos robur, opemque mihi?  
 Aut quis nunc mecum audaces consistat in hostes

Qui pariunt sceleris facta nefanda fui?  
 Ni Deus auxilio, afflicto mihi saepe fuisset:  
 Iam pridem in fouea membra sepulta forent.  
 Atque mea hæc anima illachrymans habitaret in orco:  
 Et tegeter pressum morte cadaver humus.  
 Nam si quando mihi cruciatus dicere possem:  
 Pes meus est lapsus debilitate sua.  
 Me illustris bonitas tua sustentabat (amicæ  
 O Domine) addebat robur & illa mihi.  
 Me dolor internus quantum cruciabat, & agram  
 Torquebat mentem vulneris ictus atrox.  
 Hæc tua me tantum solatia læta fouebant.  
 Afflictæque animæ gaudia plena dabant.  
 Dum tacitus mecum hic animo complecterer altum  
 Quod nihil iniuste (mi Deus author) agas:  
 Quod iustus tu sis, & index rectus & æquus:  
 Hoc animum reficit, lætificatque, meum.  
 Num tibi cum solio quicquam est commune sceleris?  
 Quid commune tibi nonne tyrannus habet?  
 Qui pœnam fingit prætextu legis, & vrget  
 Ærumna insonates qui meruere bonum.  
 Illud more suo, & tanto illud perficit astu:  
 Nos effundamus fletibus ante Deum.  
 Hic Deus est noster, populus sumus illius, omnes ubi  
 Ad sua nos ducit pascua pastor oues:  
 Grex manus illius modo voci principis huius  
 Auscultemus, & hic morigeremur ei.  
 Non obduretis vos vestris cordibus in me  
 Ut plebs contendens iurgia dira tulit.  
 Ut fuit hæc in me dura ceruice rebellis:  
 In Sin deserto, dum sua castra locat.  
 In Raphidin dum castra locat, Mosémque querelis  
 Obruit obiurgans, cum premit ægra sitis.  
 Hic ubi me patres vestri tunc excutiebant:

Illis

Illis an possem suppeditare cibum.  
 Me illi tentabant, demùm mea facta videbant.  
 Cum gente ingrata lis mihi longa fuit.  
 Me lustris octo pertæsum est gentis acerbæ  
 Huius, ita vt semper talia dicta darem.  
 Toto corde suo hic populus manifestius errat.  
 Nil erat his curæ nostra querela frequens.  
 Non agnoscebant etenim mea dicta benigna:  
 Nec præcepta, meas perfacilésque vias.  
 His igitur tandem iuraui pressus in ira  
 Cum assidue errarent, desperentque sibi.  
 Quod non ingressuri essent, (cum credere verbis  
 Nollent) in requiem, post mala tanta meam.

PSALMVS XCVI.

## Cantate Domino canticum nouum.

ἀνεπιτυράφος.

ARGVMENTVM.

*Omnia extimulantur, etiam gentes, ad laudandum  
 Deum, qui venturus est ad indicandum.*

**C**Antate immenso Domino noua carmina laudum:  
 Omnis tu Domino maxima terra, cane.  
 Omni tempore, vos Domini euulgate salutem:  
 Huius, apud gentes vos memorate decus.  
 Huius apud populos omnes miracula ferre.  
 Est magnus Dominus dignus honore coli.  
 Est supra omne decus clarum, laudémque supremam:  
 Atque diis cunctis rex metuendus, hic est.  
 Omnes namque dij, quos extera natio ponit.  
 Sunt statuæ, cælos condidit ille Deus.  
 Quicquid magnificum est vsquã, quicquidq; decorum  
 Huius in aspectu cuncta vidente, nitet.  
 Gloria, & omnis honos, suprema omnisque potestas

Sunt apud hunc Dominum qui regit orbis, opus.  
 Ingens maiestas, & summa potentia lucet,  
 In cœlis altis, quos habitare cupit  
 Quos sibi delegit pro regno valde decoro:  
 Quos sibi delegit pro rutilante domo.  
 Ergo tribus omnes populorum vos date, rursus  
 Et date vos Domino robur, & omne decus.  
 Dicite vos fortem Dominum non denique diuos:  
 Maiestas huius concelebranda venit.  
 Omnipotens nomen Domini celebrate per orbem  
 Laudibus, & summa roboris arte sui.  
 Glorificate Deum excellentia nominis eius.  
 Id poscit, Deus est quem decet omnis honos.  
 Corripite omnes munus, in atria pulchra venite  
 Huius, in excelsi templa venite Dei.  
 Vos Dominum sancta pompa, cœtuque frequenti.  
 Semper adoretis corde, timore, fide.  
 Omnis terra, Dei faciem reuerenter adoret:  
 Hunc illum metuat, laudet, honoret, amet.  
 Vos euulgare in gentes Deus ille monarcha  
 Regnat, & est mundi conditor, ille Deus.  
 Illum sic orbem firmavit, vt ille moueri  
 Non possit stabili conditione sua.  
 Hic Dominus populos omnes, qui iudicat æquo  
 Iure suo, cœli gaudia plena ferant.  
 Gestiat hæc tellus, reboet mare, cum omnibus illis  
 Quæ tenet, & vastor gurgite claudit humi.  
 Exultet fœcundus ager, quid? gaudia promat  
 Quicquid in hoc viuunt, gestiat omne nemus.  
 Omnis & exultet sylvarum fertilis arbor:  
 Cùm veniet coram iudice rege Deo.  
 Nam veniet iudex vt terram iudicet omnem:  
 Hic orbi iudex iustus, & æquus erit.  
 Hic cum iustitia mundum reget & reget omnes

LIBER QUARTVS.  
 Hic populos vera lege, fidēque bona.

PSALMVS XCVII.

Dominus regnauit, exultet terra.

ἀνεπιγάφως.

ARGVMENTVM.

*Verum, ac omnipotentem esse Deum, qui colitur in Israël:  
 reliquos non esse Deos illius cultores  
 iustitiam colere.*

**R** Ex Dominus regnat, tellus lætetur, & omnis  
 Insula, quam Oceanus claudit, & ambit aquis.  
 Effulgens nubes, caligōque circiter illum  
 Sunt, vt terrorem præbeat ille malis.  
 Iustitiæ sincera fides, æquūque fideles  
 Huius sunt solij fulcra, potēsi que basis.  
 Ante hunc ignis edax procedit: vt illius hostes  
 Vndique corripiat flamma repente vorax.  
 Illius illustrant rutilantia fulgura totum  
 Orbem, terra pauet tristis, & illa mouet.  
 A facie Domini montes, vt cera, liquefcunt:  
 Omni ex parte fluunt præ vehemente metu.  
 A conspectu illo Domini qui dirigit omnem  
 Terram, robusti fulmina quique timent.  
 Huius iustitiā toto restantur in orbe  
 Cœli, percelebrant huius vbique fidem.  
 Maiestatem eius populi omnes ritè videbunt:  
 Erubeant illi qui simulachra colunt.  
 Hos pudeat qui falsa colunt idola per orbem:  
 Quique suos iactant religione Deos.  
 Hunc omnes, superique dij reuerenter adorent:  
 Hunc solum Dominum qui regit astra, colent.  
 Hæc cùm percipiet, reuerenter & audiet illa  
 Zion, parturiet gaudia iusta sibi.

Et gnatae Iuda, gestu sua gaudia proment.  
 Propter iudicia hæc (ô Deus alme) tua.  
 His iustè exanimas reprobos terroribus, & tu  
 O Domine exhilaras, lætificasque bonos.  
 Namque super terram (ô Domine) excellissimus es tu:  
 Totius terræ tu moderaris opus.  
 Es prælatus ob hæc miracula valde stupenda  
 Omnibus (hæc clara nobilitate) diis.  
 Vos qui diligitis Dominum, graue crimen habete  
 Omni odio, nocuum sponte fugate malum.  
 A vitiiis animas seruorum namque suorum  
 Custodit, cura continuâque fouet.  
 E violente manu reproborum liberat illos:  
 Nè premat occulta fraude tyrannis atrox:  
 Inferitur iusto rutilans lux orta per illum:  
 Corde viris rectis, lætitiæque bonum.  
 Sub tellure iacet, seges infita ritè, priusquam  
 Proferat hæc fructum fertilitate sua.  
 Sic mala multa boni patiuntur sæpè, priusquam  
 Hæc solis veri lux oriatur eis.  
 In Domino iusti vos gaudia vera fouere:  
 Nam semper vobis valde benignus erit.  
 Maiestati sanctæ huius persoluite grates:  
 Huius & immensum commemorare decus.  
 Ille tot, & tantis meritis, ornauit abundè  
 Vos, atque ornabit pro bonitate sua.

PSALMVS XCVIII.

Cantate Domino canticum nouum.

Ode.

ARGVMENTVM.

*Omnia excitantur ad laudandum Deum, quoniam  
 ipse iudex sit orbis, Christo competit  
 sicut & 95. Psalmus.*

**V**OS Domino cantate nouum sublimis honoris  
 Carmen, vos seruat viribus ille suis.  
 Ille saluari dextra miranda per orbem  
 Fecit, & attriuit prælia cuncta manu.  
 Brachio & ille suo sancto, inuictoque salutem  
 Et palmam nobis sæua per arma dedit.  
 Ille suam Dominus notam virtute salutem  
 Fecit, dispicitur victor in hoste fero.  
 Ille palam fecit totius gentis ocellis  
 Victricem palmam, iustitiâque suam.  
 Ille suæ veræ fidei, & bonitatis amicæ  
 Israël domui nunc memor ille fuit.  
 Vt terræ fines omnes, populique, salutem  
 Nostri conspiciant luce micante Dei.  
 Terra suo Domino victori iubilet omnis  
 Plaudat & exultet, psallat, & illa canat.  
 Psallite vos Domino, cithara, vos iungite vocem  
 Hanc psalmi, citharæ, vos resonare tubis.  
 Psallitæ voce tubæ dulces clangente per auras:  
 Inuictum Dominum buccina voce sonet.  
 Inuicti Domini tuba cornea cantet honores:  
 Victorémque Deum garrula sinistra canant.  
 Coram rege Deo Domino vos iubila ferte:  
 Et reboet pelagus, quicquid & æquor habet.  
 Exultet mundus spatiosus, & incola terræ:  
 Et plaudant manibus flumina cuncta suis.  
 Et simul exultent montes, sua gaudia cunctis  
 Testentur, Dominum commemoréntque suum.  
 Exultent coram Domino, cùm venerit, æquus

Q iij



Vt iudex, terram iudicet ore suo.  
Totius orbis erit iudex iustissimus, illi  
Consultrix aderit iustitiæque fides.  
Æqua fides, assessor erit, non ille seuerus  
Censor erit populis, quos bonitate reget.

PSALMVS XCIX.

Dominus regnavit, irascantur populi.

ARGVMENTVM.

*Laudatur à bonitate Deus, quòd  
suos semper exaudiat.*

**R**egnat Rex Dominus, populos cõrurbat, & orbem:  
Infidet, hîc Cherubin, commouet omne solum.  
Omnia regna mouet vehementer, & incola terræ  
Obstupet, attonita mente tremiscit homo.  
Est magnus Dominus toto metuendus in orbe.  
In Zion colitur relligione sacra.  
Ille super populos omnes sublimis habetur.  
Ergò vehant populi nomen ad astra tuum.  
Est illud magnum, illud formidabile, sanctum:  
Et sanctè augustus nominis huius honos.  
Huius regalis virtus ius diligit æquum.  
Non est subiectis ille tyrannus atrox.  
Non minus excellens est Rex, orbisque Monarcha.  
Iustitia, quàm sit viribus ille potens.  
Ipse manu bona cuncta tenes, Rex optime regum:  
Et clemens princeps, & pietatis amor.  
In Iacob ipse facis quod iustum, semper, & æquum  
Et rectum est, nulli ius violare cupis.  
Exaltate Deum nostrum, Dominumque potentem:  
Sternite vos ipsos illius ante pedes,  
Atque pedum illius reuerenter habete scabellum:  
Magnus, & augustus Rex venerandus, hic est.  
Vos sacram adorete huius amici fœderis arçam:

Illi namque potens infidet ille Deus.  
Sanctus enim Deus est, sancto que colendus honore:  
Illum summus honos, gloria, lausque, manet.  
Illius à sacris Moses, Aarónque fuerunt:  
Atque Sacerdotes sacra dederè Deo.  
Et numerabatur Samuel, cum his omnibus, huius  
Qui nomen fœlix, in sua vota vocant.  
Hunc implorabant Dominum, regemque benignum:  
His vultu placido verba benigna dabat.  
Respondebat eis è nubis stante columna:  
Occultis verbis conueniebat eos.  
Nam illi seruabant pactum, legemque fidelem:  
Quam illis protulerat maximus ille Deus.  
Qua contestati fuerant cum rege supremo  
Fœdera promissa constabilita fide.  
O Domine alme Deus noster, Rex optimus illos  
Tunc auscultabas aure fauente tua.  
Et Deus indulgens illis pietate paterna:  
Consilij illorum maximus vltor eras.  
Laudibus excelsis generosum extollite Regem  
Hunc, Dominum nostrum, propitiùmque Deum.  
Hunc colite, in sancto, & cœlesti monte, tremenda  
In quo maiestas illius alta sedet.  
Sanctus enim Dominus Deus est, Rex noster, & illi  
Deberur patriæ cultus, & altus honos.

PSALMVS C.

Iubilate Deo omnis terra.

TITVLVS.

*Ode gratiarum actionis.*

ARGVMENTVM.

*Hymnus est, quem adparet in celebritati-  
bus cani solitum fuisse.*

**O** Mnem per terram Domino vos iubila ferte.  
 Quotquot in hoc terræ degitis orbe, viri.  
 Lætitia colite hunc Dominum qui scepra gubernat:  
 Qui vitam, & mortem sub ditione tenet.  
 Vos cum lætitia mentis, cordisq; venite.  
 In conspectum huius principis, atque Dei.  
 Quòd Dominus, Deus est, agnoscite, condidit orbem.  
 Nos omnes similes efficit ille sibi.  
 Fecit nos omnes, & nos non fecimus, ipsi  
 Qui sumus electi, dulcis & huius amor.  
 Qui sumus illius populus delectus amore:  
 Pascuæ & egregiæ qui sumus huius oues.  
 Intrate illius portas, persoluite grates,  
 Illi pro meritis quæ bonitate dedit.  
 Atria vos omnes illius aperta subite:  
 Excelsum nomen vos celebrate Dei.  
 Vos laudate Dei nomen, celebrate supremis  
 Laudibus hunc Dominum namque benignus hic est.  
 Ingens illius miseratio durat in æuum.  
 Dimittit nobis omnibus ille scelus.  
 Huius vera fides, & pactum durat in omnem  
 Progeniem cunctis ille fidelis erit.

## PSALMVS CI.

Misericordiam &amp; iudicium cantabo.

TITVLVS

David Ode.

ARGVMENTVM.

*Principis & magistratus formula depingitur: quo  
 modo, & apud se, & erga alios,  
 animatus esse debeat.*

**C** Vm tibi sit proprium misereri, & parcere cunctis:  
 Et iudex æquus, sis Deus alme parens.

Ipse canam, & psallam ingentes bonitatis amica  
 Diuitias, æquum iudiciumque tuum.  
 In vitæ integræ mores attentus honestos.  
 Infantis gradiar nocte, dièque viam.  
 Donec tu occurras mihi dux securus eunti:  
 Et comes ipse mihi certus adesse velis.  
 Cum integritate mei cordis spatiabor in horas  
 Intra triste meum tùm penetrare domus.  
 Non mihi adhærebit damnosa calumnia prauis  
 Consilij, falsum non ego crimen agam.  
 Nec mihi proponam vel rem, vel crimen iniquum:  
 Nec mihi cum reprobis vsus amicus erit.  
 Et scelus illorum qui crimina litibus abdunt:  
 Sic odio simplex prosequar ipse graui.  
 Vt nec adhærescat temerè mihi, sit procul à me  
 Et procul abscedat, mens scelerata viri.  
 Nequitiosa viri mens semper abhorreat à me:  
 Hoc solum ignorem, quod solet esse malum.  
 Prosequar, interimam & subuertam funditus illum  
 Vicino qui clàm detrahit ore suo.  
 Elatum his oculis, fastûque feroce proteruum  
 Ferre ego non possim simplicitate mea.  
 Sit meus hic oculus sic illo intentus in orbe  
 Illis qui verum, rectaque iura, colunt.  
 Vt mecum versentur, & his comes vnicus adsim:  
 Et mecum sedeant, & tua iussa sequar.  
 Qui per iter vitæ innocuæ spatiatur in ædem.  
 Hanc Domini excelsam, seruiat ille mihi.  
 Qui fraudem, occultumque dolum, facit ore bilingui  
 A me declinet, non habitetque domi.  
 Vanus homo, mendaxque sibi, non ille moretur  
 Ante meos oculos, namque molestus, hic est.  
 Exleges homines, reprobos, hominèsq; scelestos  
 E terra expellam sedulitate breui.

Hos tempestiue, vel summo manè repellam:  
 Perdam hos mature, quottidièque viros.  
 Vt sancti Domini sacra excendantur ab vrbe  
 Omnes qui crimen, flagitiùmque patrant.

PSALMVS CII.

Domine exaudi orationem meam.

TITVLVS.

*Oratio adflieti, cum cruciatur, & coram Domino  
 effundit querimoniam suam.*

*Titulus ipse, argumentum est, non titulus, nisi quòd ap-  
 paret poetam propter Zion tantopere contristatum  
 esse, vt sic quisque pro ecclesia contristetur,  
 qui scandalizetur, vt ego  
 non vvar.*

**O** Domine alme, preces exaudi, & clamor anhelus  
 Hanc mentem afficiat, commoueatque tuam.  
 Ne me (quæso) tuum vultum Deus optime celes:  
 Cum me mille cruces, & mala mille premunt:  
 Cum mihi nunc vehemens angustia tempore duro  
 Imminet, & feruens instat vibque dolor:  
 Sed mihi præbe tuam attentam tu protinus aurem:  
 Cum numen supplex inuoco mente tuum.  
 Festinans accurre Deus, nec tardior adsis:  
 Vt des auxilium, cum mala tanta petunt.  
 Namque dies miseri, vt fumus quem corripit aura  
 Mox euanescent, & citò vita fugit.  
 Et consumuntur languentis corporis ossa  
 Sicut consumi torris ab igne solet.  
 Defectum est cor triste meum, & subitò aruit illud  
 Vt fœnum, quòd sol torruit igne graui.  
 Namque cibum tenuem oblitus sum sumere, magno  
 Præ mœrore animi qui mala cuncta mouet.

Intrus adhærescunt agræ mea tabida carni  
 Ossa: dolore truci sanctia facta meo.  
 Vix hæret pellis consumpta his ossibus, illa  
 Præ querula gemitus voce sonante mei.  
 Mœstus onocrotalo similis sum, qui loca quærit  
 Deferta, & latè questibus implet agros.  
 In parietinis scissis vt noctua mœrens  
 Factus sum propter crimen, atroxque scelus.  
 Peruigilo noctem veluti passerulus æger  
 In tecto viduus qui sedet, atque gemit.  
 Iugiter afficiunt me probris turpibus hostes:  
 Et lacerant nomen turpiter ore meum.  
 In caput omne meum coniurant nocte, dièque  
 Qui agrum ludibrio me vehementer habent.  
 Stratus humi comedo cinerem cum pane, meumque  
 Poculum ego fletu tempero, summe Deus.  
 Hoc facit ille tuus furor, indignatio feruens:  
 Atque iræ vehemens impetus ille tuæ.  
 In celum nam me tu tollis, & abiicis ictu  
 Fulminis, vt lapsu nunc grauiore cadam.  
 Casus hic è cælo sublimi venit in orcum.  
 En virtus cecidit, dat necis arma, scelus.  
 Astra petit virtus, vitium sepelitur in orco.  
 Mergitur hoc tenebris affidet illa Deo.  
 Ecce dies miseri, similes sunt tristibus vmbis.  
 Solis ab occasu quas sibi vesper habet.  
 Quas nox atra Polo obscurum demittit in orbem:  
 Quæ infirmo gignunt tædia mille mihi.  
 Ipse sed aridior fœno sum factus, & in me  
 Vt fœnum mea vis aruit agræ sibi.  
 Sed Domine æternùm duras, tua tota per omnes  
 Orbis progenies, mentio semper erit.  
 Ergò tu exurge, & Zion miserere fidelis:  
 Tempus adest, huius tu miserere, precor

Et tempestiuum est, placido pietatis ocello  
 Hanc vt respicias valde benigne Deus.  
 Definitus adest, hic terminus illius orbis:  
 Anni fluxerunt septuaginta sibi.  
 Lustra cucurrerunt bis septem plena laboris,  
 Impia gens in nos sat dominata fuit.  
 Seruitiūque iugo sat nos oppressit atroci.  
 Heu nimum obsessos sæua tyrannis habet.  
 Nunc igitur Zion vultu miserere benigno:  
 Et redime Hebræos ex Babylone truci.  
 Ecce dies venit, venit tempusque salutis:  
 Respice tu Zion pro bonitate tua.  
 Namque tui serui (quos vexat acerbior hostis)  
 Depereunt lapides huius, amore suo.  
 Ipsos sic miseret dispersi pulueris huius:  
 Vt timeant gentes nomen in orbe tuum.  
 Vt metuant omnes Reges, orbisque Monarchæ  
 Hanc maiestatem (Rex generose) tuam.  
 Scilicet hanc Zion cum tu seruabis, & author  
 Illius adpares cum ditone tua.  
 Hæc tua maiestas, & summa potentia (princeps.)  
 Omnibus in toto tempore dulcis erit.  
 Cum Rex aduertis clemens ad verba relictī  
 Huius nec crebras abiicis ipse preces.  
 Hoc etenim verè scribetur posteritati.  
 Et crebris studiis hæc tua facta leget.  
 Vt qui nascetur populus, collaudet vbique  
 Hunc Dominum, immensas ob pietatis opes.  
 Quòd de sublimi, & sancta prospexerit æde:  
 Et nos è celsa viderit arce sua.  
 Et quòd de cœlo in terram respexerit, omnes  
 Vt vincti, gemitus audiat aure bona.  
 Vt morti addictos absoluat, & eximat atro  
 Carcere districtos compede valde graui.

Quò in Zion nomen Domini celebreretur & huius  
 Laus in Hierusalem, quæ decus orbis habet.  
 Hoc erit in populis, populi cœtūque frequenti:  
 Istic cum Dominum maxima regna colent.  
 Istic conuenient Reges, reuerenter vt illum  
 Suspiciant, laudent, & venerentur eum.  
 Quamuis ille meas vires afflixit in ipsa  
 Longa, & præcipiti, difficilique via.  
 Quamuis hoc vitæ præcidit tempus, & annos:  
 Corripuitque meos morte furente dies.  
 Me Deus orantem ne tolle in flore iuuentæ,  
 Ætatis cursu dimidiōque meæ.  
 Anni namque tui durant per sæcula cuncta  
 Quæ nunquam finem sunt habitura suum.  
 Olim tu terram fundasti voce potenti.  
 Antequam ea hæc esset, tu Deus vnus eras.  
 Et cœli excelsi manuum sublime tuarum  
 Sunt opus, & mundi sunt speciosus honos.  
 Ipsa tuo verbo solo mandante peribunt:  
 Sed tu constabis tempus in omne, Deus.  
 Vt vestimentum veterascent cuncta, voracis  
 Ignis adurentur cuncta calore graui.  
 Ast Elementa sibi horribili soluentur ab igne:  
 Consumet terram, cunctaque, flamma vorax.  
 Orbes cœlorum transibunt impete magno.  
 Tu mutabis eos (Rex metuende Deus)  
 Tu mutabis eos, vt vestem, quam terit ætas:  
 Et mutabuntur voce iubente tua.  
 Imperiōque tuo cogentur cedere: sed tu  
 Idem semper eris, semper & ipse manes.  
 Atque tui illi anni perituro sine carebunt.  
 Tu sine principio, tu sine fine, Deus.  
 Seruorum gnati fecunda prole tuorum  
 Atque horum semen, regna beata colent.

Tecum consistent, te cernent luce perenni:  
Et tui viucent semper in arce tua.

PSALMVS CIII.

Benedic anima mea Domino, &amp; omnia.

TITVLVS

*Dauidis.*

ARGVMENTVM.

*Laus Dei est, in qua eius beneficia in hominem, commemorantur.*

**C**ollauda Dominum qui totum condidit orbem.  
O mi anime, in signi laude vehendus, hic est.  
Cuncta mei cordis penetrabilia laude perenni  
Illius sanctum nomen in orbe ferant.  
O mi anime hunc Dominum qui tot tibi, tantaque dona  
Contulit excelsa, tollere laude velis.  
Ne bona cuncta fluant qua gratis contulit in te.  
Nec tibi quo fulges, excidat omne bonum.  
Te Domini nunquam subeant obliuia, qui te  
Adiunat, & dulci te pietate vider.  
Qui pietate, tuis delictis omnibus vnam  
Dat veniam, & scelerum non cupit esse memor.  
Qui morbos omnes sanat, cum debilis ad sis.  
Vulneribus presens & medicamen habet.  
Promptus ab interitu qui vitam vindicat illa  
Sponte tuam, morbos lethiferosque fugat.  
Et te clementer, te nunc humaniter ornat:  
Et tanquam clypeo te pietate tegit.  
Te veluti regem faciens, pietate coronat:  
Non meritis illis, officiisque tuis.  
Qui tibi suppeditat, que tu tibi protinus optas.  
Osque tuum cunctis vult satiare bonis.  
Seruat floridam hic ille tuam, viridemque iuuentam:

Vt viuax Aquilæ prima iuuenta redit.  
Abiicit illa senex rostrum sibi prorsus aduncum  
Quod multis annis pressa senecta dedit.  
Inde suæ recipit florem, virésque iuuentæ:  
Et tunc in Solem fortius illa volat.  
Ob scelus admissum (ô mens scallida siue senescens)  
Ipsa iuuentutis tempora prima feres.  
Huius & ætatis niueus flos ipse redibit:  
Et tibi vis Aquilæ ritè volantis erit.  
Ius reddit Dominus iudex, & vindicat omnes  
Qui constanti animo turpia probra ferunt.  
Ille suam ratione viam, legesque fideles  
Ostendit Moli, cuius amicus erat.  
Viuenti rectè mores ostendit hic illi:  
Israël gratis consiliùmque suum.  
Humanus Dominus, Deus est placidusque Monarcha  
Et multum clemens, & miserator, hic est:  
Cunctanter nobis irascitur, at citò parcit.  
Et propensus hic est ad pietatis opes.  
Hic multum parcit, natura parcere nouit:  
Indulget cunctis hic pietate sua.  
Non inperpetuum iurgatur, sed neque semper  
Succenset, non est illius ira grauis.  
Non iuxta peccata facit, que fecimus ipsi:  
Pro numero scelerum nos neque iure premit.  
Et non retribuit nobis, vt crimina nostra  
Pescunt, nec sequitur pœna seuera scelus.  
Nam à terra quamuis distantia maxima cœli  
Sit, pietas huius celsior esse solet.  
Celsior esse solet pietas, bonitasque benigna  
Illis deuotè qui reuerentur eum.  
Hi, quamuis in eum iurent, peccentque subinde:  
Augustus Rex est in bonitate sua.  
Quàm longè distat rubicundus, & igneus ortus

Solis, ab occasu, syderea que plaga.  
 Tam longè à nobis remouet citò crimina nostra:  
 Aduentúque suo crimina cuncta fugat.  
 Quàm mitis pater est in gnatos iure paterno  
 Nec patris affectus dissimulare potest.  
 Tam mitis Dominus, tam clemens, & pius, erga  
 Cultores hilares, longanimésque suos.  
 Facturam nostram, & figmentum hoc vndique nouit  
 Quod tenui finxit, composuitque luto.  
 Est tamen ille memor, quòd nos è puluere paruo  
 Ad vitam nati per mala quæque sumus.  
 Quòd fugiens ætas hominis mortalis in orbe  
 Est tanquam fœnum læta per arua virens.  
 Est Deus ille memor, quòd homo florescit ad instar  
 Floris agri, ad tempus qui fluit, atque perit.  
 Protinus, vt ventus vehemens inuexit in illum:  
 Et flauit flatu duriór aura suo.  
 Nullus hic est, nec forma huius reperitur odora  
 Amplius in proprio, conspicuoque loco.  
 Sed bonitas Domini Dei ab æuo seruat in æuum  
 Cultores, quamuis hic sit inanis homo.  
 Iustitiam Domini experientur iure benignam  
 Non solùm cuncti qui venerantur eum:  
 Sed gnati illorum gnatorum, sine nepotes:  
 Illius sanctum dum modò fœdus ament.  
 Dùm modò semper ament, & seruent pacta fidelis  
 Principis, excelsus quæ dedit huius amor.  
 Et sint hi memores horum quæ voce benigna  
 Mandat, vt efficiant hæc operante fide.  
 In cælo Dominus solium firmavit, & orbem  
 Legibus ille suis, imperioque regit.  
 Omnibus illius regnum dominatur, & ille  
 Omnia regali sub ditione tener.  
 Angelicæ ruzmæ Dominum laudate potentem:

Militiæ

Militiæ cæli concelebrate Deum.  
 Quæ virtute Dei summi polletis, vt huius  
 Mandata, illius vos faciatis ope.  
 Quæ voci verbi Domini paretis, & omnes  
 Cogitis, vt prompti morigerentur ei.  
 Quotquot militiam geritis, vel signa, vel arma:  
 Sub Domino, vestrum hunc concelebrate Deum.  
 Vos regem regum Dominum laudate ministri  
 Qui facitis, quæ vult ille monarcha Deus.  
 Cuncta opera immensi Domini qui diuidit horas  
 Collaudent Dominum semper vbique Deum.  
 Huius in imperij vel regni finibus omnis  
 Agnoscant Dominum subdita quæque suum.  
 Collauda mi anime hunc Dominum qui præsidet orbi  
 Et qui cuncta tibi pro bonitate dedit.

## PSALMVS CIIII.

Bened. anima mea Domino Dom. Deus.

*ἀνεπιγάστος*

## ARGVMENTVM.

*Laus Dei est, qua celebratur à sapientia & prudentia, à bonitate, & facultate, ascitis pulcherrimis exemplis.*

**C**ollauda Dominum mea mens, Domine, ô Deus  
 Quàm magnus rex es nobilitate tua. (alme.  
 Quis tua magna Deus narraret facta per orbem  
 Quem tua cunctipotens condidit vnâ manus?  
 Non laus, atque decor, quibus es vestitus, ab vllò  
 Exponi possent, vt iubet omnis honos.  
 Vt vestimento, tu luce indurus es, orbis  
 Nobilis ô princeps, atque monarcha potens.  
 Instar cortinæ cælos extendis, & ornas  
 Hoc pro regali papilione tuo.

R

Illustris tua (Rex) maiestas explicat illos  
 Ut velum, aut pellem quæ tegit omne solum.  
 Et suspendis eos, veluti tentorium honoris  
 Quem tua maiestas exigit, atque probat.  
 Contabulas in aquis aulas, tua regia celsa  
 Cælum, supremis concameratur aquis.  
 Et suspendis aquas liquidas tu fornice curuo:  
 Illis tu cingis quod super extat, opus.  
 His vestis cælum tanquam laquearibus, aptas  
 In currum nubes (summe Monarcha) tuum.  
 Mox aurigaris pro curru, nubibus, vtens  
 Alis ventorum, tu loca quæque subis.  
 Ventos, ipse tuos præcones efficis, & flant  
 Nunc huc, nunc illuc voce iubente tua.  
 Vt celeres famuli Domino tibi sponte ministrant:  
 Sponte tibi parant, obsequiumque ferunt.  
 Et flammæ ignis tibi tu facis esse clientes:  
 Et quocumque iubes, fulgur, & ignis, abit.  
 Tu terram, medio cæli quæ pendet in orbe:  
 Fundasti basibus (conditor alme) suis.  
 Orbis, in hoc centro telluris, in aëre pendens  
 Iecisti pondus firmiter arte tua.  
 Vt nullo æuo commoueatur, tu Deus illi  
 Das fixam sedem cum grauitate sua.  
 Das illi facoma æquum, illud ne graue pondus  
 Libratum, appenso cedat ab axe suo.  
 Ipse lates in abyssu tanquam in veste, fluentes  
 Cùm supra montes stant violenter aquæ.  
 Si illas obiurgas, & dictis accipis, illæ  
 Mox fugiunt, iram percipiuntque grauem.  
 Præcipientes tonitrus reboantis voce feruntur:  
 Præscriptumque locum vi subeunte, petunt.  
 Tùm surgunt montes, quorum iuga summa videntur:  
 Descendunt valles ad loca quæque sua.  
 Ad loca quæ propriè firmasti tu Deus illis

In quibus hæc perstant, siccæque terra manet.  
 Definitus aquis est abs te terminus, vt non  
 Transgrediantur eum, iussus honore tui.  
 Absque tuo iussu nunquam tentare valebunt:  
 Vt rursus terram mox redeundò, tegant.  
 Promanas fontes imis in vallibus, altos  
 In fluuios, quos tu ducis, vt indè fluant:  
 Illi inter medios montes gradiuntur, & illi  
 Nunc rapido cursu prætereunte fluunt.  
 Vt tua quæ degunt in agris animalia, potent  
 Ex illis, onagri comminuantque sitim.  
 At supra montes habitent, & flumen, & vnda  
 Inuisant cæli multicoloris aues.  
 Et vocem emittant mediis de frondibus, atque  
 Cantibus exhilarent dulcia rura suis.  
 Humectas montes ex nubibus ipse supernis  
 Fornicibusque tuis hos (Deus alme) rigas.  
 Concretas in aquam suspendis in aëre nubes  
 Tanquam in sublimi, conspicuòque loco.  
 Hac operaque tellus impletur abundè  
 Annona, & fruges parturit illa suas.  
 Iumentis florens placido de germine foenum  
 Profers, & sceno plurima bruta foues.  
 Nunc olus ipse virens homini producis, vt illi  
 Seruiat, & viuat commoditate bona.  
 E terra culta panem producis, vt artus  
 Et vires reparet, restituatque, viri.  
 Tu quoque producis vinum de vitibus, vt cor  
 Humanum exhilaret, redia mæsta fugans.  
 Tùm flagrans oleum, vt vultus exporrigat, ipse  
 Profers, vt forma clarior adsit homo.  
 Quid? te supremo Domino qui cuncta gubernas  
 Arboribus succus pinguis, & humor inest.  
 Et cedris libani est humoris copia summa:

Quas plantauisti tu sapiente manu.  
 Vt volucres istic nidus sibi tempore veris  
 Contexant, fœtus parturiantque suos.  
 Vt virides colat officiosa ciconia saltus:  
 Cui vernans Abies præbeat alta domum.  
 In qua nidificet, pullos faciâtque tenellos:  
 Quos non ingratos nutriat ore suo.  
 Vt montes alti Damis statuatur asylum:  
 Et petræ, leporum fœtibus, vna domus.  
 Vt fugiat velox, tutusque cuniculus altas  
 Ad rupes, lustrum conficiâtque suum.  
 Ad præscripta sibi fecisti tempora lunam.  
 Occasum nosti (sol speciose) tuum.  
 Fecisti tenebras occasu solis opaco:  
 E quibus exoriens nox tenebrosa ruit.  
 In qua prorepat nemorum genus omne ferarum:  
 Quæ in syluis clarò delituere die.  
 Tùm ad prædam fertur, rugitque leonculus atrox.  
 Vt quærat magna fedulitate cibum.  
 Quem Deus omnipotens & clemens destinat illi:  
 Quo natura vorax se fatiare cupit.  
 Concurfant tùm bruta sibi catulique leonum:  
 Et cerui celeres, omnigenæque fera.  
 At se proripiunt rutilanti solis in ortu:  
 Per claram vt recubent absque timore, diem.  
 Sed tum prodit homo, vt vigilans operetur, & agros  
 Findat, dum claudat vesperis hora diem.  
 Vespere claudet opus, quo nox tenebrosa propinquat.  
 Vespera tum somnos nocte silente dabit.  
 Fessa ministeriis reparabit membra labori.  
 Rursus vt incipiat luce, laboris opus.  
 Quanta (precor) tua sunt opera admiranda per orbem  
 O Domine, ô mundi rector, & alme Deus,  
 Omnia fecisti sapienter, & ordine pulchro

Hæc rebus plena est pendula terra tuis.  
 Hoc æquè pelagus spatiosum, atque vndique magnum  
 Versum quaque, oras, & loca cerra tenet.  
 Versum quaque tenet pisces, & mille carinas  
 Quæ varias merces, diuitiasque, vehunt.  
 Reptilium species cunctas agmènque videres.  
 Quæ numero certo, conspicuòque, carent.  
 Cum magnis videas animantia valde pusilla  
 Quæ varias formas, & fera monstra gerunt.  
 Quorum vsus non est in toto cognitus orbe  
 Quantum ad molem altam, difficilèmque viris.  
 Illic prætereunt naues, hïc nauita transit.  
 Hïc leni expandit turgida vela noto.  
 Leniatham quem tu finxisti, transit in illo  
 Vt ludat pelago quod bona multa vehit.  
 Et tu ipsi ceto has vires tribuisse videris:  
 Vt multùm audaci rideat ore suo.  
 Et reliqua omnia contemnat quæ hïc vndique degunt  
 Et quæ ritè natant per maris huius iter.  
 Omnia suspiciunt hæc, ad te (mi Deus) vt tu  
 Tempore des illis conueniente cibum.  
 Hunc vbi tu dederis, capiunt, saturantur abundè  
 Si tu aperis largam, munificamque manum.  
 Ille cibis bonus est, hunc confers omnibus vtrò:  
 Et tu illum ingenti das bonitate tua.  
 Si verò abscondis vultum, turbantur, & horum  
 Si vitam tollas, exanimata, vides.  
 Si tollas illis, dulcis spiracula vitæ:  
 Extremum claudunt morte repentè, diem.  
 Et redeunt in eam formam, qua facta fuerunt:  
 Sic sunt hæc, primus puluis, & vmbra fugax.  
 Et contrà, quum sponte tui tu spiritus auras  
 Mittis, ritè nouum tum recreantur opus.  
 Si commutamus tristi cum funere vitam:



Accedunt alij, qui loca nostra tenent.  
 Sic renouas terræ faciem, diuina per æuum  
 Maieſtas regnet ſuſpicienda uiris.  
 In factis, geſtiſque ſuis lætetur in horas  
 Omnipotens Dominus qui benè cuncta regit.  
 Cuius ab aſpectu rutilanti terra tremiſcit:  
 Et percuſſa graui ſape tremore pauet.  
 Cùm attingit leuiter montes, & culmen eorum:  
 Tùm ſubitò fumant præ uehemente meru.  
 Cantabo Domino, donec mihi uita manebit.  
 Donec ero, pſalmis, concelebrabo Deum.  
 Grata ſit hæc illi mea cantio, lætor in illo  
 Magnifico Domino, propitiò que Deo.  
 Conſumatur ab hac terra peccator iniquus:  
 Peccati pœnam deſceat ille ſui.  
 Impius hic vltra non ſit, ſed iuſtus haberi  
 Optet, vt hæc Domini regna beata petat.  
 Tu uerò mi anime hunc Dominum qui poſſidet orbem  
 Collauda, rex eſt, & Deus ille tuus.  
 Prouidus eſt author mundi, mundi que monarcha:  
 Sponte creaturas diligit ille ſuas:  
 Vos omnes laudate Deum qui tempus ab æuo  
 Ire iubet; terras, æquor, & aſtra regit.  
 In cælo Empyreo delegit nobile regnum:  
 Hic animis præſtat proſperitatis opes.

## PSALMVS CV.

Confitemini Domino, & inuocate nom.

*ἀνεπιγάφος.*

## ARGVMENTVM.

*Gratulatio eſt ſuper fœdere à Deo cum Abraham  
 iſto, qua commemorantur primitiua  
 patrum ſuorum.*

**V**Os Domino grates perſoluite pectore puro:  
 Illius nomen vos celebrate uiri.  
 Huius conſilia in populis vos ædite, vos res  
 Præclarè geſtas commemorare Dei.  
 Illi vos canite, illi pfallite uocè ſonora  
 Huius & in laudem muſica nabla ſonent.  
 Et ſuper egregiè geſtis vos principis huius  
 Diſſerite, & fortem commemorare Deum:  
 Illius ſanctum nomen laudate, cor horum  
 Qui Dominum quærunt, gaudia plena ferat.  
 Quærite vos Dominum, nec vos ceſſetis: & omnes  
 Quærite vos uultum nocte, diè que Dei.  
 Factorum ingentum Domini immortalis olympi:  
 Vos memores ſitis, rex generoſus, hic eſt.  
 Vos memores huius miracula facta tenete:  
 Ne (precor) ex ueſtris mentibus illa fluant.  
 Iudicia illa ſuo, que iudex protulit ore  
 Dicite, vos cunctis hæc memorate uiris:  
 O Abraham ſerui illius altum & nobile ſemen.  
 O gnati, excellens, progenièſque Iacob.  
 O genus electum, genus ô regale ſupremum  
 Qui uera colitis relligionè Deum.  
 Hic ille eſt Dominus noſter Deus vnicus, orbem  
 Terrarum edicto, iudiciò que regit.  
 Illius totum nunc ſunt exempla per orbem  
 Cognita, & eſt ſemper fœderis ille memora.  
 Ille ſui pacti memora eſt, nec fœderis vnquam  
 Obluiſcetur mente tenace ſua.  
 Quicquid promiſit, conſtans ſeruabit in æuum:  
 Sint licet ætatum ſæcula mille ſibi.  
 Et ſi mille ſibi ſuccedant mutuò proles:  
 Nunquam promiſſam deſeret ille fidem.  
 O fœlix Abraham, memora eſt hic fœderis huius  
 Quod tecum pepigit, conſtituitque, fide.  
 R iiij

Iurata fidei meminit Deus ille benignus.  
 Iface, sponte bona qua tibi vincus erat.  
 Cùm Iacob hoc fœdus statuit pro lege, perenni  
 Fœdere (ô Israël) se dedit ille tibi.  
 Huius erant leges percussi fœderis, illa  
 Regis erant veri mutua pacta Dei.  
 Hunc extra Dominum ne gens Hebræa referret.  
 Aut alium coleret relligione Deum.  
 Hic contra, nullam gentem deuinctus haberet  
 Æquè dilectam, quam foret illa sibi.  
 Hunc Deus alloquitur, verax cum voce fideli  
 Hanc terram Chanaam nunc tibi sorte dabo.  
 Hanc vt tu veluti sortem, & patrimonia, iure  
 Hæredis teneas, possideâsque tibi.  
 At quamuis numero pauci hac regionis in ora  
 Effent, & gens hæc plebs peregrina foret:  
 Cùmque vagarentur de gente per altera gentis  
 Regna, nec in certa tùm regione forent.  
 Attamen hic nunquam iusta ratione ferebat:  
 Vt quisquam praua mente noceret eis.  
 Horum quin potius caussa regésque, ducésque  
 Corripiebat, eis talia verba dabat.  
 Attrectare meos Christos nolite, prophetis  
 Et nolite meis turpia probra dare.  
 Inde famem duram cùm accersuisset in orbem,  
 Vastassétque sua farra potente manu.  
 Et confregisset vim totam panis in agro:  
 In patria pingui nec seges vlla foret.  
 Ante illos hominem Ioseph mittebat, acerbis  
 Infidiis fratrum qui malè captus erat.  
 Venditus in seruum latitabat carcere clausus:  
 Stringebant pedicæ, vinclaque dura, pedes.  
 Castam huius mentem ferrum penetrabat, iniquæ  
 Cùm Dominæ insano nollet amore frui.

Sic dolor ex turpi commotus amore, timôrque  
 Immeritæ mortis concutiebat eum.  
 Ille probabatur, dum tempus, & hora venirent  
 Decreta, vt regi somnia nota daret. Gen. 41.  
 Tùm mittebat Rex, vinclis soluique iubebat  
 Illum, qui prudens, & benè natus erat:  
 Mandabat princeps populorum maximus ille  
 Puthifar, vt toto liber in orbe foret.  
 Hunc domus ille suæ Dominum statuebat. & illi  
 Cuncta sub imperio prædominante dabat.  
 Hunc faciebat herum regni, rerumque suarum:  
 Huius vt instrueret, corrigerétque duces.  
 Vt formaret eos claris virtutibus, vno  
 Pro docto arbitrio, consilióque bono.  
 Vt que senatores rigidos prudenter, & aptè  
 Imbueret sanctis legibus, ore suo.  
 Et tanquam præses venerandus honore, præsetet:  
 Et præscripta illis omnia iura daret.  
 Vt populum regerent sapienter, & omnia iure  
 Tractarent recto, consilióque graui.  
 Israël tandem, Ægypti tùm venit in oras:  
 Quem vrgebat misera conditione fames.  
 Et Iacob ille fuit Chamea peregrinus in oras:  
 Augebat populum Rex Deus ille potens.  
 Et faciebat eum sobolescere, vt esset in illa  
 Ægypto atroci fortior hoste suo.  
 Ægyptus populum mutato corde premebat:  
 Vt capitali odio persequeretur eum.  
 Insidias huius seruis necebat, & atrox  
 Imponebat eis in mala quæque, iugum.  
 Imponebat eis vectigal, & omne tributum:  
 Commota inuidia debilitabat eos.  
 Correptus rabie Pharaó mandauit, vt ortos  
 Enecet obstetrix officiosa mares.

Vt non Israël superesset masculus vllus.  
 Quò fit, vt ad Dominum clamitet ille suum.  
 Fidum ergò seruum Mosem mittebat, & vnctum  
 Electum hunc Aaron, qui sibi gratus erat.  
 Hunc Deus elegit summa pietate, miserus  
 Israël, vt eum soluat ab hoste truci.  
 Ille potestatem signorum, & prodigiorum  
 Illis auxilio præueniente, dabat.  
 In Chamea terra miracula perficiebat.  
 Virtute illius cunctipotente Dei.  
 Mittebat tenebras, atque atra nocte replebat  
 Omnia, caligo nigra tegebat humum.  
 Non detrectabant illius iussa, rebelles  
 Nec Domino iniusta mente fuere suo.  
 Nec timere trucis Pharaonis probra subire:  
 Quamuis Ægypti Rex foret ille potens.  
 Mox horum verrebant aquas in sanguinis amnes:  
 Flumina currebant plena cruore rubro.  
 Illorum pisces violenta morte necabat:  
 Ranis, illorum tota scatebat humus.  
 Imò, illis Regum penetralia celsa scatebant  
 Quæ conspurcabant omnia sorde graui.  
 Mandabat, subitò prodibant, agmine denso  
 Muscæ omnis generis, cynomiæque graues.  
 Agmine feruebant in cunctis finibus horum.  
 Pro pluuia nimbos grandinis ille dabat.  
 In terram ipsorum mittebat, hic vndique flammæ  
 Ignis, qui vrebat cuncta calore suo.  
 Fulmina dira dabat, quibus vuas vitibus, atque  
 Vites, & ficus percutiebat humi.  
 Per fines horum miseris arbuta repentè  
 Corrumpebat, agris sola nec arbor erat.  
 Mandabat, tristes aderant, acrésque locustæ:  
 Bruchorumque sibi non numeranda cohors.

In terra ipsorum quodcunque virefceret vsquam:  
 Hoc erodebant ore vorace suo.  
 Et fructus omnes grauidæ telluris eorum  
 Vastabant, fructum nec dabat vlla seges.  
 Omne illic primogenitum perimebat, & illic  
 Omnia continui plena doloris erant.  
 Percutiebat humi iratus, de rebus eorum  
 Prima hæc queque sua cunctipotente manu.  
 Tùm plorabatur cultura laboris acerbi  
 In quo hic assiduo tempore sudor erat.  
 Cum auro, atque argento illos educebat, & horum  
 In tribubus, nè vnus languidus æger erat.  
 Ægyptus gaudebat in hoc fœlice recessu  
 Israël, nam gens illa timoris erat.  
 Et pavor ipsorum subitus vehementer in illos  
 Inciderat, vehemens irrueratque metus.  
 Hic Dominus nubem nitidam extendebat, vt esset  
 His operimentum Solis, & vmbra, die.  
 Extendebat eis ignem, vt luceret in atro  
 Tempore noctis, vt his tutius esset iter.  
 Quando coturnices poscebant, ingruit ingens  
 Copia, qua possent exaturare famem.  
 Et saturabat eos demisso cœlitus illo  
 Pane, petram Deus hic adperiebat eis.  
 Ex hac arenti petra profluebat aquarum  
 Maxima vis, vt iter per loca sicca daret.  
 Vt iam tùm inueheret labentia flumina cursu  
 Præcipiti, in sicca hac ariditate loci.  
 Hęc ideo Dominus faciebat, quòd memor esset  
 Promissæ fidei quam violare nequit.  
 Vt sacrosanctum fœdus seruaret amico  
 Quod seruo illi Abrahæ fecerat antè suo.  
 Ergò suum populum miseris eduxit ab oris  
 Cum omni lætitia, quæ leuat omne malum.

Electosque suos Ægypti tristes ab agris  
 Traxit, vt in Domino gaudia blanda ferant.  
 Gentibus expulsis placatas tradidit oras:  
 Vt placida possent hac regione frui.  
 Quæque suo populi coluissent sæpe labores:  
 Hoc possederunt auxiliante Deo.  
 Vt conseruarent illius iusta, fideles  
 Et sanctas leges, quas Deus ille dedit.  
 Sit laus æterno Domino qui regnat in orbe:  
 Hunc terra, & cælum, cunctaque regna colant.

## PSALMVS CVI.

Confitemini Domino, quoniam bonus.

*ἀνεπιγάφος.*

## ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio est, qua & res veteres prædicantur, & Dei misericordia, quæ patres nunquam destituerit, imploratur.*

**V**Os summo Domino dignas persoluite grates.  
 Semper enim mitis, rexque benignus, hic est.  
 Fortibus ex factis quis dignè differat huius?  
 Quis laudem illius narret, & omne decus?  
 O ter fœlices, nimum, nimumque beatos  
 Qui præscripta Deo iudice iura colunt.  
 Qui semper seruant rationem iuris, & æqui.  
 Et faciunt omni tempore iusta viris.  
 Tu nostri Domine omnipotens, clemensque memento.  
 Gratia, & illustri dexteritate tua.  
 Hocque fauore tuo tu nos Deus aspice, quo tu  
 Hunc populum accingis, prosequeris que tuum.  
 Cum fœlice tua tu nos inuisæ salute  
 Et fac consortes, participesque tui.  
 Vt tuam inexhaustam bonitatem lumine clato

Electi videant, conspiciantque tui.  
 Et tua gens fœlix lætetur, & vndique plaudat.  
 Hic populus, quem tu diligis, atque foves.  
 Quem velut hæredem, & quem tu tibi iure peculi  
 Conquisiisti (Rex generose parens)  
 Cum patribus nostris deliquimus, atque rebelles  
 Nos aduersum te fecimus omne scelus.  
 Aueri tibi nos nimum peccauimus in te:  
 Hoc scelus admissum tam filuisse pudet.  
 Egimus heu nimum sceleratè mi Deus, ægros  
 Respice nos clemens pro bonitate tua.  
 Hi patres nostri Ægypti miranda per oras  
 Non expendebant hæc tua gesta sibi.  
 Quamuis illa essent in toto ipso orbe stupenda:  
 Et tuus erga illos maximus esset amor.  
 Non agnoscebant magnos bonitatis honores:  
 Corde rebellabant ad maris ora rubri.  
 Sed Dominus saluabat eos ob amabile nomen:  
 Nomen ob augustum, magnificumque, suum.  
 Vt commendaret tanquam fortissimus heros.  
 Ille suum robur, quo quatit agmen humi.  
 Mox obiurgatum mare rubrum fidit vt huius  
 Alucus aruerit diffugiente mari.  
 Et traducebat per abyssum firmiter illos:  
 Vt per desertum, frondiferumque nemus.  
 Eripiebat eos vehèmenter ab hoste tyranno  
 Improbo, & oforum de violente manu.  
 Hostis & è manibus rabidi redimebat acerbis:  
 Et se claudebant præcipitanter aquæ.  
 Hostes illorum redeuntibus obruit vndis:  
 Vt nè vnus posset tum superesse sibi.  
 Credebant huius verbis, huiusque canebant  
 Gloriam, vt hæc choreas tympana rauca darent.  
 Sed sunt obliti meritorum numinis huius

Atque operum, excellens que dabat huius amor.  
 Non expectabant prudens, & valde fidele  
 Huius consilium, siue salutis opem.  
 Non ducebantur monitis, verbisque benignis:  
 Sed diffidebant de bonitate Dei.  
 Et desiderijs, prauaque cupidine ducti  
 Hunc offendebant corde propace Deum.  
 Huncque lacebent loca per deserta vagantes.  
 Et vi diuinæ non habuere fidem.  
 Mox irritabant illum violenter eremo  
 In vasta, sed eis cuncta petita dabat.  
 Et desiderio horum respondebat, vt ipfis  
 Nullus egestatis posset adesse modus.  
 Cuius tantopere in lapidosis montibus illos  
 Pertesum fuerat, dum foret ægra fames.  
 Sed tandem multauit eis furiosa cupido  
 Ingeniosam vnâ morte feroce gulam.  
 Tum Mosi annofo conuitia dira mouebant.  
 Atque illi immeritò turpia probra dabant:  
 Æmula turba senem Mosen fingebat, & ipsum  
 Hunc Aaron sacrum relligione Deo.  
 Hos irritabant in castris seditiose:  
 Sed Darhan hæc tellus mox adapertha vorat.  
 Et cærus Abiran veloci claudit hiatus.  
 Conspiratores hos regit illa viros.  
 At prius exarsit vehemens in cœtibus horum  
 Ignis, & exussit noxia flamma malos.  
 Impia sic subito gens magna ex parte crematur:  
 Quinque decem, centum bis periere viri.  
 Fecerat hæc vitulum gens impia monte sub Oreb.  
 Conflatam statuam strata colebat humi.  
 Prodiderat Domini laudem, sub imagine celsi  
 Et pinguis vituli qui sibi gramen edit.  
 Est oblita Dei qui saluam fecerat illam

Casibus è multis, & Pharaone truci.  
 Victor in Ægypto qui maxima fecerat illi  
 Prodigia, in plagis, vulneribusque decem.  
 Admiranda viris, qui Cham regionis in ora  
 Fecerat, inque rubro signa timenda mari.  
 Illos ergò Deus statuebat perdere, ni tunc  
 Electus Moses continuisset eum.  
 Ni in conspectu huius, miserò que vigente procinctu  
 Se precibus placidis opposuisset ei.  
 Et nisi placasset feruentem hanc illius iram:  
 Quòminus vt iustus perderet vltor eos.  
 Nil tamen effecti meliores omnibus illis:  
 Spreuerunt terram quam petiere sibi.  
 Sic contendebant secum ceruice rebelli:  
 Vt Domino nolent tunc adhibere fidem.  
 In castris etenim rabidos, trepidosque tumultus  
 Ædebant praua conditione sua.  
 Nec Domini imperio morem vna sponte gerebant  
 Qui dedit his terræ fertilis omne bonum.  
 Ille suam ergò manum iratus stringebat, vt illos  
 Sterneret incultæ per regionis iter.  
 Et subito in gentes odiosum semen eorum  
 Perderet, & semper, per loca sparsa foret.  
 Illa Baalpeori repetebant sacra tyranno:  
 Atque idolo huius subdita colla dabant.  
 Et data defunctis comedebant sacra, frequenti  
 Sic offendebant impietate Deum.  
 Irruit ergò furens, & feruida pestis in illos:  
 Sed iustus Pinhas protinus vltor erat.  
 Illa remittebat pestis, nec dira furebat,  
 Amplius, hæc Pinhæ nam prece victa fuit.  
 Illi ad iustitiam reputatum est, illud, & ipsum  
 Semper laudauit posteritatis honos.  
 Ad fontes rixæ, querule litisque laceffit

Asperius Dominum seditiosa cohors.  
 Id mœstum Mosem tùm pessimè habebat, ob illam  
 Gentem, quæ Domino valde rebellis erat.  
 Námque Dei mentem probris vexauerat atris:  
 Vt duris labiis diceret ista suis.  
 Illi non igitur potuerunt perdere gentes  
 De quibus hic Dominus voce locutus erat.  
 Perdere quas Dominus vindex promiserat illis:  
 Sed potius sparsi sede fuère sua.  
 Captiuos abduxit eos vicina caterua:  
 Sic natale suum deseruère solum.  
 Has inter gentes commixti tempore duro  
 Illorum mores tunc didicere feros.  
 Tunc opera illorum didicerunt, & simulachra  
 Hęc coluère, suum destituendo Deum.  
 Id quod traxit eos ad casum, siue ruinam:  
 Impietate ferox præcipiente scelus.  
 Vt gnatos, gnataque suas crudeliter illis  
 Dæmonibus reprobis cæde feroce, darent.  
 Vt pater innocuum gnati, gnataque cruorem  
 Funderet ô duri carnificina patris.  
 Ante sacras statuas Chanaam mactauerat illos;  
 Vt polluta sacro terra cruore foret.  
 Vt sese, inuisi cunctis, ob turpia dextre  
 Facta, prophanarent conditione truci.  
 Vt scortarentur lanij, rabidi que tyranni  
 Flebilibus cœptis, consiliisque suis.  
 In populum ergò suum Dominus vehementer in ira  
 Incendebatur crimina tanta videns.  
 Execrabatur propria hęc patrimonia, iustos  
 Hæredes, gnatos legitimósque suos.  
 In ditionem illos gentis tradebat, atrocem.  
 Qua sua depressi subdita colla darent,  
 Et qui continuis odiis capitalibus illos

Secta

Sectabantur, eis iussa suprema dabant.  
 Hostes iurati illos summo iure premebant:  
 Et redigebantur sub ditione graui.  
 Sunt facti miseri, miserique tyrannide dura:  
 Nam serui extorres hostis atrocis erant.  
 Illos sæpe Deus rabido seruabat ab hoste  
 Qui tractabat eos improbitate fera.  
 Verùm hi consiliis, propriis monitisque frequenter  
 Sponte rebellabant impia turba sibi.  
 Ergò premebantur propter sua crimina iustè:  
 Et iustas pœnas (quas meruere) dabant.  
 Cùm tamen hæc vehemens angustia funditus illos  
 Opprimeret, pressos respicit ille Deus.  
 Ipsorum tristes exaudivit aure querelas.  
 Fœderis inde sui tùm memor ille fuit.  
 Pertesum est hunc horum pro bonitate suprema  
 Qua (vt genitor clemens) afficiebat eos.  
 Et coram hoste truci qui captos duxerat illos  
 His data per Dominum gratia pulchra fuit.  
 O Domine omnipotens, noster Deus, vnicus author  
 Tu fac nos saluos, & miserere, precor.  
 Collige nos sparsos, variis ex gentibus, omnes  
 In patriam reduces fac pietate tua.  
 Nomen in orbe tuum sanctum vt laudemus, vbique:  
 Vt que tuæ laudis nos celebremus opus.  
 Glorie vt illustris summos celebremus honores:  
 Et te in ea Dominum nos veneremur humo.  
 Hic fœlix Dominus, Deus Israël ab omni  
 Æuo laudetur tempus in omne viris.  
 Ergò omnis populus quem condidit author hic orbis:  
 Dicat Amen, Dominum nam decet omnis honos.

FINIS LIBRI QVARTI.

§



PSALMORVM

LIBER QVINTVS.

PSALMVS CVII.

Confitemini Domino, quoniam bonus.

ἀνεπίρρητος.

ARGVMENTVM.

*Laus est qua docetur Deum sic suis adesse, vt omnia  
potius mutet, quam suos deserat, si modò ipsum  
& innocent, & innocentia studeant, com-  
mendatur etiam prouidentia.*

**V**os grates Domino dignas reuerenter habete:  
Sæper enim mitis, Rexque benignus, hic est.  
Perfoluant grates iucundo corde, redempti  
Illius Domini, quos releuauit ope.  
Quos ex hostili victor ditioe recepit:  
Et quos in patriam sæpe coegit humum.  
Gentibus è variis & quos collegit in vnum:  
Dispersi in partes quattuor orbis erant.  
Illos collegit Solis rutilantis ab ortu:  
Solis & occasu diminuenta diem.  
Oppositisque plagis illis Aquilonis, & Austri.  
(Vt patriam peterent) accumulauit eos.  
Cum illi solliciti errarent per sæpè per agrum  
Desertum, & sterilem, nec via trita foret.  
Nec propriis latam reperissent sedibus urbem.  
Languida non poterant membra leuare fame.  
Hos sitis impatiens ità sicco corde premebat:  
Vt mens deficeret pressa dolore graui.  
Ex his ad Dominum dulcem clamauerat omnis:  
Cum atrox ingrueret morbus, & omne malum.

Sed Deus vt bonus est, miseris ex casibus illos  
Eruit, & morbos abstulit ille graues.  
Errantes in iter reuocauit dõxque, comésque:  
Vt possent urbem mox habitare suam.  
Ergò canant Domini bonitatem, & maxima gesta:  
Huius opus mirum, magnificùmque decus.  
Magnificùmque decus recinant cum laude triumphi  
His hominum gnatis posteritatis Adæ.  
Námque bonis animam saturar profuenter inanem.  
Huius & esuriem subleuat ille cibo.  
Huius & esuriem rabidam escis omnibus implet.  
O summa erga nos prouida cura Dei.  
Cum in tenebris vmbrae mortalis in orbe sederent:  
Et ferro vincti sorte feroce forent.  
Quòd contempsissent noctũque diũque rebelles  
Hec Regis Regum iussa benigna Dei.  
Tum quòd consilium excelsi qui sydera voluit,  
Irritauissent corde furente suo.  
Tristia sollicitis cum corda laboribus horum  
Depressisset humi maximus ille Deus.  
Dum curis animi, rabidòque dolore iacerent  
Afflicti, mæstis nemòque ferret opem:  
Ad Dominum oppressi, grauibus strictique catenis  
Conclamauerunt, vt citò ferret opem.  
Obuinctos illos ferro, pietate fideli  
Eruit è vinclis, pauperieque graui.  
E tenebris, atque horrenda caligine mortis  
Illos eduxit, cunctipotente manu.  
Illorum subito dirupit ferrea vincla:  
Vincla, quibus nexi tam violenter erant.  
Ergo canant Domini bonitatem, & maxima gesta:  
Huius opus mirum, magnificùmque decus.  
Has pietatis opes recinant cum laude triumphi.  
His hominum gnatis posteritatis Adæ.

Æratas etenim portas, ferròque reflexos  
 Vectes confregit comminuitque manu.  
 Hos in stultitia persistere cæca libido  
 Peccandi, fecit, sic mala iusta ferunt.  
 Ob scelus admissum, morbis vexantur acutis:  
 Et pœnas dignas impietate, luunt.  
 Cùm tamen horreret sua fercula cuncta libido  
 Horum, nec lautas posset habere dapes.  
 Cùm mox adpetere ad portas valde propinquas  
 Orci, implorabant numina sacra Dei.  
 Propitium ad Dominum clamabant tempore duro.  
 Cùm insanus premeret pectora mœsta dolor.  
 Omnibus ex morbis afflictos eruit, illos  
 Tristibus immerfos eripuitque malis.  
 Ille suum iustum misit, verbùmque, Deùmque  
 Et Christum, cunctis qui fuit vna salus.  
 Et sanauit eos variis languoribus ægri  
 Corporis, atque animi qui furiosus erat.  
 Eruit ex sæuo interitu, grauibusque periclis  
 Quæ illos oppressos nocte, dièque dabant.  
 Ergò canant Domini bonitatem, & maxima gesta:  
 Huius opus mirum, magnificùmque decus.  
 Has pietatis opes recinant cum laude triumphi  
 His hominum gnatis posteritatis Adæ.  
 Sacrificent animi grati placidissima sacra:  
 Quo mira agnoscant hæc tua facta, Deus.  
 Quo immensa agnoscant tua præmia mente iocunda:  
 Et meriti memores sint (Deus alme) tui.  
 Et tua commemorent aliis opera inçlyta, summo  
 Cum plausu, & cantu, lætitiæque noua.  
 Qui mare conscendunt incertis nauibus, alto  
 In pelago merces expediuntque suas.  
 Mirandi Domini qui dirigit omnia nuru  
 Has operum laudes exposuere viris.

Et miranda Dei nouerunt ardua facta  
 Quæ gerit in vasto, terribilique mari.  
 Nàmque iubente illo surgit venti atra procella  
 Quæ fluctus tollit, multiplicatque vagos.  
 Sublime ad cælum tolluntur ab æquore fluctus  
 Cum attonitis nautis, qui propè fata vident,  
 Et mox descendunt in abyssum, & gurgitis vndas:  
 Quo impulsu illorum mens tremebunda silet.  
 Tabescit, curaque affligitur, ægra fatiscit:  
 Soluitur, atque stupet præ vehemente metu.  
 Nutant, & velut ebrius, huc, illucque vacillant:  
 Et pendent animo mox titubantè suo.  
 Omnis & illorum tandem sapientia cessat:  
 Illorum in mediis ars stupet ipsa malis.  
 Sed quandò in tantis merguntur fluctibus, vnum  
 Ad Dominum clamant, qui freta celsa regit.  
 Qui dominatur aquis, qui ventis imperat, & qui  
 Commotos fluctus temperat arte sua.  
 Liberat hos tandem ex variis angoribus, illis  
 Et deploratis gaudia mille parit.  
 Turbinis aduersos flatus, pelagique procellas  
 Sedat, & expandit vela secunda rati:  
 Tranquillum portum (postquam compefcuit vndas)  
 Infert, & placidum per mare præbet iter.  
 Tùm verò lætantur ij, formidine mortis  
 Deposita, quòd sit reddita grata quies.  
 Indè per optatum portum hos deducit, & illis  
 In placido portu gaudia plena refert.  
 Ergò canant Domini bonitatem, & maxima facta:  
 Huius opus mirum, magnificùmque decus.  
 Has pietatis opes recinant cum laude triumphi  
 His hominum gnatis posteritatis Adæ.  
 In cœtu populi supremis laudibus illum  
 Extollant, illum semper ad astra vehant.



Atque senatorum in confesso sapius illum  
 Laudent illius facta stupenda canant.  
 Irriguos campos fluuiis conuertit in agrum  
 Deferrum, arbitrio, consilioque suo.  
 In siticulosam terram commutat aquarum  
 Venas, & subito tempore siccat aquas.  
 In sterilem, mutat regione valde feracem.  
 Ob scelus illorum qui loca grata colunt.  
 Qui contrà, vertit siccaë telluris eremum  
 In stagnum vehemens, & quod abundat aquis.  
 In scatebras dulces salientum mutat aquarum  
 Damnatas terras ariditate sua.  
 Esurie misera confectos collocat istic  
 Ut condant vrbes quas habitare velint.  
 Ut cultis agris foelicia femina credant:  
 Et placidas vites culta per arua ferant.  
 Quæ pariant vario crescentes fœnore fructus:  
 Annonasque graues, multiplicésque, ferant.  
 Hos fouet ille Deus, tenues horumque secundat.  
 Conatus, vt quis commoda ferre queat.  
 Supra mensuram vitæ florentibus annis  
 Illos multiplicat commoditate bona.  
 Non patitur pecudes, horum vaccasque, perire:  
 Nec iumenta graui tempore pauca fore.  
 Cùm vero ob crimen, morbis minuuntur acerbis:  
 Et fert supplicium culpa seuera suum.  
 Cùm vi cùm fato, miseroque labore premuntur:  
 Afflicti que vices, & sua damna dolent.  
 Cùm facit hos prædam ducibus, cùm per loca vasta  
 Circunducit, vbi semita nulla datur.  
 Tandem pauperie leuat (vt pater vnus) ægenum:  
 Vtque gregem, auget, constituitque domum.  
 Hæc contemplantur iusti, & lætentur: & omnes  
 Persoluant grates, & decus omne Deo.

Magnificent Dominum qui tot bona fecit, at omnis  
 Obstruat impietas os scelerata suum.  
 Tu quicumque sapias, circumspecte sedulus ista:  
 Ut benè noscantur præmia celsa Dei.  
 Ut benè noscatur Deus vnus prouidus author:  
 Qui res humanas curat, & arte regit.  
 Ut pietatis opes Domini monstrantur aperta:  
 Qui propria cunctis nil bonitate negat.

PSALMVS CVIII.

Paratum cor meum Deus.

TITVLVS.

*David Ode gratulatoria*

ARGVMENTVM.

*Petit ut Dominus, ab eis gentibus redimat, quæ intra  
 definitos terræ terminos habitant, similis  
 est hic 57 & 60 psalmo.*

**S**VM constanti animo (Deus optime) spõte paratum  
 Cor meum, vt ex animo nunc tua facta canam (est  
 Vt totis neruis tua facta insignia laudem.  
 Euigiles igitur tu mea læta chelys.  
 Tu quoque vox resonans citharæ expergiscere, Nablum  
 Te profer, versus prome, tuosque modos.  
 Vt Domini laudes maturrimè ego ordiar, & te  
 In populis cantem, Summe Monarcha Deus.  
 Vtque inter gentes te (Princeps inclyte) laudem:  
 Et decus exponam, commemorémque tuum.  
 Quod tua (Rex) bonitas est cælis altior, atque  
 Nubibus excelsis hæc tua vera fides.  
 Est maior pietas, Quàm sit distantia cæli  
 A terra, medium quæ tenet orbis opus.  
 Vsq; ad eas nubes constantia tangit in illis  
 Præstandis pactis, pollicitisque tuis.

Supra altos cœlos, & terras totius orbis  
 Exaltare tua nobilitate, Deus.  
 Hęc tua maiestas per totum appareat orbem:  
 Et sistas pactis quæ celebrare soles.  
 Vt (Deus alme) tui dilecti, atque vndique chari  
 Eriantur ab hac anxietate graui.  
 Ipse tua dextra, dextra victrice potenti  
 Fac saluum, & nobis omnibus adfer opem.  
 In templo sancto nunc est Deus ipse locutus:  
 Quæ res, crebra mihi gaudia iure tulit.  
 Partiar ipse Sichem, & vallem dimetiar imam  
 Succhot, in Israël Rex generosus ero.  
 Est meus hic Galaad, meritò meus ille Manasses.  
 Ephraim caput est roboris ille mei.  
 Dux meus est Iudas, rector meus ille fidelis:  
 Et Moab, his pedibus sub dicitur olla meis.  
 Fortem ad Idumæam Dominus, victorque triumphans  
 Calcem ego extendam (te duce) summe Deus.  
 Ipse Palestinæ super oras, huius & vrbes  
 Exultans, clangam Rex, resonante tuba.  
 Sed modò munitas quis me deducit ad vrbes?  
 Quis me in Idumæam dirigit arte sua?  
 Num tu summe Deus belli horrida classica tractans  
 Qui nos reppuleras vi vehemente tua?  
 Qui nos reppuleras, vt non ad bella venires  
 Agmine cum nostro, militiæque leui?  
 Nostris rebus opem miseris (Deus alme) tulisti:  
 Anxia dum premeret pectora nostra dolor.  
 Dum nos opprimeret vehemens angustia, vana  
 Est hominis sine te (Rex generose) salus.  
 Non est certa salus, quæ armis speratur in hostem.  
 Viribus ex nostris nil sibi prorsus habet.  
 In victore Deo omnipotente parabimus illam  
 Victricem palmam, victor hic vnus erit.

Ille etenim nostros conculcat, & opprimit hostes.  
 Nobiscum pugnat, nòsque coronat ouans.

PSALMVS CIX.

Deus laudem meam ne tacueris.

TITVLVS.

*Dauid adhortatorij generis Carmen.*

ARGVMENTVM.

*Vltio diuina prouocatur in eos qui benefactores suos  
 violenter opprimunt, aguntur gratia Deo qui  
 à vi ipsorum suos liberet.*

**T**V nè dissimules mea gloria sola per orbem  
 O Deus omnipotens, ò mea certa salus.  
 Namque dolosus homo, sceleratus, & impius ille  
 Os in me fallax adperuere suum.  
 In me mendaci lingua, probra dira loquuntur:  
 Atque omnem inuidiam, perfidiàmque mouent.  
 Confitètis odio sermonibus vndique iustum  
 Me circumueniunt, nec ratione bona.  
 Obsidione graui hïc oppugnant me sine causa:  
 Hos ego dilexi, sed mihi fraude nocent.  
 Et pro percusso illo fœdere dulcis amoris  
 Quo illos hïc colui, bella superba mouent.  
 Aduersantur, atris stridentes dentibus, æquo  
 Cùm studeam iuri, mi reuerende Deus.  
 Ob benefacta, mihi tristissima, damna rependunt:  
 Et pensant odio, dulcis amoris opus.  
 Illi carnificem præfectum impone, cruentam  
 Illius ad dextram sit situs hostis atrox.  
 Et cùm iudicio nunc sistitur, ille seuro  
 Damnetur rigidi iudicis ore sui.  
 Degrauet illius prauum defensio crimen;  
 Sint huius pauci (iure iubente) dies.

Illius officij munus, quo fungitur, alter  
 Accipiat, laudis nil magis ipse ferat.  
 Orbi huius gnati fiant florente iuuenta:  
 Illius coniux mœsta, sit orba viro.  
 Orphani huius gnati incertis sedibus errent:  
 Illos paupertas inuidiosa premat.  
 Mendicent, quærantque cibum, cum rebus acerbis  
 Exilij tristis vincula dura ferent.  
 Fœnoris exactor disperdat quicquid ad illum  
 Spectat, iucundas auferat huius opes.  
 Iniiciatque manum violentam his omnibus huius  
 Rebus, nilque boni pignora mœsta ferant.  
 Sæui hostes illius opes, durumque laborem  
 Diripiant, nec sit qui miserescat eum.  
 Ne sit, qui pietate vlla ducatur in illum:  
 Nullus ei in misero tempore, præster opem.  
 Et ne quis impendat pupillis tristibus huius  
 Gratiam, & ingenui dulce fauoris opus.  
 Illius interitus sit finis, prole propinqua  
 Morti, huius nomen deleat omnis humus.  
 Sit deleta huius radicitus impia fama,  
 Nominis, & prolis fama nec vlla volet.  
 Et patris illius numeret Deus omnia vitæ  
 Crimina, iudicio puniat illa bono.  
 Peccatum matris, Dominus non deleat vnquam.  
 Hæc oculis cernat tempus in omne suis.  
 Hæc in conspectu Domini qui prospicit omnes  
 Perpetuò vigeant, vt premat ira ferox.  
 Extirpetur atrox è terra nomen eorum:  
 Illorum nec sit qui meminisse, queat.  
 Immemor ille fuit miserendi sponte propinquo.  
 Nec pietatis ei munus, opemque, tulit.  
 Ne semel in mentem huic venit pietatis in illum  
 Vnquam exercendæ, sed ferus iste fuit.

Hic hominem certè deiectum oppressit, & auxit:  
 Hic inopem afflixit sæpe dolore graui.  
 Mœrentem ille virum depresso corde sequutus  
 Est, vt eum in fontem cæderet ense truci.  
 Est execratus cunctos, mala prauus amauit:  
 Nunc contingat ei quod facit ille viris.  
 Gratiam hic ingratus numquam quæsiuit, ab illo  
 Hæc procul abscedat gratia, iuste Deus.  
 Execrabilibus verbis, probrisque seueris  
 Vt vestimento semper amictus, hic est.  
 Hæc (velut vnda fluens) penetrent violenter in illum.  
 Tanquam oleum, penetrent illius ossa simul.  
 Tristis adhærescat maledictio funditus illi  
 Vt toga, qua corpus, totaque membra tegit.  
 Tristis ei hærescat maledictio, vt vnica zona  
 Qua lumbos graciles cingit vbique suos.  
 Hoc opus à Domino furibundis hostibus illis  
 Nunc vsu veniat, cum mihi damna volunt.  
 Illis à Domino iusto sit debita merces.  
 Qui vitæ tentant perniciofa meæ.  
 Sed Domine alme Deus tu mecum fronte benigna  
 Fac, propter sanctum nomen in orbe tuum.  
 Hæc bonitas propensa tua est, vt dulciter ægrum  
 Me serues, cunctis eripiâsque malis.  
 Nam sum pauper, inops, humilis deiectus ab omni:  
 Intra me languet cor glaciale meum.  
 Cor mihi confossum penetranti vulnere languet:  
 Incedo veluti vespers vmbra fluens.  
 Vmbra velut noctis, tacitas quæ crescit in horas  
 Inclinate die, sic ego mœstus eo.  
 Auferor, atque vagor velut errabunda locusta:  
 Huc, illuc saltans non habet illa locum.  
 Hæc genua ægra mihi tristes labuntur in horas  
 Præ ieiuna illa, perpetuâque fame.

Et macilenta caro, simul & cutis aruit ægra:  
 Vt nullus succus iam superesse queat.  
 Atrox opprobrium sed eis sum factus, & illi  
 Cùm me conspiciunt, tùm caput omne mouent.  
 O Domine omnipotès, Deus ô meus, hîc mihi prôptam  
 Adfer opem, & salua me bonitate tua.  
 Vt videant, noscântque tuam mihi adesse salutem:  
 Et benè cognoscant hoc opus esse tuum.  
 Vt perspectam habeant dextram qua tu omnia vincis.  
 Hancq̃ue potestatem, qua benè cuncta regis.  
 Indè sciant illi quòd solus feceris istud.  
 Viribus illi in me nil potuere suis.  
 Sed quia iuste Deus visum est tibi, vt vndique mentem  
 Exercere voles hac ratione meam.  
 Et mihi nunquam defuerit patientia duris  
 In rebus, quæ dat gaudia iusta mihi.  
 Isti excrentur, tu sis modò valde benignus:  
 Et mihi tu ingenua fronte fauere velis.  
 Insurgant, & confundentur deficientque  
 Ipso conatu, nil poteruntque minis.  
 Confestim fient infames, sed tuus ille  
 Seruus in aduerso tempore lætus erit.  
 Turpi ignominia, veluti atra veste tegantur  
 Hostes, innocuo qui mihi damna volunt.  
 Hos vt pallium, atrox confusio contegat, vnum  
 Ore meo Dominum concelebrabo meum.  
 Ore meo totis pro viribus ipse supremas  
 Perfoluam grates tempus in omne Deo.  
 In medio cœtu Dominum laudabo potentem:  
 Adstat ad hanc dextram pauperis ille sui.  
 Vt vindex animam iam liberet huius, ab illis  
 Illum qui damnant impietate sua.

## Dixit Dominus Domino meo.

TITVLVS

*Ode David.*

ARGVMENTVM.

*Vaticinium est de Christo nascituro, & regno eius.  
 tam in ecclesia, quàm in cœlis.*

**O**Mnipotens Dominus, Dominator, totius orbis  
 Rex dixit Domino talia verba meo.  
 Te supra omnem virtutem per sæcula cuncta  
 Regem constituo, cunctaque sub do tibi.  
 Ad dextram ergò meam sedear charissime fili:  
 Donec ponam hostes sub ditione tua.  
 Donec ego ipse tuis pedibus (mi gnate) scabellum  
 Hos hostes, faciam, constituamque, tuos.  
 Emittet Dominus de Zion vertice montis  
 Sceptrum virtutis (summe monarcha) tuæ.  
 Vt Rex inuictus medios domineris in hostes:  
 Omnibus inuitis qui tibi bella gerunt.  
 Verum in luce tui pulchri, summique triumphi  
 Ille tuus populus dulcia vota dabit.  
 Cum sancta pompa, placido dignissima vultu  
 Dona, precésque suas offeret ille tibi.  
 Nam ros ille tui clari natalis in orbe  
 Ex vtero auroræ, est (Rex homo, vere Deus)  
 Natura, genuit mea te substantia, fili  
 Te genui ex vtero, visceribusque meis.  
 Ex imis propriæ deitatis (gnate) medullis  
 Te genui, meus es filius, vnus amor.  
 Te genui ante hunc luciferum, stellâque nitentes:  
 Ante creaturam (dulcis imago mea)  
 Es naturalis gnatus meus vnicus, es tu

Æternus, Deus es, Rēxque, Monarcha potens.  
 Virginis intactæ te (ô Rex) de sanguine puro  
 Concepit sanctus Spiritus, arte sua.  
 Virginis ex vterò casto, charissime fili  
 O Christe, es natus verus amicus homo.  
 Vt matutinus ros vber nascitur, ex hac  
 Aurora, & terræ commoda magna parit.  
 Virginis ex vterò sic tu procedis, vt ortus  
 Sol ex aurora, rōsque benignus agris.  
 Iuravit Dominus, nunquam ducetur, vt ille  
 Iuratæ fidei pœnituisse queat.  
 Iuxta Melchisedech, ritum, tu iure Sacerdos  
 Magnus in æternum es (Rex metuende, Deus)  
 A dextris adstans Dominus tibi percutit omnes  
 Iratus Reges pro ratione tua.  
 Illis propter te cūm mox irascitur, hostes  
 Sauos euertit nominis ille tui.  
 Iustum supplicium sumit de gentibus illis  
 Quæ verum imperium deseruere tuum.  
 Gentibus ex illis vindictam sumit atrocem:  
 Atque cadaueribus tūm loca cuncta replet,  
 Hic capita, & Reges excelfos totius orbis  
 Cædit, & hic hostes sub ditione premit.  
 De torrente bibet, per iter, tot cædibus hostes  
 Tristibus affecti, proiicientur humi.  
 Vt cruor illorum, vt torrens fluat impete magno.  
 Hic erit insignis victor in hoste suo.  
 Inde caput victor sublimia tollet ad astra:  
 Omnia parebunt regna superba Deo.  
 De torrente bibet, pœnas patietur atroces:  
 Ille crucis mortem, suppliciumque feret.  
 Sed Deus exaltabit eum, & præbebit honoris  
 Nomen præclarum, magnificumque viris.  
 Excellens donabit nomen, quod super omne

Nomen se extollet nobilitate sua.  
 Huius vt in sancto, atque augusto nomine flectant  
 Infernus, cœlum, totaque terra, genu.  
 Et lingua omnis summo confiteatur honore:  
 Ad dextram patris quod sedet ille Dei.

## PSALMVS CXI.

Cōfitebor tibi domine in toto corde meo.

## ARGVMENTVM.

*Laus est, & gratiarum actio.*

**E**X toto corde hunc Dominum laudabo potentem  
 Qui regni triplicis sceptrā verenda tenet.  
 Et cūm priuatim, tūm pro omni cœtus honore  
 Illum ego apud sanctos religione colam.  
 Magna opera hæc Domini: sunt cunctis illa stupenda  
 Exoptata piis omnibus illa viris.  
 Exoptata viris, studiis qui dulcibus illa  
 Amplectuntur, amant, illaque sponte colunt.  
 Est opus illius dignum omni laude, perenni  
 Gloria, & illustri lucis honore suæ,  
 Iustitia illius totum perdurat in æuum:  
 Quæ gessit Dominus, sunt memoranda viris.  
 Hic ita magnificè hæc gessit sua facta per orbem:  
 Omnis vt illorum debeat esse memor.  
 Vt cunctis hæc sint memoratu digna, nec vllò  
 Ex animo tota nocte, dièque fluant.  
 Est Dominus clemens, & mitis, vota, precēsque  
 Audit, & hic cunctis parcere semper amat.  
 Dat gratam, & dulcem sese metuentibus escam:  
 Est memor æternum fœderis ille sui.  
 Diuisitque suis victor cultoribus hostis  
 Exuias, seruat pacta, fidemque suam.  
 Perpetuò seruat quicquid promiserit, ille  
 Promissæ fidei vult meminisse suæ.

Factorum robur sublime, ingensque suorum  
 Ostendit populo, cum bona quæque dedit.  
 Cum dedit hæc illi externæ patrimonia gentis  
 Quam victor pepulit de regione sua.  
 Illius manuum firmum, rectumque per ævum  
 Est opus, illius sunt rata iussa Dei.  
 Omnia sunt præcepta Dei verissima, sunt hæc  
 Fixa ad perpetuum totius orbis opus.  
 Sunt confirmata, & conuelli tempore nullo  
 Possunt, æternos sunt habitura dies.  
 Vt quæ tunc constant ex vero, æquòque fideli:  
 Et sunt hæc recta constabilita fide.  
 Ille suum populum captiuum sponte redemit:  
 Ex illo Ægypti valde feroce iugo.  
 Exiit imperium, & Regis fera iussa, salutem  
 Et libertatem, diuitiasque dedit.  
 Ille suum fœdus populo præcepit in annos:  
 Nec voluit leges hunc violare suas.  
 Est huius sanctum, & venerandum nomen, & illud  
 Præuis terribile est, propitiùmque bonis.  
 Omne caput sophiæ, Domini timor, illéque prudens  
 Et sapiens verè est qui reueretur eum.  
 Illa salutaris sapientia permanet illos  
 Qui sese exercent in reuerendo Deum.  
 O sanam mentem quæ singula facta gubernat  
 Hunc iuxta Dominum qui bona cuncta dabit.  
 Nam laus illorum semper florebit, & illos  
 Verè fœlices sæcula cuncta ferent.  
 Illos afficiet Dominus Rex iustus honore  
 Perpetuo, atque illis præmia iusta dabit.

PSALMVS CXII.

Beatus vir qui timet Dominum.

ARGV-

ARGVMENTVM.

*Bono viro neque animi constantiam, neque iustam substantiam deesse.*

O Ter fœlicem, iam tæque, quatèrque beatum  
 Qui Dominum pura religione timet.  
 Quisque Deum summum summo reueretur honore:  
 Et timet vt gnarus, cordis amore, patrem.  
 Qui huius præceptis multum oblectatur, & illa  
 Præfert diuitiis, innumerisque bonis.  
 Huius posteritas, fœcundum, & nobile semen  
 In terra, Domino sit tolerante potens.  
 Rectorum illustris generatio valde beata  
 Est, & ei Dominus gaudia plena dabit.  
 In fœlice domo illius florente per annos  
 Est honor, & res est, diuitiarque vigent.  
 Huius læta domus cunctis in rebus abundans  
 Floret diuitiis, quas Deus ille dedit.  
 Iustitia illius excellens perdurat in ævum:  
 Permanet hæc stabilis, nec peritura sibi.  
 Sol oriens, & lux radiis distincta coruscis.  
 In tenebris, rectis duxque, comèsque, venit.  
 Est clemens, mitis, iustus miserator in omnes:  
 Aspicit afflictos, & miseretur eis.  
 Commodus est hic vir qui mox miseretur egenis:  
 Et dat pauperibus mutuo sponte bona.  
 Munificus cunctis, homines propensus in omnes.  
 Hic inopes & re, consilioque, iuuat.  
 Hic cum iudicio expendit sua verba fideli.  
 Et prudens, temerè nil vomit ille viris.  
 Nec finit ille suam linguam præcurrere mentem:  
 Metitur verbis singula quæque bonis.  
 Nam manet immotus semper, numquamque moueri  
 Ille loco poterit nocte, dièque, suo.

T

Durat in æternum iusti laudabile nomen;  
 A rumore malo, nil timet ille sibi.  
 Namque cor illius firmum est, constansque, fidelem  
 In Dominum inuicta, perpetuaque, fide.  
 Huius cor firmum est, vt nil formidet in hostes:  
 Donec eos videat morte perire sua.  
 Diuidit, ac donat, sua dispertitur egenis.  
 Iustitia illius, tempus in omne manet.  
 Durat in æternum, stabilis viget illa per annos.  
 Perpetuos, animi pro pietate sui.  
 Huius virtutis cornu extolletur in omni  
 Gloria, & illustri laudis honore sua.  
 Impius ista videns oculorum lumine toruo  
 In fato ærumna, tristitiæque, grauis.  
 Carnifice inuidia torquebitur, & feret agrè  
 Has iusti immensas prosperitatis opes.  
 Dentibus hic frendens tabescet, & ille peribit.  
 In desiderijs, inuidiæque truci.  
 Irrita mox fient quæ percipit impius, illis  
 Nec poterit studiis ipse nocere suis.

PSALMVS CXIII.

Laudate pueri Dominum.

ARGVMENTVM.

*Laudat Deum ab omnipotentia.*

**L**audate ò serui Domini, laudate supremum  
 Hoc Domini nomen, nobile laude sua.  
 Laudibus hoc Domini nomen celebretur ab vno  
 Tempore, in hoc tempus quod sine fine manet.  
 Solis ad occasum vsque, illustri Solis ab ortu:  
 Laudetur Domini nomen in orbe Dei.  
 Namque super gentes omnes sublimis, & altus  
 Est Dominus celsi qui regit astra poli.  
 Gloria, & illius maiestas est super omnes

Cælos, sublimes, Angelicósque choros.  
 Quis sicut Dominus noster Deus, arbiter orbis?  
 Quis similis Domino, perpetuóque Deo?  
 Ille est qui sese sublimia tollit in astra  
 Vt princeps habiter quem cupit ille locum.  
 Ac rursum sese demittit, vt vndique cernat  
 Quod fit in hac terra, sydereóque polo.  
 Eleuat ille Deus princeps, & tollit egenum  
 Qui iacet in fædo puluere stratus humi.  
 Erigit hic inopem de stercore, vt inserat illum  
 Inter præclaros, præcipuósque duces.  
 Inter primores populi, Regesque superbos  
 Collocat hunc, vt Rex regia sceptrata ferat.  
 Regis vt in folio sedeat, regnumque gubernet  
 Legibus, & Regis tum diadema gerat.  
 Quid? sterilem matrem cum gnatis dulcibus ille  
 Efficat, vt capiat gaudia plena domi.  
 Et facit hanc matrem fœcunda prole beatam:  
 Vt delectetur prolis honore sua.  
 Halleluia canant omnes, & laudibus illum  
 Afficiant Dominum, munificumque, Deum.

PSALMVS CXIII.

In exitu Israel de Ægypto.

*ἀνεπιγάφως.*

ARGVMENTVM.

*Laus & gratulatio est, qua fidelium  
 spes fulcitur.*

**C**um Israël populus duris exiret ab oris  
 Ægypti, misero seruitiique iugo.  
 Et cum de populo peregrino, & valde feroci  
 Hæc Iacob exiret relligiosa domus.  
 Tu sacrosanctus Iudæ, (ò Deus alme) fuisti:

Et te vnum coluit religione Deum.  
 Illum fecisti cœlesti numine tutum:  
 Atque his portentis, prodigiisque tuis.  
 Induperator eras Israël, Duxque benignus:  
 Tu soluisti illum de Pharaone truci:  
 Quod cum vidisset mare, fugit, Iordanis vnda  
 Retrorsum cessit, gens stupor illa sibi.  
 Exiliere graues montes arietis vt agmen  
 Quod pascens herbas, læta per arua salit.  
 Exiliere leues colles, vt de grege læti  
 Agni subsiliunt, luxuriantque, simul.  
 Subsiliunt veluti temulenti lacte nouello  
 Cum videant pastu prata virere suo.  
 Quid mare nunc tibi sit. Quid nunc tibi contigit æquor  
 Quod tu fugisti conueniente Deo?  
 Est Deus ille tuus, præsentia terruit huius  
 Te? Domini vultum quid tremis vnda tui?  
 Quod retrocessisti attonitus tu Iordanis amnis:  
 Quid tibi contingit. Num timor ille Dei?  
 Quid quod vos montes arietum more, per agros  
 Nunc saltauistis? Quis metus esse potest?  
 Quid quod vos colles, celeres saltastis vt agni  
 Lasciui inter oues quæ sua prata tenent?  
 A claro Domini cōspectu ô terra tremiscis:  
 Conspectuque Dei quem colit ille Iacob.  
 Qui petram, conuertit aquæ profluentis abundans  
 In stagnum, & plenos, perpetuósque lacus.  
 Qui rupem in fontes nitidos conuertit aquarum  
 Vt prædura silex vndique fundat aquas.

Non nobis Dñe, nō nobis sed nomini tuo.

**N**E nobis Domine, & ne nobis confer honorem:  
 Sed decus amplifica nominis ipse tui.

Et ne sacra tui maiestas nominis illa  
 Lædatur, serua nos pietate tua.  
 Eripe nos, Domine, è violente tyrannide gentis  
 Vt ne quis nostrum clarior esse queat.  
 Verum vt reddatur cunctis illustrius (ô Rex)  
 Nobiliusque tuum nomen in orbe viris.  
 Eripe nos (inquam) solita pietate fidei:  
 In pactis verax vt videare tuis.  
 Ne nobis igitur tribuas præconia laudis:  
 Sed ferat hanc laudem nomen vbique tuum.  
 Huic, decus omne tuæ fidei, & bonitatis amicæ  
 Ostensæ nobis, da generose Parens.  
 Namque fide te obstrinxisti (ô Rex maxime) nobis  
 Auxiliaturum pro bonitate tua.  
 Nè ergo committas vt gentes vndique dicant  
 Nominis hoc probro, ludibrióque tui.  
 En vbi nunc Deus est illorum? quum Deus ille  
 Noster, In his cœlis, omnia sponte regat.  
 Cuncta voluntatis iussu dispensat vbique:  
 Et res humanas solus in orbe regit.  
 Impia turba Deos fingit, Simulachraque vana  
 Auro, atque argento, quod manus, arte facit.  
 Artificis manus insculpsit formam oris, at vsu  
 Addere non potuit ritè, vel arte sua:  
 Nil etenim vera, & resonanti voce loquuntur.  
 Extus habent oculos, nil tamen indè, vident.  
 Hæc aures gestant, sed eis elementa per illas  
 Nulla soni veniunt commoditate sua.  
 Ista ferunt nares, nec habent fragrantis odoris  
 Olfactum, cerebro nec placet intus odor.  
 Illa manus niueas in pulchro corpore monstrant:  
 Contrectant manibus nil tamen illa suis.  
 Insuper ista pedes veloces prodere gaudent:  
 Et non incedunt, nec sua membra mouent.



Ipsa tuo tandem non possunt gutture vocem  
 Ædere, pulmoni nec sonus vllus inest.  
 Omnia sic illis insculpsit cætera membra  
 Hæc manus artificis, nil tamen vsus habent.  
 Qui faciunt ista, & qui fidunt omnibus illis:  
 Illis sunt similes, desipiuntque sibi.  
 Tu verò Israël, tu gens hæbræa benignum  
 In Dominum spera, nam tibi reddet opem.  
 Auxiliator hic est, tuus & protector in hostes:  
 Propugnator hic est dura per arma tuus.  
 O Domus excellens Aharon, sperate supremo  
 In Domino, vobis conferet vnus opem.  
 Auxiliator hic est vester defensor & ingens:  
 Et propugnator strenuus ille manet.  
 Qui colitis Dominum, in Dominum sperate triumphas  
 Vester enim in bellis auxiliator, hic est.  
 Est propugnator vester, clypeusque salutis:  
 Hic Dominus, nostri sit pietate memor.  
 Nos foueat pietate sua propensus in omnes.  
 Israël foueat nobilitate domum.  
 Ille domum hanc Aharon foueat cum fronte benigna:  
 Et placido vultu munera præstet ei.  
 Qui Dominum metuunt: foueat, iuuenesque senesque:  
 His benè nunc faciat qui reuerentur eum.  
 Augeat hunc vestrum numerum Deus ille benignus.  
 Augeat erga vos hic bonitatis opes.  
 Augeat & vestræ fœlicia munera prolis,  
 Illius numerum multiplicare velit.  
 Vos estis sancti Domini qui condidit orbes  
 Cælorum, & terram, quicquid & illa tenet.  
 Sunt omnes cæli Domini, nam condidit illos,  
 In quibus hanc arcem construit ille suam.  
 Absque ministerio humano moderatur hic illos  
 Solus, & hic cæli sydera celsa regit.

Sed gnatis hominum terram dedit ille colendam:  
 In qua conficiunt, constituuntque domos.  
 Posteritatis Adæ gnatos præfecit hic illi:  
 Vt teneant illam sub ditione sua.  
 Vt moderentur eam subiectam legibus æquis  
 In Domini laudem, consiliũque Dei.  
 Non laudant te defuncti (ò Deus optime princeps):  
 Non inter viuos hæc tua gesta probant.  
 Hi neque te laudant quorum sunt membra sepulta  
 Et quos hæc fera mors nocte silente tegit.  
 Sed nos viuentes Dominum laudabimus vltro:  
 Donec sol terras ambiet axe suo.  
 Victoris Domini cantabimus alta trophæa.  
 Hinc vsque ad longos, perpetuosque dies.  
 Halleluia omnes dicant, psallantque potentem  
 Hunc Dominum, namque est victor in hoste truci.

PSALMVS CXVI.

Dilexi quoniam exaudiet Dominus.

*ἀνεπιρράφος.*

ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio est, pro liberatione ex angustiis.*

**S**Vm æquo animo, Dominus Deus optimus ille que-  
 Clamosasque preces audiit aure meas. (relas  
 Hic aurem facilem clemens mihi præbuit vltro.  
 In miseris quando casibus ipse forem.  
 Et cum clamarem in tristi, & vehemente periclo.  
 Adfuit immensa pro bonitate mihi.  
 Hic circumdederant me funes mortis, & illa  
 Instabat capuli celsa ruina mei.  
 Et lacus inferni vehemens angustia pressum  
 Cinxerat, & cinctum clauserat ore truci.  
 Incideram in curas animi, mœstumque dolorem.  
 Afflictus pœnis anxietatis eam.

Cum augustum hoc nomē Domini in mea vota vocarē:  
 Oro, animam eripias (ô Deus alme) meam.  
 Mitis enim, ac iustus Dominus qui non finit vnquam  
 Infantes miseros vi vehemente premi.  
 Ille Deus noster clemens miseretur, & omnem  
 Gnatum castigat, quem cupit esse suum.  
 Depressos humiles Dominus custodit, & illos  
 Defendit clypeo, præsidioque suo.  
 Omni ope sum desertus ego, in tot rebus acerbis:  
 Et me saluauit, dum mala tanta premunt.  
 Ergo redi (ô mi anime) in quietem, & nūc, te erige, vires  
 Sume, & mœrorem tū cohibere velis.  
 Præstitit ille tibi Dominus quodcunque petisti:  
 Atque satisfecit questibus ille ruis.  
 Quicquid debebas, pro te persoluit, iniquis  
 Te obstrictum vinclis, soluit amore suo.  
 O Domine hanc animam eripuisti à morte superba:  
 Quæ horribiles laruas, tristitiaque dabat.  
 A lachrymis flentes oculos, lapsuque frequenti  
 Soluisti infirmos (Rex generose) pedes.  
 Vt coram Domino inter viuos, atque fideles  
 Ambulem ego in recta simplicitate mea.  
 Et præ oculis habeam Dominum qui nocte, diēque  
 Est mentis requies vnica vera meæ.

## PSALMVS.

Credidi propter quod locutus sum.

*Idem cum superiore Psalmo est apud Hebræos.*

## ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio est, quæ Christo maximè congruit.*

**A** St ego cum loquerer vehementi afflictus in æstu  
 Mentis, in hac tristi conditione mea,  
 Cum toties fugerem Saulem, propriaque saluti

Vitæ confulerem præcipitante fuga.  
 Ad summam ærumnam, & paupertatem ipse redactus  
 Panem emendicans à Nabal, exul eram.  
 Dicebant omnes, vt nunquam iure redirem  
 Ad regni sacrum culmen, opésque mei.  
 Desperatus ego, trepidusque, in mentis acerba  
 Extasi, & excessu, sine stupore meo.  
 Talia verba mihi dicebam raptus ad vnum  
 Illius veri cognitionis opus.  
 Omnis homo mendax, verissimus est Deus vnus  
 In pactis, fidei que bonitate probat.  
 Omnis homo, est mendacium, imago, & inutilis vmbra:  
 Vanus, ad omne bonum nil sibi ritè potest.  
 Conditione suæ naturæ debilis huius:  
 Et fragilis, sed quid posset hic absque Deo?  
 Arrogat ille sibi multa, & mentitur, & ille  
 Fallere, & induci fraude, doloque, potest.  
 Nulli certa fides homini, rerum arbiter vnus  
 Est veri pacti, pollicitique tenax.  
 Omnibus in verbis hic vnus fallere nescit.  
 Immutabilis est conditione sua.  
 Incolumem rabido ne conseruabit ab hoste:  
 Et me constituet gentibus ille ducem.  
 Pro cunctis in me, meritis, quid fronte benigna  
 Retribuam Domino qui bona tanta tulit?  
 Poculum enim accepi, placidum calicemque salutis:  
 Cum implorauissem nomen, opemque Dei.  
 Ærumnas constanter ego sum passus atroces:  
 Rebus in afflictis & mala multa tuli.  
 Hinc sacra vota Deo sincero pectore soluo  
 Coram omni populo, qui reueretur eum.  
 In nitidis oculis Domini pretiosa suorum  
 Sanctorum mors est, victaque pœna crucis.  
 O Domine immensas persoluo nunc tibi grates:

Quòd sis dignatus rumpere vincla mihi.  
 Quòd sis dignatus disrupto carcere, vinclis  
 Soluere me seruum qui tibi sacra fero.  
 Me seruum tibi deuinctum, gnatumque fidelis  
 Ancillæ obsequio, seruitiòque tibi.  
 A me idcirco tibi maetatur victima laudis:  
 O Domine, & celebros nomen in orbe tuum.  
 In celsis atris domus alti principis huius:  
 In medio (ò Solymæ, Hierusalémque) tui.  
 Coram omni populo soluo mea vota, fidei  
 Et vero Domino, qui fuit vna salus.  
 Halleluia canant iucundo gutture cuncti.  
 Est laudis carmen, lætitiæque sonus.

## PSALMVS CXVII.

Laudate Dominum omnes gentes.

*ἀνεπιγάφοσ*

## ARGVMENTVM.

*Hymnus est in quo gentium vocationis ad Ecclesiam  
 Dei vaticinium continetur.*

**V**Os omnes gentes Dominum laudate, supremis  
 Laudibus ò populi vos celebrate Deum.  
 Dulcis enim bonitas magis, ac magis illius in nos  
 Semper adaugefcit, semper & illa viger.  
 Huius & ipsa fides constans, & vera per æuum  
 Durat, & in pactis inuiolata manet.  
 Halleluia canat populorum tota caterua  
 In cultum, & veri gaudia iusta Dei.

## PSALMVS CXVIII.

Confitemini Domino quoniam bonus,  
 quoniam in sæculum misericordia eius.

## ARGVMENTVM.

*Publica gratiarum actio est pro aliqua liberatione  
 quæ Typus est nostræ Eucharistiæ pro morte  
 & liberatione Christi.*

**V**Os Domino grates persoluite pectore toto  
 Illa perpetua pro bonitate sua.  
 Pro æterna pietate Deo vos dicite grates:  
 Et laudate Deum, namque benignus, hic est.  
 Perpetuam (quæso) bonitatem prædicet huius  
 Israël, iactet, laudet, adoret, eum.  
 Huius perpetuæ summos bonitatis honores  
 Prædicet hæc Aharon concelebranda domus.  
 Illius æternam bonitatem qui colit illum  
 Prædicet, & pura religione colat.  
 Cùm me mille modis angustia summa teneret:  
 Et premerent mentem mille pericla meam.  
 Clementem Dominum crebra in mea vota vocaui:  
 Atque implo rai numen, opémque, Dei.  
 In loca lara Deus me tunc perduxit, & illa  
 Respondit solita pro bonitate mihi.  
 Inuictus Dominus, mecum est, non ergo timebo:  
 Quid mihi nunc faciat perniciosus homo.  
 Auxiliator hic est Dominus mihi victor in hostes,  
 Hostes contemnam, despiciamque, meos.  
 In Dominum est multo melius sperare benignum:  
 Quam inconstanti homini spémque, fidémque, dare.  
 Est multò melius Domino confidere, celsis,  
 Quàm Ducibus, summis principibusque viris.  
 Me gentes omnes circumstent vndique, pressum:  
 Afflictumque premant viribus indè suis.  
 Nil ero sollicitus, nam illas in nomine forti  
 Inuicti Domini mox superabo mei.

Frætus ego auxilio Domini velociter illas  
 Intrepidus perimam, nec mihi damna ferent.  
 Circudent, circumueniant me, in nomine solo,  
 Inuicti Domini victor inermis ero.  
 Et me sicut apes, circudent, vndique cingant:  
 Obsessum impugnent prodicione truci.  
 Et velut ignis edax spinas, stipulâsque volanti  
 Flamma consumit, continuóque cremat.  
 Sic illi ira accensi me consumere pergant:  
 Illorum in Domini nomine, victor ero.  
 Auxilio Domini frætus, victor que triumphans  
 His iugulum mortis, suppliciumque petam.  
 Me ad casum pellant, & trudent, ille monarcha  
 Conferet impauido robur, opemque mihi.  
 Est mihi materies, & robur carminis huius  
 Hic Dominus victor, spes mea, vita, salus.  
 Est idem mea firma salus, clypeúsque salutis.  
 Et me saluauit semper ab hoste fero.  
 Iustorum in castris, & lætis ædibus horum  
 Est vox lætitiæ, voxque salutis ouans.  
 In bello peperit victricis præmia palmæ  
 Inuicti Domini dextera valde potens:  
 Inuicti Domini victrix altissima dextra:  
 Victoris Domini dextera trophæa parat.  
 Et facit insignem celebri cum laude triumphum:  
 Crudeles hostes sub ditione premit.  
 O si non moriar, sed viuam, vt sapius huius  
 Hæc celebrem Domini fortia gesta mei.  
 Castiget Dominus, me flagris corrigat, at me  
 Ne morti tradat propter inane scelus.  
 Et bonitare sua faciat, quò viuere possim.  
 Iustitiæ portam vos aperite mihi.  
 Vt per eam ingrediar, Dominum laudémq; supremum:  
 Hæc etenim est Domini porta decora mei.

Transibunt iusti per eam, tibi pectore puro  
 Perfoluo grates (mi reuerende Deus)  
 Nam me exaudisti: cum tanta pericula ferrem:  
 Naufragio que meo factus es vna salus.  
 Ille lapis quem olim reprobarunt ædificantes  
 Angulus est, pinnæ, fortis & arcis opus:  
 Totius artis opus, caput est, & totius ædis:  
 Pars templi potior, summus & huius honos.  
 In potiore loco situs est, vt dignior, ille  
 Et primas partes totius arcis habet.  
 Firmiter ille duos parietes cogit in vnum:  
 Hos ligat, & firma copulat arte sibi.  
 Hebræos vnit, gentes vnitque rebelles.  
 Pugnantes cultu, religione, fide.  
 Ille lapis, Dominus, corpus coniunxit in vnum  
 Hos populos, illis paxque, salusque, fuit.  
 Est caput, & pastor Iudæis omnibus, atque  
 Gentibus, hic, Christus filius ille Dei.  
 Ex illis populis ab eo, hinc Ecclesia sola  
 Facta est, vnam illis construit ille fidem.  
 Catholicæ illius fidei, cœtusque fidelis  
 Est fundamentum, petræque, firma basis.  
 A cunctis populi Ducibus sum abiectus, at ipse  
 Sum electus princeps, Rexque fauente Deo.  
 Istud per Dominum factum est, mirabile signum  
 In nostris oculis, resque stupenda sibi.  
 Hæc est festa dies quam fecit maximus orbis  
 Rex Dominus, quam ornat laudis honore suæ.  
 Nos exultemus, cuncti lætemur in illa:  
 Lætitiæ formam, materiâque dabit.  
 Eia salua nos Domine, ô Domine in clypeo princeps  
 Nunc quæso, illustri prosperitate faue.  
 Hac in lætitiæ & supremæ luce salutis  
 Tu fac nos hilares, incolumésque, Deus:

Nobis optatam nunc adfer prosperitatem:  
 Fac, regno cedant prospera quæque meo.  
 O ter fœlicem, laude omni hic maior habetur  
 Qui venit in Domino nomine, sponte sua.  
 Qui venit à Domino nobis legatus in orbem,  
 Est fœlix, ille est vnica nostra salus.  
 Sit fœlix omen, vobis faustæque precemur:  
 Qui estis de Domini prædominante domo.  
 Omnipotens Dominus Deus illucescat abundè  
 Nobis, vos festum concelebrate diem.  
 Vos redimite diem festum illum frondibus, vsque  
 Ad sancti altaris cornua sacra Deo.  
 Es Deus ipse meus meritas tibi pectore mundo  
 Persoluo grates, es Deus ipse meus.  
 Eueho te, & summis extollo laudibus, & te  
 Mente colam Dominum, perpetuumque Deum.  
 Vos igitur Domino grates persoluite dignas  
 Illa perpetua pro bonitate sua.  
 Pro pietate sua Dominum celebrate potentem:  
 Vobis perpetuò namque benignus, hic est:  
 Est illi maior vestris clementia culpis:  
 Et sese vobis dat pietate sua.

PSALMVS CXIX.

Beati immaculati in via.

ἀνεπίγχατος

ARGVMENTVM.

*Anxia confessio est, quam nihil sint humana  
 absque verbo & doctrina Dei, & quam  
 vehementer ardeat fidelis mens  
 illius desiderio.*

N Aleph. Interpretatur, Disciplina.

Octonarius, i.

**F**œlices qui vitam illam sine crimine degunt:  
 Et gradiuntur in hac lege docente Dei.  
 Fœlices monitis qui parent dulcibus huius:  
 Et toto quærunt corde placere Deo.  
 Qui nullum vitium designant, sed pede firmo  
 Accipiunt illud quod patescit iter.  
 O Deus omnipotens, nihil æquè præcipis, illi  
 Quàm vt purè obseruent hæc sacra iussa tua.  
 O vtinam infirmi huc tendant vestigia gressus:  
 Vt rectè seruent hæc tua iusta (Deus)  
 Sic etenim nunquam pudefiam, cum tua iussa.  
 Omnia peruigili mente tenebo mea.  
 Iustitiæ si dicta tuæ me iura docebis:  
 Recto corde meum te celebrabo Deum.  
 Iusta tua obseruabo, ne vnquam (quæso) relinquis  
 Me, ad te confugio, ser mihi promptus opem.  
 In quo corrigit adulescentior viam.

Beth, id est domus, aliter confusio.

Octonarius, ij.

**Q**ua tandem re, mundum iter, hîc custodiat vltro  
 Mollis adulescens? Si tua verba tenet.  
 Toto corde meo te mi Deus ergò requiram:  
 Ne à iussis seduc me (pater alme) tuis.  
 Illo in corde meo ardenti tua verba reponam:  
 Quò minus hîc peccem (Rex generose) tibi.  
 Inclyte, tu Domine, & regnator Olympi:  
 Quicquid constituis, me modò (quæso) doce.  
 Oris vt ipsa tui laudabilis omnia iussa  
 Possim aptè labiis commemorare meis.  
 Vt monitis oblecter ego magis, ac magis, ipfis  
 Quàm innumeris opibus, quas vagus orbis habet.

Vt mediter tua iussa (Deus) mandatáque cuncta:  
Atque tuam videam, suspiciámque viam.  
Delectérque tuis præceptis, nec tua verba  
Obliuiscar ego (summe Monarcha Deus)

Retribue seruo tuo.

*a Guimel, id est plenitudo sine retributio  
Octonarius. ij.*

**I**Pse tuo seruo tu da mihi maxime princeps  
Vt viuam, & seruem dulcia verba tua.  
Adperias, oculos vt ego miracula legis  
Perspiciam, & mentis lumine, nosse queam  
Sum peregrinus ego in terra mysteria legis  
Ne me tu celes, nec sacra iussa tua.  
Nam desiderio iussorum ardente tuorum  
Rumpitur hæc mea mens tempus in omne, Deus.  
Execrandos iusto corripis ore superbos  
Qui à iussis errant, deficiúntque tuis.  
Eripe me à probro, & contemptu fastus iniqui:  
Vt monita obseruem (Rex generose) tua.  
Alta in sede duces consultant in mea fata.  
In iussis seruus cogitat ille tuis.  
Hæc tua iussa (Deus) sunt hæc mea gaudia, iusti  
Illa senatores, præpositique, mei.

Adhæsit pauimento anima mea.

*7 Daleth, id est timor, nativitas  
Octonarius. iiij.*

**T**Ristis humi hæc anima est defixa, ob nobile verbū  
Merescere ægrotum qui mala multa tuli.  
Ipse meas narrabo vias tibi corde fideli.  
Tu responde mihi, me tua iussa doce.  
Tu mandatorum mihi nunc ostende tuorum  
Verum iter, expendam facta stupenda tua.

Anxietate

Anxietate mihi mea mens hæc diffluit ægra:  
Verbo confirma me (Deus alme) tuo.  
Tolle viam falsam, & fucum, & mendacia vana  
A me, & lege tua tu miserere mei.  
Relligionis iter, fidei vestigia veræ  
Elegi, mihi (Rex) hæc tua iusta placent.  
Semper adhærescam monitis, tua iussa capeffam.  
Vt non confundas me, (Deus orbis amor)  
Sic mandatorum per iter, per dulce tuorum  
Curram, his exhilares cor modò triste meum.  
Legem pone mihi Domine.

*7 He, signat, est, vel vino.*

*Octonarius. v.*

**P**Ræceptorū iter edoce me Domine, vt benè seruem  
Hoc ipsum, donec vita superstes erit.  
Vt tuam ego legem tuear, seruémque fideli  
Toro in corde meo, me (Deus alme) doce.  
Dirige me per iter iussorum (obsecro) tuorum:  
Nam mihi plus vita, deliciis que, placet.  
Ad tua iussa mei inclina penerralia cordis.  
Non ad auaritiã quæ parit omne scelus.  
Errantes oculos tu transfer, nè vndique, cernant  
Vana, viáque tua sit data vita mihi.  
Sed seruo præfige tuo tua verba, fidelem.  
Quæ moneant ipsum ritè timore tuo.  
Tu tolle opprobrium quod ego formido frequenter:  
Iudicia hæc tua sunt dulcia, iuste Deus.  
Et tua iussa meo corde illo diligo, tu me  
Iustitia serues, sustineásque, tua.

Et veniat super me misericordia.

*7 Vau, id est ipse. Octonarius. vj.*

**O** Bueniat mihi (Rex) pietas tua valde benigna  
Et iuxta verbum dux tua certa salus.

v

Vt responsa feram dictanti turpia probra  
 Qui verbis habeo spemque, fidemque, tuis.  
 Ne vnquam illud verbum verum discedat ab ore:  
 Fido iudiciis, iustitiæque tuæ.  
 Ipse tuam legem obseruem per sæcula cuncta.  
 Vtteriùsque sibi si quid inesse potest.  
 Tutus ego incedam, gressus vestigia fulci.  
 Nam penitus quæro, quod mihi iure iubes.  
 Tunc audebo loqui tua coram regibus illis  
 Iusta edicta (Deus) nec pudor vllus erit.  
 Ipse tuis iussis totos delecter in annos.  
 Quæ firmo semper diligo corde meo.  
 Sponte manus ad amata mihi tua dulcia iussa  
 Tollam, in mandatis & meditabor ego.

## Memor esto verbi.

*Zaim, id est, huc vel duc te.*

*Octonarius vii.*

**I**Pse tuo seruo memora tua verba fideli:  
 Vt spem confirmes, sustineasque meam.  
 Rebus in afflictis hoc me solatur, & agrum  
 Erigit, el oquium viuificatque tuum.  
 Miris mille modis temnunt me sæpe superbi  
 Sed ne declinem à lege fauente tua.  
 Iudicia hæc æterna tua, (ò Deus alme) reuoluo,  
 Mecum, hic solamen mens mea tristis habet.  
 Istos infames sceleratos horreo totus.  
 Qui legem abiiciunt, destituuntque tuam.  
 Sunt perdulce mihi carmen tua iusta iocunda:  
 Dum illic sum toties exul, & hospes ego.  
 Nominis ipsa tui fit per me mentio nocte.  
 Vt legem obseruem (rex venerande) tuam.  
 Illud (quæso) mihi contingat, tempore toto.

Vt seruem quæ tu præcipis ipse mihi.

## - Portio mea Domine.

*Heth, alias cheth, id est pavor.*

*Octonarius viij.*

**E**N mea fors (Domine, ò Rex inclyte) totus in hoc sù.  
 Firmiter vt seruem verba benigna tua.  
 Toto corde tuum illum vultum deprecor, vt tu  
 Iuxta promissum des mihi promptus opem.  
 Mentem vias, vitamque meam complectar in horas:  
 Et referam gressus ad tua iussa meos.  
 Absque mora properem celeri velocius Euro:  
 Vt seruem obnixè iussa suprema tua.  
 Si me captiuum teneant hæc vincla malorum:  
 Ne tamen oblitus legis abibo tuæ.  
 Concubia nocte ad te laudandum ipse refurgo  
 Pro edictis iustis, iudiciisque tuis.  
 Cunctorum qui te metuunt comes vnus ego sum:  
 Et comes illorum qui tua iussa tenent.  
 O Domine omnipotens, cuius bonitate redundat  
 Omnis terra (precor) me tua iussa doce.

## Bonitatem fecisti cum seruo.

*Thet id est, bonum vel exclusio.*

*Octonarius ix.*

**O**Buincto seruo benefac supreme Monarcha  
 Iuxta sermonem, pollicitumque tuum.  
 Me bonum, & hanc disciplinam, sophiamque doceto.  
 Præceptis credo firmiter ipse tuis.  
 Antequam ego paterer iusto te iudice pœnas.  
 Hic delinquebam, sed tua verba colam.  
 Natura bonus es per eam ergò tu bonitatem

Summam, atque immensam me doce iussa tua.  
 Obtrudunt mihi nunc mendacia multa superbi.  
 Toto corde meo sed tua iussa sequar.  
 Horum cor, vt adeps est crassum, sed tamen alta  
 Mente tuam legem nunc meditabor ego.  
 Euge mihi quòd sum totas afflictus in horas:  
 Quòd didici vigilans hæc tua iussa, (Deus)  
 Pondo mille auri, aut argenti ô maxime princeps.  
 Dulcior est mihi lex oris amica tui.

Manus tuæ fecerunt me.

⁊ *Iob, id est scientia vel principium.*

*Octonarius x.*

**R** Itè tuæ fecère manus me, mèque pararunt:  
 Da mentem, vt discam splendida iussa tua.  
 Vt cum me videant, qui te modò iure verentur.  
 Latentur, verbis quòd benè fido tuis.  
 Quòd tua iudicia hæc sunt iusta, æquissime princeps  
 Noui, me fidei dexteritate, iuuas.  
 Me seruum bonitate tuum solare fidelem.  
 Hoc verbo es pactus, pollicitusque tuo.  
 Hæc tua grata mihi pietas occurrat, vt ipse  
 Viuam, nam legem cogito mente tuam.  
 Cum mihi subscribant mendacia falsa superbi:  
 Mox confundantur, sed tua iussa colam.  
 Pergrati mecum redeant, qui iure verentur  
 Te, qui & nouerunt sancta statuta tua.  
 In verbis, iussis que tuis sint viscera cordis  
 Integra, vt nunquam me pudor ipse tegat.

Defecit in salutare tuum anima mea.

² *Caph, incarnatus, longa militia.*

*Octonarius xj.*

**D** Eperit illa tuam optatam hîc anima ægra salutem  
 Nam verbo fido, (mi Deus alme) tuo.  
 Depereunt oculique mei tua verba, ferendo:  
 Cum mihi solamen (Rector amice) dabis?  
 Sum velut vter ego ad fumos suspensus iniquos.  
 Non tamen oblitus sum tua iussa, (parens.)  
 Quot sunt (quæso) dies serui qui sit tuus vltro?  
 Vltor in hoste meo quando seuerus eris?  
 Imam namque mihi foueam fodere superbi  
 Qui non incedunt lege iubente tua.  
 Omnia iussa tua hæc sunt vera, fidelia, recta.  
 Mendaces vexant me (Deus) adfer opem.  
 Me fermè in terram prostrarunt funditus illi:  
 Non tamen inconstans desero verba tua.  
 Oris vt ipse tui doctrinam, edictaque seruem.  
 Tu me viuifica pro bonitate tua.

Inæternum Domine.

⁊ *Lamed, id est cor seruitutis.*

*Octonarius xij.*

**D** Vlce tuum verbum cum cœlis constat in annos  
 Perpetuos, mundi conditor alme Deus.  
 Durabit tua vera fides per posteritatem  
 Omnem, vt iis digitis condita terra tuis.  
 Perpetuò hæc constant iuxta tua iussa verènda:  
 Nam imperio parent cuncta repenti tuo.  
 Hæc tua me nisi lex ægrum solata fuisset:  
 In mœrore graui mortuus ipse forem.  
 Ergò tui iussus capient obliuia nunquam  
 Me, hoc vitam seruas, exhilarasque mihi.  
 Sum tuus ipse (Deus) salua me, quæso benigne  
 O Rex, nam inquiri regia iussa tua.  
 Vt me peruersi perdant, mox insidiantur:



Sed mecum reputo quæ Deus ipse mones.  
 Interitura sibi contemplor cuncta, sed omnem  
 Excedunt finem iussa benigna tua.

### Quomodo dilexi legem tuam.

▫ *Men, id est viscera, vel dilectio.*  
*Octonarius xiiij.*

**T**orus ut ipse tuam illam legem diligo corde?  
 Hanc unam meditor, perpetuoque colo.  
 Me docuit tua Rex, ut ego prudentior essem  
 Hostibus, hæc mecum nocte, dieque manet.  
 Cautior ipse meis cunctis doctoribus hinc sum:  
 Nam leges alta mente reuoluo tuas.  
 Unico Senatores prudenti pectore, recta  
 Iussa etenim obseruo (Rex Deus alme) tua.  
 A via iniqua auerto pedes, ne ad lubrica tendant:  
 Ut seruem exactè verba diserta tua.  
 Ex his iudiciis quæ das, non ipse recedo.  
 Nam tu dux meus es fidus, & ipse comes.  
 Et quàm dulcia sunt (Domine) hæc tua verba palato?  
 His, mellis gustus dulcior esse nequit.  
 Intellectum habeo præceptorum ipse tuorum.  
 Hinc odio mendax desero prorsus iter.

### Lucerna pedibus meis verbum tuum.

▫ *Nun, id est pascua eorum.*  
*Octonarius xiiij.*

**H**æc tua verba, meis pedibus sunt clara lucerna:  
 Et rutilans lumen gressibus illa meis.  
 Iuravi, tùm constitui seruare per æuum  
 Iustum decretum, iudiciùmque tuum.

Sum afflictus vehementer ego, sed (Rex bone,) iuxta  
 Verbum, me repata, tuque medere mihi.  
 Sic oro (Domine) ut placeat tibi prompta loquela  
 Oris, ut edoceas me tua iudicia.  
 Hæc anima in somnem me iugiter admonet ægrum:  
 Ne obliuiscar ego legis ubique tuæ.  
 Peruersi laqueum ponunt mihi, non tamen illis  
 Omnibus à iussis fidus aberro tuis.  
 Perpetuò mea sunt successio (Rex) tua iussa:  
 Gaudia sunt, cordis delitiæque mei.  
 Propendit cor dulce meum dum perfruar aura:  
 Ut meritò faciam quod Deus alme iubes.

### Iniquos odio habui.

▫ *Samech, audi, vel firmamentum.*  
*Octonarius xv.*

**P**eruersos odi, sed mi Deus optime princeps  
 Hanc legem firmo diligo corde tuam.  
 Defensor, propugnator meus esto, benigne  
 Rex, fido verbo quod dare voce cupis.  
 A me vos reprobi discedite, semper ut illa.  
 Obseruem Domini iussa decora mei.  
 Me fulci sermone tuo, ut viuam (ò bone Rector)  
 Et ne me fallas spe vehemente mea.  
 Tu me sustenta, ut sum totot saluus in annos  
 Et semper mediter prospera iussa tua.  
 Sed conculca omnes qui ab eis quæ edicis, aberrant:  
 Vulpina horum fraus, calliditasque lenis.  
 Tanquam quisquillas terræ, tu perdis iniquos.  
 Omnes, hæc igitur diligo iussa tua.  
 Præ vehemente timore tui caro debilis horret:  
 Formidòque tremens hæc tua iudicia.

## Feci iudicium &amp; iustitiam.

¶ *Ain, id est oculus, vel fons,  
Octonarius xvj.*

**Q**uod iustum, atq; æquum est, faciam, oppressoribus  
Tu ne me dedas, dant mihi crimen atrox. (illis  
Ne mihi vim faciant crudeli mente superbi.

Instiga seruum hunc ad bona quæque tuum.  
Caligant oculi optatam expectando salutem

Ad iustum eloquium, polliciturque tuum:  
Pro bonitate tua cum seruo fac Deus alme.

Et quicquid mandas, me doce voce tua.  
Seruus ego tibi sum, doceas me blande magister:

Decretum ut noscam, percipiámque, tuum.  
Tempestiuum, est, ut facias Deus, illud, amicam

Legem euerterunt fraude, dolóque, tuam.  
Plus purgato auro, & pretiosa, & diuite gemma

Topazio rutilo, diligo iussa tua.  
Ergo recta sequor tua (princeps) omnia iussa:

Fallacésque omnes execror ipse vias.

## Mirabilia testimonia tua.

¶ *Phe, alias pe, id est errauit.  
Octonarius, xvij.*

**M**agnificæ sunt iure tuæ quas diligo, leges:  
Has ergo obseruat mens mea prompta sibi.  
Sunt adperta Deus, tua verba hæc, lumine donant

Verè humiles, dotes ingenii que ferunt.  
Sicut anhelus ego traho dulces spiritus auras:

Non aliter cupio dulcia iussa tua.  
Aspice me, miserere mei, miserere, perinde  
Atque his qui redamant nomen abundè tuum.

In tua verba meos gressus tu dirige, ut in me  
Hic nulla impietas regnet, (amicè Deus.)

Ex imposturis hominum tu me eripe, sanctas  
Ut seruem leges, quas iubet vnus amor.

Vultum ostende tuum seruo, bonitatis amore:  
Et doce me, quod tu (doctor amice) iubes.

Emanant oculi riuos, & flumen aquarum.  
Quod non seruetur lex tua, (summe Deus)

¶ *Isade, alias Zadis, qui est purus in omnibus,  
interpretatio etiam consolatio  
Octonarius xvij.*

## Iustus es Domine.

¶ *Isade, alias Zadis, qui est purus in omnibus,  
interpretatio etiam consolatio  
Octonarius xvij.*

**O** Domine alme Deus iudex tu iustus es, atque  
Iudicia hæc tua sunt æqua nitore suo.

Et quæ tu mandas, leges sunt vndique iustæ.

Et multum veræ, summe monarcha, Deus,  
Quod tua verba mei contemnunt sæpius hostes:

Me enecat afflictum zelus hic ille meus.  
Dulce tuum eloquium inflammat vehementer, & vrit:

Vnde tuus seruus, promptior, illud amat.  
Si sum paruus ego, & contemptus, non tamen (ò rex)

Obluiscor ego commoda iussa tua.  
Iustitia hæc tua, iustitia est æterna, per æuum

Lex tua vera, fides integra tota manet.  
Cum assequitur dolor, & vehemens angustia pressum:

Solamen miserò dant tua pacta mihi.  
Fac à me tua contestatio ritè sciatur:

Æterna, ut viam semper in æde tua.

## Clamaui in toto corde.

¶ *Coph, id est conclusio, vel aspice,  
Octonarius xix.*

**E**X toto te corde meo inuoco candide princeps:  
 Me exaudi vt seruem iussa factata tua.  
 Inuoco te (bone rex) vt me pietate benigna  
 Salues, & tuear quæ mihi lege iubes.  
 Maturè propero, & te (mi pater) inuoco supplex.  
 Fido tuis verbis quæ bona cuncta dabunt.  
 Nocte, sub excubias maturant semper ocelli  
 Vt mediter leges, eloquiũque tuum.  
 Pro bonitate tua tu vocem supplicis audi.  
 Et mihi tu vitam confer (vt ipse soles)  
 Vera à lege tua qui sunt procul, ecce propinquant:  
 Me lacerant probris, ludibriũsque suis.  
 In miseris rebus mihi tu Deus ocysus adsis.  
 Est tua firma fides pondere fulta suo.  
 Hoc à principio noui de legibus, illas  
 Quod tu fundasti, semper vt esse queant.

Vide humilitatem tuam.

¶ *Res, alias Resch, id est caput, primatus.*

*Octonarius xx.*

**T**V mala dura vide, afflictum tu respice, quæso:  
 Eripe me, legis sum memor ipse tuæ.  
 Adfere me, & iustam patronus suscipe causam  
 Me serua ex pacto, pollicitoque tuo.  
 Est procul à cunctis sceleratis aura salutis:  
 Non quærunt legem (rex venerande tuam).  
 Est tua multa Deus miseratio, da mihi vitam.  
 Hoc pro more tuo tu mea sola salus.  
 Quamtumuis agitent me multi sæuiter hostes  
 Non tamen à sanctis legibus erro tuis.  
 Criminis authores qui spernunt hæc tua iussa:  
 Cùm video, afflictus mæreo totus ego.  
 Ipse vides, quod ego tua iussa exosculor, ergò

Tu me viuifica pro pietate tua.  
 Omne tuum verbum verax est semper: in ærum  
 Est æquum, & iustum iudiciũque, tuum.

Principes persecuti sunt.

¶ *Scin, alias, sin, id est super vulnus.*  
*Octonarius xxxj.*

**I**Nfontem me insectantur, vexantque tyranni.  
 Sed timet, atque colit cor tua verba meum.  
 Gaudeo totus ego, nunc ad tua verba, perinde  
 Quando quis in prædam, diuitiãsque cadit.  
 Odi, & detestor mendacia vana, sed ore  
 Osculor hanc legem (mi Deus alme) tuam.  
 Térque, quatérque die, te laudibus effero, iusti  
 Propter iudicij facta probanda tui.  
 Est pax multa viris, sunt illis scandala nulla  
 Qui legem exoptant, depereuntque, tuam.  
 Tota mente tuam certam Deus alme salutem  
 Suspicio, & facio iussa verenda tua.  
 Obseruat, vehementer amat tua iussa, tuãque  
 Leges, (ò princeps) mens mea fida tibi.  
 Hæc tua præcepta, & leges seruabo fideles.  
 Namque meas omnes prospicis ipse vias.

Appropinquet deprecatio mea.

¶ *Tau, id est errauit, consummauit,*  
*Octonarius xxxij.*

**N**Vnc ad te penetret Domine hæc oratio crebra  
 Promisso, vt sapiam legis opera tuæ.  
 Ad te perueniat vox supplicis (ò Deus) vt me.  
 Promisso serues, eripiãsque, tuo.  
 Deproment mea labra tuum reuerenter honorem

Cum tua tradideris regia iussa mihi.  
 Alternis mea lingua canet tua verba iocunda:  
 Iussa tua omnia sunt iusta, benigne Deus.  
 Auxilio tua firma manus mihi protinus adfit.  
 Præcepta elegi, percipiique, tua.  
 Abs te promissam mihi (Rex) exopto salutem:  
 Et sunt deliciae lex tua sancta mea.  
 Ut te collaudet, mea mens, hæc viuat, honesto  
 More tuo, cum me iuueris (alme parens)  
 Perdita sicut ovis nunc erro, quaerito feruum.  
 Non obliuiscor splendida iussa tua.

FINIS OCTONARIORVM.

PSALMVS CXX.

Ad Dominum cum tribularer clamaui.

TITVLVS

*Ode Graduum.*

ARGVMENTVM.

*Inuocatio diuini auxilij aduersus ofores  
 & insidiatores.*

**C**um tribulor dulci patria deiectus, amicum  
 Ad Dominum clamo voce gemente meum.  
 Exaudit querulae suspiria tristia vocis:  
 Et mihi succurrit dexteritate sua.  
 O Domine, hanc animam à mendacibus eripe labris:  
 Illi ne noceat lingua referta dolo.  
 Ne dens viperens vel linguae virus iniquum  
 Pestiferum vulnus, perniciosumque ferat.  
 Lingua dolosa tibi quid fructus reddat, & addat?  
 Fortia præstanti spicula torta manu.  
 Fortia tela, leues, & acutas inde sagittas:  
 Carbones etiam quos nutrit ignis edax.  
 Illa quidem pungit, veluti vibrata sagitta:

Vrit & ut carbo quem rubra flamma fouet.  
 Perniciosa scithæ magis est hæc lingua ferocis:  
 Quam sint viru atro spicula tincta sibi.  
 Acrior hæc lingua est, flammis ardentibus ignis:  
 Cum per agros steriles arida sylua flagrat.  
 Hei mihi qui viuo inter barbara monstra per annos.  
 Longior exilij est ima ruina mei.  
 Exilium in Mesech patior. Cedar incola nunc sum  
 In summo luctu, tristitiaque graui.  
 Inter mæstorum tentoria, fixaque castra  
 Hic habito profugus tristis, & exul inops.  
 Adficit ægram animam mæsta hæc habitatio, summo  
 Contemptu inter eos qui fera bella monent.  
 Inter eos qui sunt ofores pacis amicæ,  
 Quos tantum feritas, barbariæque iuuat.  
 Languenti, tristisque animæ mora longa videtur.  
 Qua inuitus capior detineorque gemens.  
 Namque ego cum meditor pacem, isti prorsus adornat  
 Bellum atrox, odium, sanguineamque necem.

PSALMVS CXXI.

Leuau i oculos meos in montes.

TITVLVS.

*Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Vnde homini auxilium veniat.*

**A**d montes, oculos attollo, de quibus omne  
 Aduenit auxilium præsidiumque mihi.  
 Auxilium omne meum à Domino qui condidit orbem:  
 Qui cælum, & terram fecit in orbe suo.  
 Non dat ut ille tuus pes commoueat, & ille  
 Non dormit custos nocte, dique, tuus.  
 Non dormit custos Israël, sed neque stertit:

Nam Dominus custos est tuus, umbra tua.  
 Sollicita dextra ducit te, & fidus adhæret  
 Dux tuus, vt noceant nulla pericla tibi.  
 Vt lucente die non vrat solis hic ardor:  
 Nec te nocte, graui frigore luna premat.  
 Te fortis Dominus damno custodit ab omni.  
 Custoditque animam Rex Deus ille tuæ.  
 Ergò duce hoc Domino tibi nulla pericla nocebunt.  
 Curam animæ extremam nam geret ille tuæ.  
 Curante hoc Domino, tua quæque profectio tandem  
 Dulcis erit, cedent omnia læta tibi.  
 Et tuus in patriam reditus iucundus ab hora  
 Prima, vsque in vitæ funera, dulcis erit.

PSALMVS CXXII.

Lætatus sum in his.

TITVLVS.

*Dauid Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Laus Hierosolymæ, hoc est Ecclesiæ &  
 cuiuslibet piæ ciuitatis.*

**E**X animo toties his gaudeo qui mihi dicunt,  
 Visamus Domini limina sacra domus.  
 O vrbs Ierusalem tu fœlix visio pacis.  
 Stent nostri in portis, vestibulisque pedes.  
 Ierusalem forti quæ sic es condita muro:  
 Vrbs vt præclara nobilitate potens.  
 Vnanimis cuius ciues cumulantur in vnum:  
 In quam pacificus conuenit omnis homo.  
 In quam ascendunt ex agris, atque vrbibus, vna  
 Sponte, tribus, Domini qui regit astra, tribus.  
 Quam omnes Israël cœtus lætantur adire.  
 Vt laudis Domini confiteantur opus.

Vt laudent nomen Domini qui nobile cœlum  
 Infernum, & terram cunctaque scepra regit.  
 Israëlitis sunt hæc oracula sanctè  
 Edita, vt hoc anni tempore visa fores.  
 Ad sacros, festosque, dies ad te itur in anno.  
 Idque, rer obseruant vota dicata tibi.  
 Circulus hic anni stata sic sua tempora reddit:  
 Vt Dominus mandat legibus ille suis.  
 Tu iura, & leges das claris vrbibus, & tu  
 Reges augustos, magnificosque, nutris.  
 Te Dauid proles ducibus stipata, frequentat:  
 Et te principibus nobilitata, probat.  
 Namque hîc consistit solium venerabile sacri  
 Iudicij, atque domus Dauid hic ille thronus.  
 Ipsi Ierusalem placidam exoptate salutem  
 Et sint fœlices qui decus huius amant.  
 Quæ tu iure tenes, semper sint omnia salua:  
 Sit pax, & nemo nunc tua valla premat.  
 Adibus in sacris opulentia valde beata  
 Sit, regno cedant prospera cuncta tuo.  
 Propter fratres, & cognatos, iure salutem  
 Ipse libens toto corde rogabo tibi.  
 Ob Domini, nostrique Dei qui præsidet, ædem:  
 Omne bonum quæram, restituamque, tibi.

PSALMVS CXXIII.

Ad te leuavi oculos meos.

TITVLVS

*Ode graduum.*

ARGVMENTVM,

*Expectatio diuini auxilij.*

**A**D te qui cœlos habitas, ego subleuo recta  
 Fronte, meos oculos qui fera probra gemunt.  
 Vt feruorum oculi, Dominorum signa, manusque

Obferuant prompto lumine ſape ſuo.  
 Et vigiles oculi ancillæ famulantis inhærent  
 Intentis manibus proſpicientis heræ.  
 Sic oculi noſtri noſtrum Dominumque, Deumque  
 Intenti, exacto lumine, ſape vident.  
 Hunc illum obſeruant, donec ſub rebus acerbis  
 Proſtratos cernat nos pietatè ſua.  
 Tu noſtri miſerere Deus, miſerere malorum  
 Quæ nobis miſeris intulit hoſtis atrox.  
 Reſpice nos, multo contemptu, nam ſumus omnes  
 Nos ſaturi, probris nauſea noſtra pater.  
 Plus ſatiata ſatis, mens eſt hæc noſtra, potentum.  
 Faſtu importuno, ludibriòque graui.  
 Nos ita deſpiciunt, probris explèntque ſuperbi:  
 Vt ſimus ſaturi plus ſatis (alme Deus)

PSALMVS CXXIIII.

Niſi quia Dominus erat in nobis.

TITVLVS

*Dauid Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio eſt pro periculi declinatione.*

**A** Nobis Dominus niſi victor in hoſte, ſtetiffet.  
 Dic (quæſo) Iſraël, atque fatere tibi.  
 A nobis Dominus niſi victor in hoſte ſtetiffet:  
 Cùm in nos irruerent præ feritate, viri,  
 Iam degluſiffent nos viuos, ſæuiter in nos  
 Cùm illorum ardèret feruidus ille furor.  
 Iam nos afflictoſ merſiffent impete magno  
 Fluctibus in tumidis vndique, ſicut aquæ.  
 Nos vt torrentes curſu violente tuliffent  
 Nos inquam cinctoſ obſidione truci.  
 Iam ad noſtram hanc animam penetraſſet præpete curſu

Vnde

Vnda ſuperborum, naufragiumque ferox.  
 Sint grates Domino, qui prædam dentibus horum  
 Nos non obiecit, cùm furor eſſet atrox.  
 Venantum è laqueo volitantis paſſeris inſtar  
 Hæc noſtra euafit libera vita ſibi.  
 Fraſtus enim eſt laqueus, quid? nos euafimus omnes.  
 Et nos incolumes abſtulit ille Deus.  
 Auxilium noſtrum poſitum eſt in nomine forti  
 Inuicti Domini, perpetuèque Dei.  
 Qui fecit cœloſ, & terram, qui regit aſtra.  
 Quique ſub imperio continet orbis opus.

PSALMVS CXXV.

Qui confident in Domino.

TITVLVS.

*Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Fidelium conſtantia bona retribuere Dominum  
 mala verò impiis.*

**Q** Vi fidunt Domino, ſunt Zion montis ad inſtar.  
 Qui nunquam aufertur, præripiturque, loco.  
 Circum Ieruſalem, montes vt firmiter adſtant:  
 Sic circum populum ſtat Deus ille ſuum.  
 Nunc & in æternum cingit, munitque fideli  
 Præſidio populum, quem bonitate fouet.  
 Iuſtorum ſorti ne ſceptrum inſigne malorum  
 Immineat, iuſtoſ immeritoque premat.  
 Quò minus admoneant iuſti mala quæque ferentes  
 Patrandis vitiis, criminibusque, manum.  
 Ad tempus quamuis Dominus Rex iuſtus, & æquus  
 Iuſtoſ affligi, comminuèque ſinat.  
 Et ſinat hoſ trucibus ſubmittere colla tyrannis:  
 Non tamen hoſ temnet, deſtituètque, ſibi.

X

O Deus alme, bonis, & rectis corde benignus  
 Esto: illos meritò protege summe parens.  
 Illis tu benefac, confirma dulciter illos  
 Illis munificæ da pietatis opes.  
 At qui declinant toto cœloque recedunt  
 A recto fidei tramite, sponte sua.  
 Hos inter reprobos sceleratos ducit ad omnem  
 Æternam pœnam, suppliciumque, Deus.  
 Sed pax Israël sit tranquilla, atque beata:  
 Illi sit requies dulcis, & vna salus.

PSALMVS CXXVI.

In conuertendo Dñs captiuitatem Zion.

TITVLVS.

*Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio est pro liberatione, ex aliqua  
 vel tribulatione, vel captiuitate.*

**Q**Uum nos captiuos Zion, conuerteret ille  
 Omnipotès Dominus, qui domat agmen atrox.  
 Et cum nos profugos tristi reuocaret ab illo  
 Exilio nostro barbariæque rudi.  
 Restituit placidæ extorres nos ille quieti  
 In patriam, & mœstis gaudia plena dedit.  
 Tunc implebatur risu vehemente solutum.  
 Os nostrum, & cantu lingua sonora suo.  
 Tunc illæ gentes mirantes dona stupenda  
 Attonitis animis talia dicta dabant.  
 Res magnas Dominus fecit cum tristibus illis  
 Captiuis, illis commoda multa dedit.  
 Et certè fecit nobiscum magna, benignus  
 Rex Dominus, quòd nos tempus in omne iuuat.  
 Hæc in gratiam, & incolumem nostramque salutem

Hoc postliminii iure fauente dedit.  
 Vertisti Domine omnipotens tu ferrea vincla  
 Quæ nos captiuos impediere diu.  
 Non aliter quàm torrens cum exiccatur ab austro.  
 Flante, licet pluuias hauriat ille graues.  
 Qui sterilem in terram lachrymans sua femina iecit.  
 Collegit messes lætus abundè suas.  
 Ocyus ille sibi qui mœstus abibat, & hic qui  
 Flens, captum semen proiiciebat humi.  
 Iam, iam festinus redit, ingentèsque manipulos;  
 Cum magno plausu, lætitiæque, refert.

PSALMVS CXXVII.

Nisi Dominus ædificauerit domum.

TITVLVS

*Solomonis, Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Omne auxilium, & tutelam esse à Deo.*

**N**I Dominus princeps, moderator, & incola cœli  
 Seruet, & amplifcet, sustineatque domum.  
 Et nisi det gnatos, & opes, & culmen honorum:  
 Illaque quæ formant, constituuntque, domum.  
 Qui satagunt propriis componere legibus illam  
 Illaque conatu conciliare suo.  
 Insudant frustrà, nec præmia digna labore  
 Percipiunt vana commoditate sua.  
 Urbem ni Dominus custodiat, vndique frustrà  
 Excubias custos cinctus ab hoste, facit.  
 Solicitum vobis victum quicumque paratis  
 A somno, frustrà surgitis ante diem.  
 Frustrà protrahitis duros in nocte labores.  
 Ni vos Rex Dominus nocte, dièque iuuet.  
 Ille parat victum, dilectis datque quietem.

Ciuiibus, vt placido membra sopore leuent.  
 En isti sunt fors gnati, sunt cura peculi:  
 Et gnati Domini, progeniesque Dei.  
 Sic gnati, felix Domini successio, merces  
 Hæc illa est Domini, quam dat amore bono.  
 Sic gnati qui non quærentur merce laboris:  
 Vergula sunt Domini, proueniuntque piis.  
 Et fœtus ventris, titulo mercedis ab illo  
 Hoc Domino iusto, præcipuôque, datur.  
 Ille domum gnatis, & multa prole frequentat:  
 Huius dono, vxor fertilis esse solet.  
 Et dono ipsius coniux formosa, pudica.  
 Contingit, prolem format, alitque suam.  
 Hanc illam ingenuis prudenter moribus ornat.  
 Annos vt felix transigat illa suos.  
 Vt iacula in dextra herois victoris in hostes:  
 Sic iuuenes gnati quos regit vnus amor.  
 Quantum robur inest telis, subitísque sagittis:  
 Quas arcu fortis nunc iaculatur homo.  
 Tantum robur inest gnatis iuuenilibus annis  
 Quos Dominus dat eis qui reuerentur eum.  
 O ter felicem, qui ex illis ritè pharetram  
 Impleuit, nam nil, quo pudefiat, erit.  
 Nil metuendum erit illi, cum alta voce loquetur  
 Hosti, in porta vrbs, iudiciique throno.  
 Hic gnatis comitatus erit, iustéque repeller.  
 Omne sibi obiectum crimen ab hoste suo.

PSALMVS CXXVIII.

Beati omnes qui timent Dominum.

TITVLVS

Ode graduum.

ARGVMENTVM.

Que bona sequantur Deum timentes.

O Ter felices, nimum, nimumque beatos  
 Qui Dominum pura religione colunt.  
 Et qui illum (vt gnati) metuunt, & tramite recto  
 Nouerunt faciles ipsius ire vias.  
 Sic etenim manuum quæcunque labore tuarum  
 Quæseris, gaudens ipse fruere tibi.  
 O te felicem, iam térque, quaterque beatum:  
 Eueniunt votis prospera cuncta tuis.  
 Diues es, incassum neque tu colis arua paterna:  
 Innumeras messes hæc tibi culta dabunt.  
 Fundus & ille sinu qui semina parua feraci  
 Accepit, reddet fœnore magna tibi.  
 Casta tua hæc vxor fœcunda vitis adinstar  
 Quæ se diffundit per latus omne domus.  
 Indè tui gnati vt plantæ vernantis oliuæ,  
 Sunt, circum mensæ gaudia plena tuæ.  
 En illo pacto vir redditur ille beatus  
 Qui Dominum pura mente, fidéque colit.  
 Sic te de Zion Dominus ditabit, vt urbem  
 Ierusalem videas tempus in omne tuum.  
 Tempus in omne tuæ vitæ, sic ritè videbis  
 Felicem Solymam lætus, & huius opes.  
 Et simul aspicias iucunda luce tuorum.  
 Gnatorum gnatos, progeniemque tuam.  
 Aspicias inquam felicia fœdera sanctæ  
 Pacis in Israël, quam Deus ille dabit.

PSALMVS CXXIX.

Sæpè expugnauerunt me.

TITVLVS

Ode graduum.

ARGVMENTVM.

Sæpè numero afflictum, sed semper libera-  
 tum esse Israel.

X iij



**O**bfecro Israël dicat vexatus ab annis  
 Multis, tentarunt sæpè, nocere mihi.  
 A cunis ipsis, teneris annisq̃ue iuuentæ:  
 Sæpè oppugnarunt me feritate graui.  
 Sed non oppressum superarunt fraudibus, illi  
 Nil potuere dolis, barbariæque sua.  
 Omne meum supra dorsum vehementer ararunt:  
 Vt citò dictabat praua libido sibi.  
 Et sulcos duxere suos, sed iustus, & æquus  
 Rex Deus incidit vincula dura manu.  
 Incidit funes, & rupit vincla malorum  
 Quæ me captiuum detinuere diu.  
 Vt qui prorsus habent odiis capitalibus illam  
 Zion, præbuerint turpia terga fugæ.  
 Spèque sua instabili confusi funditus illinc  
 Abfuerint cursu præcipitante suo.  
 Sunt facti similes scæno, quod crescit in altis  
 Tectis, radices multiplicatque suas.  
 Quod Solis radiis exaruit omne, priusquam  
 Distringatùr in hoc falx violente manu.  
 De quo implere manum minimè dignatur hic aptè  
 Qui metit, & messem vult cumulare sibi.  
 De quo nec replet gremium qui ætate maniplos  
 Colligit, illud enim commoda nulla feret.  
 Huc qui prætereunt, messi bona nulla precantur:  
 Dicendò, ditet vos bonitate Deus.  
 Optamus vobis scelicem hoc tempore messem.  
 Per nomen Domini qui bona cuncta facit.

PSALMVS CXXX.

De profundis clamaui ad te Domine.

TITVLVS  
 Ode graduum.

ARGVMENTVM.

*Arsidua imploratio pro peccatorum  
 remissione, est.*

**I**nuoco te Domine, è tenebris, vndisq̃ue profundis.  
 Exaudi vocem tu Deus alme, meam.  
 Indè querelarum ad vocem, & lamenta mearum:  
 Aures attentæ sint tibi (summe parens)  
 Nam si tu Domine obserues commissa, quis (oro)  
 Non cadet, ô Iudex iuste, tremende Deus?  
 Debita nostra pari si vis appendere lance:  
 Ante tuum sed quis (quæso) tribunal erit?  
 Quis (rogo) iudicio sistet, quis ferre flagellum  
 Legitimum poterit (Rex metuende) tuum?  
 Sed placabilis es tu: vt te vereamur, & omnes  
 Ad legem inuites, sustineasque, tuam.  
 Est mea spes Dominus, quo mens mea fidit, in huius  
 Verbo, habeo firmam, continuamque, fidem.  
 Expectat Dominum mea mens ardentius, illi  
 Quàm noctis vigiles, manè, diemque, petunt.  
 Quàm vigiles (inquam) excubiis, somnòque grauati  
 Expectant somnos, manè, dièque, suos.  
 Israël Domino fidat, quoniam est apud illum  
 Tùm bonitas, hominum tùm genuinus amor.  
 Tùm ingens libertas, vitiis ex omnibus ipse  
 Liberat Israël pro bonitate sua.

PSALMVS CXXXI.

Domine non est exaltatum cor meum.

TITVLVS

Ode graduum.

ARGVMENTVM.

*Fidelium studium sese in hu-  
 militatè exercet.*

X iij

**C**Or meum in excelsō fastu non tollo, nec illos  
 Instabiles oculos effero, summe Deus.  
 Non in magnificis supra me rebus, & altis  
 Aut miris versor, simplicitate mea.  
 Non occulta mihi, maiorāque viribus vnquam  
 Aggredior, captu nec grauiora meo.  
 Sed pono hunc animum, & totas compesco per horas  
 Vt nihil elati fastus habere queat.  
 Non aliter quā infans depulsus ab vberē matris:  
 Qui solus gressum figere ritē nequit.  
 Matris at ille manu firma, fulcitur eundo:  
 Ne cadat incerta debilitate pedum.  
 Sic meus est animus simplex, à lacte renello  
 Abstracto, similis, nil sibi solus, habet.  
 Nil sine te posset, nisi fultus sit (Deus alme)  
 Hoc vno auxilio cunctipotente tuo.  
 In Dominum semper patiens hinc vsque per æuum  
 Israël sperat, fertque salutis opes.

PSALMVS CXXXII.

Memento Domine Dauid.

TITVLVS

*Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Deliberatio super ædificatione templi est iuncta di-  
 uini seminis, ac regni eius promissione, cuius  
 priscum templum, typus fuit.*

**O** Domine esto memor Dauid cum angoribus huius  
 Omnibus, arumnas, & mala dura tulit.  
 Antequam ad hoc regni culmen peruenerit, aram  
 Struxerit, hoc templum condideritque tibi.  
 Vt Domino, heroiūque Iacob iurauerit, atque  
 Vouerit, (ō clemens rex) meminisse velis.

Hic ædes non ingrediar (sibi dicit) & ipse  
 Non ascendam illud molle cubile meum.  
 Non indulgebo his oculis hoc tempore somnum:  
 Nec dabo palpebris dulce soporis onus.  
 Donec ego ipse locum Domino, templūque potenti  
 Heroi Iacob qui regit astra, parem.  
 Hunc illum ecce locum iam nos audiuius, altā  
 Urbis in Euphratæ finibus, atque locis.  
 Hunc placidum (inquam) syluosis reperimus in agris.  
 Ergò visamus templa dicata Deo.  
 Ergò visamus templa hæc quæ elegit, & vni  
 Quæ maiestati consecrat ille suæ.  
 Nos Domini excelsi sacram ingrediamur in ædem.  
 Nos prosternamus funditus ante Deum.  
 Atque pedum illius sanctum, sacrūque scabellum  
 Nos veneremur, amor, relligiōque mouent.  
 Illius numen sancto veneremur honore.  
 Hæc Deus elegit castra decora sibi.  
 Vt maneat illic tu surge (ō maxime princeps)  
 Hic semper maneat roboris arca tui.  
 Induat ille tuus pura cum mente sacerdos  
 Iustitiam, & sancti gaudia iusta ferant.  
 Tu propter Dauid seruum, ne differ in horas  
 Hunc Christi aduentum, lætitiāque tui.  
 Namque fide, Dominus, Dauid iurauit amico:  
 Quod non mutabit pacta, fidem que suam.  
 De ventris florente tui illo semine ponam  
 In solium iuris, iustitiæque, tuum.  
 Succedet tibi rex Solomon tuus inclyrus ille  
 Filius, & sceptrum, iudiciūque, feret.  
 Si fœdus, pactūque meum, legesque fideles  
 Obseruent gnati relligione tui.  
 Si obseruent leges quas illis iure docebo,  
 Quas voce adperiam, præcipiamque mea.

Iam in folio eccellente tuo per sæcla sedebunt:  
 Et gnati illorum scepra verenda gerent.  
 Hoc tua posteritas solium retinebit, & omnes  
 Miffa per innumeros scepra tenebit Auos.  
 Nam Deus elegit Zion, elegit & illam  
 In qua ædes figat, constituatque, sibi.  
 Hæc dicens, erit hîc requies mihi grata per æuum:  
 Hîc habitabo, illam diligo corde meo.  
 Et delector ea, annonam illius amplificabo:  
 Cunctarum hîc rerum copia diues erit.  
 Huius iciunos inopes saturabo per horas  
 Panibus, & dulcem suppeditabo cibum.  
 Ipse Sacerdotes huius fœlice salute  
 Induam ego, & Sanctis gaudia semper erunt.  
 Hîc faciam cornu Dauid florere, lucernam  
 Hîc, Christo ardentem conciliabo meo.  
 Induam ego infami & confuso sæpe pudore  
 Hostes illius qui mala quæque parant.  
 Sed super hoc, Regis florebit pulchra corona  
 Et populos princeps maximus ille reget.  
 Sub ditione sua reget æquora maxima ponti:  
 Vrbes instituet legibus ille suis.  
 Latas per terras longæua in sæcula claram  
 Transmittet famam nominis ille sui.

PSALMVS CXXXVII:

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum.

TITVLVS

*Dauid Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Charitate nihil esse antiquius.*

**E**N quàm iucundum est, en quàm res prorsus honesta  
 Vnanimis fratres cùm simul esse volunt.

Et cùm concordies habitant simul omne per æuum:  
 Dulcis & inter se fœdera pacis habent.  
 Hæc erit illorum concordia suauior illo  
 Fragrante vnguento, quod sibi sumit Aron.  
 Quod solet in caput, & barbam ipsius vndique fundi:  
 Vestis vt in fines & latus omne, fluat.  
 Sicut ros Hermon qui nunc descendit in altos  
 Hos montes Zion qui bona cuncta parit.  
 Est adeò suavis concordia mutua fratrum:  
 Et pax, quæ tali fragrat odore sibi.  
 Et quæ consimili ex Hermon pinguedine roris  
 In Zion montes, & iuga celsa fluit.  
 Ergò domos quas pax illa incolit aurea, dirat  
 Omnibus immensis, innumerisque, bonis.  
 Nam hîc vbertatem Dominus promisit opimam:  
 Promisit vitam perpetuamque fore.  
 Hanc opibus multis auget, dextraque benigna:  
 Commendatque vnum dulcis amoris opus.  
 Sic nobis animi pax est, requiesque beata.  
 Si nos diligimus mutuò sponte bona.  
 Illic cor vnum, atque anima vna in principe Christo.  
 Nam ros vnguenti spiritualis hic est.

PSALMVS CXXXIIII.

Ecce nunc benedicite Dominum.

TITVLVS

*Ode graduum.*

ARGVMENTVM.

*Exhortatio excubiarum ad laudem Dei.*

**E**N omnes serui Domini qui nocte silenti  
 Statis in æde Dei, tollite laudem Deum.  
 Laudate hunc Dominum sancta reuerenter in æde  
 Sublatis manibus, conueniente fide.

Et vos de Zion Dominus ditabit abundè  
Qui terram, & cœlos fecit in orbe suo.

P S A L M V S C X X X V .

Laudate nomen Domini.

T I T V L V S

A R G V M E N T V M .

*Laus publica vnius ac veri Dei.*

**V**Os serui Domini totum laudate per orbem  
Et laudate potens nomen vbique Dei.  
Quique ministratis Domini dominantis in æde:  
Quique illi obsequium, seruitiũque datis.  
Quique Dei nostri speciosa per atria templi  
Statis, vos laudes dicitè, sponte Deo.  
Vos laudate Deum terræ, cœlique Monarcham:  
Nam bonus est Dominus qui bonitate regit.  
Seruitium exhibitum Domino qui regnat vbique:  
Est regnum, quo nil dignius esse potest.  
Seruitium fœlix, quo nil augustius vnquam.  
Quo nil est maius, nobiliusque nihil.  
Psallite iucundi in laudem omnem nominis huius.  
Nam Iacob elegit Rex, Deus ille sibi.  
Hic etiam Israël elegit, cura peculis:  
Vt sit grata sui, perpetuũque decus.  
Vt sit ei veluti ornamentum, atque vnica gemma:  
Gemma quidem excellens, & pretiosa sibi.  
Nam scio quòd Dominus noster Deus est super omnes  
Externosque Deos magnus honore suo.  
Omnibus ille diis virtute potentior extat:  
Rex noster Dominus qui regit omne solum.  
Quicquid enim Domino placuit, perfecit in astris  
Et cœlo, & terra. cæreleoque mari.  
Hic simul in cunctis vastæ telluris abyssis

Quod voluit, fecit vi dominante sua.  
Adducit nubes à terræ finibus, illas  
In cœlum è terræ visceribusque trahit.  
In pluuiam vertit mox ignea fulgura, ventos  
Profert de loculo, quos citò flare iubet.  
Qui citò primitias hominum, pecorũque per oras  
Ægypti ferit cunctipotente manu.  
In mediũque tui (ò ingrata Ægypte) tremenda  
Portenta immisit, signaque fienda tibi.  
Hæc etiam in Pharaona tuum dimisit, & illos  
In seruos omnes huius, & huius opes.  
Qui gentes magnas solus percussit, & illos  
Occidit validos, magnanimosque duces.  
Occidit reges fortes qui bella parabant  
Fortia, victrici rupit hic arma manu.  
Gentis Amorrhææ prostrauit cæde Sionem  
Regem, prostrauit Regis & agmen humi.  
Og Regem Bafan deleuit, & omnia regna  
Vastauit Chanaan qui metuendus erat.  
Ipforum terram veluti patrimoniam iusta  
Israël populo tradidit ille suo.  
Vt foret illius iustus possessor, & hæres  
Huius, & hæredis iure teneret agros.  
O Domine alme tuum nomen perdurat in annos  
Æternos, fixum nec sibi tempus habet.  
O Domine alme tui solennis mentio passim  
Ad totum venit posteritatis opus.  
Namque suum populum Dominus Rex vindicat, illum  
Liberat atroci victor ab hoste suo.  
Se gerit in seruos proprios clementer, & huius  
Gratia cum seruis semper amica redit.  
Gentiles statuz, argentum sunt profusus, & aurum:  
Has hominum doctæ, composuere manus.  
Eminet os illis, sed non illæ ore loquuntur.

Illis sunt oculi, nil ramen inde vident.  
 Extus habent aures, sed non audire valerent.  
 Illis sunt nares, nil tamen vsus habent.  
 Ori nullus inest rubicundo spiritus acri  
 Nec pulsare sua guttura voce potest.  
 Illarum authores factis simulantur, & omnes  
 Qui ponunt in eis spemque fidemque, suam.  
 Tu verò domus Israël, Iacob ipsius ampla  
 Posteritas, lauda qui regit astra, Deum.  
 O Aaron Domus, illi tu offer munera laudum:  
 Hunc lauda leui tu generosa Domus.  
 Qui Dominum colitis, Dominum laudate fidelem:  
 Laudibus egregiis hunc celebrate Deum.  
 Laudatus Dominus de Zion monte sacrato  
 Vobis qui Solymæ templa decora colit.  
 Excelsum Dominum totum laudate per orbem.  
 Huius & immensum commemorate decus.

## PSALMVS CXXXVI.

Confitemini Domino quoniam bonus

## ARGVMENTVM.

*Publica gratiarum actio est.*

**I**mmensas summo Domino persoluite grates.  
 Nam bonus est vobis & bona quæque dedit.  
 Illius pietas æternos durat in annos.  
 Qua cunctos gratis iustificare solet.  
 Sponte Deo regi illustri, summoque deorum  
 Dicite vos grates, & celebrate Deum.  
 Illius pietas, huius clementia summa  
 Est æterna sibi, perpetuèque manet.  
 Vos grates Domino Dominorum semper habere.  
 Illius pietas summa, perire nequit.  
 Qui solus portenta facit miranda per orbem.  
 Huius enim bonitas tempus in omne viget.

Qui cum prudenti fecit ratione micantes  
 Cælos, nam pietas huius amica manet.  
 Qui super immensi spatiantes æquoris vndas  
 Expandit terram pro pietate sua.  
 Illius vbertas pietatis tempore nullo  
 Deperit, & nunquam iure perire potest.  
 Obscuro mundo qui fecit lumina magna.  
 Æterna nobis nam pietate fauet.  
 Hic fecit solem, vt præsit splendore diei:  
 Nam pietas huius maxima semper erit.  
 Hic fecit lunam, stellas, & sydera cæli:  
 Vt nocti præsent luce micante sua.  
 Vt noctis tenebras dispellant lumine claro.  
 Huius enim pietas nocte, dièque, micat.  
 Qui ingratham Ægyptum percussit verbere duro  
 Cum primogenitis, primitiisque suis.  
 Huius in æternum summæ pietatis abyssus  
 Immensas cunctis dat bonitatis aquas.  
 Horum de medio Israël eduxit amicum  
 In libertatem pro pietate sua.  
 Eduxitque manu forti, atque extendit in hostem  
 Brachium, vt attonitum sterneret agmen humi.  
 Hostis terrifici populum saluauit ab armis.  
 Semper enim populo sponte benignus erit.  
 Qui rubrum mare per partes diuisit, & vndas.  
 Quamuis nos ab eo diuidat omne scelus.  
 Huius per medium Israël traduxit, & ille  
 Perpetuus nobis dux pietatis erit.  
 Ille mari rubro Pharaonem cum agmine forti  
 Inuoluit, semper seruat ab hoste suos.  
 Ille suum populum, desertum eduxit in agrum.  
 Æternæ illius sunt pietatis opes.  
 Qui Reges magnos validis percussit in armis.  
 Æterna est pietas valde benigna Dei.

Et reges fortes armatos victor inermis  
 Occidit, bonitas huius amica fauet.  
 Gentis Amorrhææ insignem virtute Sihonem  
 Mactavit pœna, supplicioque necis.  
 Sed pietate sua nos semper fuscitat ægros.  
 Et solita superat se bonitate sua.  
 Og regem Basan spoliavit lumine vitæ.  
 Perpetuò gnatos non finet ille mori.  
 Hostibus euersis victores efficit illos  
 Quos semper larga pro pietate regit.  
 Tradidit ipsorum terram omnem iure tenendam.  
 Aeternas nobis dat pietatis opes.  
 Vt terræ Israël seruus possessor, & hæres  
 Esset, nam semper dat sua regna suis.  
 Qui cum deiecti, morbis pressique iacemus  
 Est nostri immensa pro bonitate memor.  
 Ille suos semper rex clemens respicit ægros.  
 Sanat eos, illis & pius esse solet.  
 Hostibus armatis redimit nos prorsus inermes.  
 Ille salutem offert, cum fera bella premunt.  
 Omnia qui nutrit sapiens animalia terræ:  
 Atque omni carni dat bonitate cibum.  
 Huius enim totos clementia durat in annos.  
 Omnibus & nobis dat bonitatis opem.  
 Iure Deo Domino cœlorum reddite grates.  
 Huius enim pietas hæc sine fine manet.

PSALMVS CXXXVII.

## Super flumina Babylonis.

ARGVMENTVM.

*Planctus captiuorum in Babylonia cum  
 comminatione vindictæ Dei.*

**A**D Babylonis aquas habitauimus, vnâque sedes  
 Ad tigrim Euphratem lætificumque fuit.

Cum

Cum tamen hæc Zion tristissima mentio nobis  
 Esset, & illius sæpe rediret amor.  
 Fleuimus, & votis optauimus omnibus, huius  
 Perdulcis patriæ prosperitate frui.  
 Mærores omnes effudimus, atque querelas:  
 Hic erat exilium, barbariæque ferox.  
 Ad salices, tacitas citharas suspensimus, istic  
 Destructum ob templum, nil nisi luctus erat.  
 Qui nos captiuos sorte infœlice tenebant:  
 Cum arguta peterent carmina grata chelys  
 Et rursus peterent à nobis tristibus hymnos.  
 Quos reddebamus relligione Deo.  
 Dicebant nobis, hæc Zion carmina læta  
 Vos canite in laudes, & decus omne Dei.  
 Nos Zion patriæ memores respondimus ipsis  
 Inter tot luctus, tristitiâque graues.  
 Quo pacto carmen Domini cantare iuuarer:  
 Cum extorres tellus nos peregrina tenet?  
 Et si me vlla tui in lachrymis obliuio capret  
 Ierusalem, si non sum memor ipse tui.  
 Obliuiscatur, citharæ dediscat & artem  
 Hæc mea carminibus dextra dicata tuis.  
 Hæc mea lingua meis iam faucibus omne per æuam  
 Intus adhærescat, nec queat illa loqui.  
 Si memor ipse tui non sum, nec fecero primam  
 Hierusalem, quandò gaudia plena feram.  
 Si non prætulero luctum, celsâque ruinas  
 Hierusalem, studiis, lætitiâque meæ.  
 Tu sed Idumeos memori complectere mente:  
 Et repetere hos hostes (iuste monarcha Deus)  
 Urbis vt in sanctæ gratibus fecere ruinis.  
 Vt dixerè simul corde furente sibi.  
 Hierusalem nunc vos euertite, cunctaque ferro  
 Vos vastate, domos concremet ignis edax.

Y

A fundamentis excindite funditus illam:  
 Vt prorsus pereat nomen, & huius honos.  
 Infœlix eris, ô Babylon, licet ipsa superba  
 Tu sis, te miserè flamma cremabit atrox.  
 O ter fœlicem, qui te dignissima soluet  
 Præmia, pro damnis quæ modò læta dabas.  
 Nunc exultabas perfrecta fronte, sed ille  
 Valde beatus erit qui tibi tanta feret.  
 Qui meritò tibi reddet, quæ in nos ausa fuisti  
 Horribili, atque truci seditione tua.  
 Fortunatus erit victor qui vlttricibus ignis  
 Flammas consumeret tecta, domosque tuas.  
 Fœlix, qui infantes hoc matris ab vberè raptos  
 Ad petram allidet, quandò superba cades.

PSALMVS CXXXVIII.

Confitebor tibi Domine in toto corde.

TITVLVS

David.

ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio est pro quotidianis beneficiis.*

**E**X hoc corde meo toto, sempérque fideli  
 Perfoluam grates (summe monarcha) tibi.  
 Atque inter summos (ô rex clarissime regum)  
 Hymnis, & psalmis te celebrabo Deum.  
 Ad templum quod sponte colit tua regia sancta  
 Maiestas, supplex te venerabor ego.  
 Et celebrabo tuum nomen, quia valde benignus.  
 Es Deus, & bonitas est genuina tibi.  
 Es Deus in verbis constans, sempérque fidelis.  
 Ergò tuam certam commemorabo fidem.  
 Iuxta dulce tuum nomen tu námque fidelem  
 Sermonem seruas, magnificásque, tuum.

Dulce tuum nomen præclarum (rex bone) reddis  
 Implendo pacti fœdera sacra tui.  
 Rebus in afflictis cum te (Deus) inuoco supplex.  
 Respondes, & spem tu bonitate foues.  
 Tu languentem animam locupletas robore forti:  
 Et firmas verbis (rex venerande) tuis:  
 Te reges terrès celebrabunt (mi Deus) omnes:  
 Cum capient oris verba diserta tui.  
 Et iuxta Domini ritum, cultumque fidelem  
 Cantabunt, quòd sit gloria magna Dei.  
 Quòd sit multum ingens, maiestas principis huius:  
 Huius & immensus, clarus, & altus honos.  
 Nam cum sit Dominus toto sublimis in orbe.  
 A summis cœlishic tamen ima videt.  
 Eminus elatum cognoscit vt atterat illum;  
 Indignus summo cum sit honore Dei.  
 Per medias vndas pelagi, mihi si fit euandem:  
 Si mihi proponant mille pericla necem.  
 Si nunc descendam medios moriturus in hostes:  
 Vitam defendis dura per arma, meam.  
 Me reficis, dextrâque tua victrice furorem  
 Horum compefcis, ne mihi damna ferant.  
 Ipse manum fortem tu victor mittris in illos:  
 Atque horum subitò bella superba domas.  
 Me dextra omnipotente tua (rex optime) saluas:  
 Et presso incolumis stat mea vita mihi.  
 Perficit vndique me Dominus Deus, omnia pro me  
 Expedit, est solus victor in hoste meo.  
 O Domine alme Deus bonitas tua durat in æuum:  
 Perpetuò bonitas hæc tua summa, manet.  
 Ne nunc ergo sinas labi, hæc opera alta tuarum  
 Illarum manuum, conditor alme Deus.  
 Contemptrum defende citò, ne (quæso) moreris:  
 Vt tu cœpisti perge fauore tuo.

## Domine probasti me.

## TITVLVS

*David adhortatorij generis Ode.*

## ARGVMENTVM.

*Perficacia diuinæ sapientia describitur, ac bonitas sancta precatioe aduersus impium.*

**M**E petuestigas Domine, & tu qui omnia passim  
 Nosti, perspectum me tibi prorsus habes.  
 Vt sedeam, & surgam, tu scis, qui cernis vbique:  
 Tu scis, quicquid ago, tu mea sensa vides.  
 Omnia nota tibi soli sunt extus, & intus.  
 Hæc mea nunc penitus sunt adaperata tibi.  
 Ipse mei victus rationi prospicis, & tu  
 Me de longinquo (Rex Deus alme) foues.  
 Hoc iter omne meum dispensas optime ductor.  
 Dispensas gressus, accubituque meum.  
 Circum me semper resides, tu semper & adstas:  
 Atque meas omnes prospicis ipse vias.  
 Quin ne verbum vllum possit mea lingua sonare,  
 Quod non exactè noueris (alme Deus)  
 Vocula non à me sese depromere possit:  
 Quæ non sit penitus cognita tota tibi.  
 Ipse meam mentem, & vocem præcurris, apertè  
 Quid sim dicturus noscis, & ipse vides.  
 Antequam ego ipse loquar, tu mentis sensa profunda  
 Nosti, tu penetras omnia mente tua.  
 A fronte, & tergo finxisti me, Deus author  
 Admota propria, sollicitaque manu.  
 Id neque mirandum solum contingere debet.  
 Namque mihi mentem mens tua sancta dedit.  
 Hunc animum siquidem mira largitus es arte.  
 Finxisti partes corporis inde mei.

Ingenij, tum indicij subtilis acumen  
 Das mole in parua, cum ratione mihi.  
 Sensibus hanc paruam præstanti in corpore molem  
 Tu mira exornas nobilitate tua.  
 Hancque bonis animi, & naturæ dotibus imples:  
 Hanc imples opibus, diuitiisque tuis.  
 Hic excellenti inseritur par gratia formæ:  
 Hicque venustatis, colloquiique, lepos.  
 Artis mirificæ mihi moles cognita nunquam:  
 Excedit captum mentis, & omne decus.  
 Infirmum ingenij captum superabit in æuum:  
 Ars tua namque mihi grandis abyssus inest.  
 Immensum artis opus tantæ non assequor, illud  
 Scire nec exacta cum ratione queo.  
 Alta à mente tua quod nunc fugitiuus abirem?  
 Omnibus es presens totus vbique Deus.  
 Et quonam ipse tui declinem spiritus auras:  
 A facieque tua quæ fuga certa foret?  
 Ad cælos si nunc perrexero, tu Deus istic  
 Es, vigilem curam, fersque, refersque, mei.  
 Inde ego ad infernos si nunc decurrero luctus:  
 Non abes, hic tu ius, iustitiâque facis.  
 Auroræ celeres crocæ si sumpsero pennas:  
 Et si sol cursum iunxerit ille mihi:  
 Solis ad occasum si sum citò raptus ab ortu  
 Contingente mihi præcipitante fuga.  
 In pelagi extremis si habitauero finibus, istic  
 Dux mihi ritæ præest hæc tua celsa manus.  
 Et tua dextra tenet volitantem præpete penna  
 Ad pontum hesperium per maris omnis iter,  
 Et cum sic mecum staruo, fortasse tenebræ  
 Me abscondent umbris, crassitiæque sua.  
 Nox igitur sit lux mea, quid? mea & intima sensa  
 Detegat in vultu cuncta vidente Dei.



Iam neque sic tenebræ tenebescunt nocte silenti  
 Vt non perspicias semper vbiq̃ue, Deus.  
 Nox, vt clara dies lucet tibi, namque perinde  
 Sunt lux, & tenebræ, nil tua sensa laret.  
 Omnia clara tibi vno mentis cernis in istu.  
 Verus sol mundi, lumine cuncta replet.  
 Occultos renes cunctos mentisque recessus,  
 Interioris, habes sub dititione tua.  
 Tu me inuoluisti grauida genitricis in aluo.  
 Et summi artificis nobile texis opus.  
 Corporis hæc compago, tuæ miracula dextræ  
 Solertiisque animi valde stupenda refert.  
 Immensas habeo tibi puro pectore grates:  
 Cùm abs te mirificè sim procreatus ego.  
 Est opus omne tuum multùm mirabile cunctis  
 Quod mea mens nouit vi vehemente sua.  
 Ingenuè id mea mens nouit, semperque fatetur:  
 Hoc supra captum nec reticere potest.  
 Corporis ossa mei cernis, tu conditor alme:  
 Nec te claustra mei pectoris vlla latent.  
 Quamuis totus ego sub inertis pondere pressus  
 Sim occulto factus, compositusque, loco.  
 Et si infra contextus humi (vt textum arte tapetum)  
 Sim è neruis, venis, carnibus atque cute.  
 Omnibus his tumida prægnantis matris in aluo  
 Me factum informem construis arte tua.  
 Cùm rude matris adhuc, informèque semen adesset  
 Vnde gemens infans exoriturus eram.  
 Tu penitus cernis me matris inutile pondus:  
 Et me, tu formas hoc opus omne tuum.  
 Errorisque meos, massam informemque, repente  
 Inspiciunt oculi vi penetrante tui.  
 Et veluti in libro cuncti scribuntur, & illic  
 Omnia tu vitæ tempora scripta vides.

Hic menses, nostrique dies formantur apertè:  
 Quùm nondùm ex illis vllus in orbe foret.  
 At mihi summe Deus qui nutu cuncta creasti.  
 Qui mira mundum dirigis arte tua.  
 Quàm pretiosi, atque eximij sunt semper amici  
 Illi, quos dignos ducis amore tuo?  
 Quantus hic est numerus capitû horû in signa, triûphos  
 Hostibus euerfis (te duce) iure ferunt.  
 Quando recensere hos pergo maris huius arenam  
 Exuperant turmis, agminibusque suis.  
 Experrectus adhuc tecum sum, & totus in horas  
 Sum in miris factis, consiliisque tuis.  
 Quàm ingentes horum facte sunt vndique summa?  
 Totus in his vigilo, deficiòque mihi.  
 Nùm peccatores occides (mi Deus) à me  
 Vt fugiant prauis, sanguineisque viris?  
 Qui tibi nunc toties audaci fronte rebellant?  
 Qui de te immeritò probra pudenda vomunt?  
 Hostes sponte tui temerè qui semper in altum  
 Extolluntur in hac ambitione sua?  
 Nõne tuos (Domine) o fores capitaliter odit?  
 Non sum infensus eis qui tibi damna volunt?  
 Nõne tuos vigilans excandeo totus in hostes?  
 Illos summo odio prosequor (alme parans)  
 Namque mei illi hostes facti sunt nec sine causa  
 Hostibus ex illis vllus amicus erit.  
 Me (Deus) explora, & cordis penetralia nosce:  
 Mèque proba, & mentis dispice sensa mea.  
 Tu latebras omnes animi cognosce, recessus  
 Huius cerne, oculis omnia nuda tuis.  
 Et si fortè viam, callèmq̃ue laboris adesse  
 Cernis, in æternam me reuocato viam.  
 Inque viam æternam me (quæso) reducito, cunctis  
 Promissam electis qui tua iussa colunt.

## Eripe me Domine ab homine malo.

## TITVLVS.

*David adhortatorij generis Ode.*

## ARGVMENTVM.

*Orat vt Deus, à maledicis, ac insidiatoribus  
liberet, finem asperum impiis, letum  
bonis promittens.*

**A** Laqueis hominis tu me defende inaligni  
 (O Domine) incauto nè mihi damna ferant,  
 A violente viro custodi me Deus, atræ  
 Infidias mortis tendit vbique truces.  
 Qui mala consilia accipiunt in corde doloso:  
 Concinnant omni tempore bella mihi.  
 Virulentam linguam acuunt serpentis ad instar;  
 Aspdis admixtum virus, in ore fouent.  
 Pestifer illorum sermo, est in pectore clauso  
 Sub linguæ ancipitis vulneris arte, latens.  
 E reprobî pugnace manu tu me vndique serua,  
 Et me custodi de violente viro.  
 Lubricum in errorum labyrintho inuertere gressum  
 Fraudibus instituunt, vt titubare queam.  
 Occultum incauto laqueum abscondere superbi:  
 Rete expanderunt funibus indè mihi.  
 Et posuere suas pedicas, laqueosque latentes  
 Iuxta iter, obfessus quò graditurus eram.  
 Nunc igitur dico Domino, meus es Deus, ægram  
 Exaudi vocem, nec (rogo) sperne preces.  
 Omne meæ robur tu mi Deus esto salutis  
 Et tege tu, armorum tempore, triste caput.  
 Hoc caput armasti quoties mihi cum hoste superbo  
 Armato vndique, se pugna cruenta dedit.

Sis instar galeæ mihi tu Deus, hostis iniquus  
 Dum toties in me ferrea bella gerit.  
 Ne desideris impende rebellis iniqui  
 Nec voti compos possit hic esse sui.  
 Eius conatus ne perfice, quominus hic se  
 Efferat, & cristas erigat ille suas.  
 Hoc ita non fiet, punit Deus ille superbos:  
 Et iusta pœna, supplicioque, premit.  
 Pravi consilij tristis labor obruat horum  
 Et caput, atque ducem qui mihi bella parant,  
 Qui circumueniunt me sæuis vndique bellis  
 Mox pereant studiis, consiliisque suis.  
 Ardentes in eos prunæ, flammæque voraces  
 Missæ, de cœlo, syderibusque, cadant.  
 Deiciantur in ignem atrum, foueamque profundam:  
 Vt nequeant illi surgere sponte sua.  
 Ne consistat homo linguæ, telluris in orbe,  
 Nec cædis cupidus, proditor, atque loquax.  
 Prorsus ad interitum, violentum, siue malignum  
 Venentur, (sicut commeruere) mala.  
 Subuertet scelus hunc sceleratum & denique diris  
 Obiiciet furiis vt sua flagra ferat.  
 Nam scio quòd Dominus rex iudex iustus & æquus  
 Iudicium afflictò iure iubente facit.  
 Vindicat hic inopes ex oppressoribus, æquum  
 Supplicium iusta cum ratione capit.  
 Sed iusti meritò celebrabunt ore fideli  
 Augustum, & summum nomen vbique tuum.  
 Et recti incedent coram te (ò rector olympi)  
 Et vultum cernent, conspicièntque tuum.  
 E regione tui vultus splendente sedebunt:  
 Cœlesti viuent semper in arce tua.

## Domine clamaui ad te exaudi me.

TITVLVS

*Ode David.*

ARGVMENTVM.

*Orat vt os suum custodiat, & in contubernium  
impiorum ne incidat, neque in illorum manus.*

**I** Nuoco te Domine, assiduas ne sperne querelas:  
Ad me tu propera, nec mihi differ opem.  
Attende huic tremulæ voci, mœstis que querelis:  
Ad te dum clamo supplice voce mea.  
Illa sit incensum clamosa oratio, coram  
Te ardentem flammam dulcis amoris habet.  
Sit tam grata tibi, quam thus quod fumat ad aram  
In cultum, placidum seruitiumque tui.  
Et manuum toties erectio facta mearum:  
Sit sacrum, quod agit vesperis hora Deo.  
Pone ori indomito frenum, foribusque meorum  
Labrorum excubias pone benigne Deus.  
Ad rem peruersam quam odi cane peius, & angue  
Debile cor labi ne patiare meum.  
Vt lene consilium capiat cum fraude maligna  
Vel cum peruersis, pestiferisque vitis.  
Et ne deliciis ipsorum perfruar vnquam.  
Delectet stomachum nulla rapina meum.  
Quando cunque volet iustus, me verbere plectat.  
Id ducam officij, pro meriti que loco.  
Increpet vsque licet, verbis moneaturque seueris:  
Et faciem austeram significare velit.  
Corripiat flagris, vulnus graue non erit illud.  
Hoc medicamen erit, dulcis & vna salus.  
Vnguentum infundet capiti, caput ille dolore

Non lædet, meritum conferet ille mihi.  
Damna ferant reprobi, sed adhuc ego sponte precabor  
Horum pro vitio, flagitio que graui.  
Ast offendebant ad petram sapius horum  
Rectores qui non debita iura dabant.  
Sæpe meis sed adhuc verbis foelicibus illi  
Tunc auscultabant, cum sibi læta forent.  
Nostra ossa hæc dispersa iacent, sunt illa soluta  
Horrendæ mortis præ vehemente metu.  
Ac veluti dum quis terram discindit, & indè  
Perfodit, hi vires sic secuere meas.  
Debile corpus, ad hoc peruenerat vsque sepulchrum  
Et capulo instabat debilitate sua.  
Ad te sunt oculi intenti noctesque, diesque  
O Domine omnipotens, & Deus ipse meus.  
Te fido, hanc animam afflictam, ne summe Monarcha  
Exhauri, nec me morte perire sine.  
Serua me à laqueo quem occultis fraudibus illi  
Expandere fera prodicione mihi.  
Ex offendiculis horum qui crimen iniquum  
Patrant, eripe me, ne mihi damna ferant.  
Interea dum præteream, sim saluus ab illis.  
In sua peruersi retia iacta cadant.

PSALMVS CXLI.

## Voce mea ad Dominum clamaui.

TITVLVS.

*David admonitoria: cum esset in  
spelunca, Oratio.*

ARGVMENTVM.

*Oratio est in angustia constituti.*

**C**lamo voce mea ad Dominum abditus exul in antro:  
Clementi Domino supplico voce mea.  
Et coram Domino tristes effundo querelas:

Anxietatis ei profero fata mea.  
 Ante ipsum alta voce immensum expono dolorem;  
 Afflicti que animi vulnera prodo mei.  
 Dum meus hic animus telis confossus acutus  
 Iam prope desperat, nilque salutis habet.  
 Dum mœrore graui se totum conficit ægrum:  
 In fontem tu scis me Deus ista pati:  
 Hoc iter omne meum nam tu cognoscis apertè,  
 Perspicis, & vitam, iustitiámque meam.  
 Semitam ad hanc rectam qua incedo, fraude latente  
 Rete expanderunt in mala quæque mihi.  
 Ipse meam dextram perpende, & tu inspice, nullum  
 Ex notis cernes, inueniẽsque meis.  
 Hic perit effugium, nec adest Deus optime, qui sit  
 De vita affectus, sollicitusque, mea.  
 Ad te igitur clamo Domine, ac ego dico, querelis  
 Obrutus, es mea spes vnica, certa salus.  
 Viuentum in terra dulci, cœloque beato.  
 Es mea tu felix portio, summe Deus.  
 Ergo attende meis precibus, tibi postulo supplex  
 Illud, nam exhaustus sum vehementer ego.  
 Fac Deus omnipotens, vt iam sim liber ab illis;  
 Qui mala dant misero non toleranda mihi.  
 Præualidis præstant, & sæuis viribus illi,  
 Rebus in afflictis auxiliare mihi.  
 Educ de neruo, & nigris his carceris vmbris  
 Hanc animam, quam nunc obsidet hostis atrox,  
 Nomen vt ipse tuum celebrem, quod si mihi dones,  
 Iusti gaudebunt se sociare mihi.

PSALMVS CXLIII.

Dñe exaudi orationẽ meã, aurib<sup>9</sup> percipe.

TITVLVS.

Ode David.

ARGVMENTVM.

Oratio in angustia constituti.

V Ora, precèsque meas (ò clemens mi Deus) audi  
 Supplicis & serui percipe (quæso) preces.  
 Et vera, & constante fide, pactoque fideli.  
 Iustitiâque tua ser mihi promptus opem.  
 Iudicium sed non in eas cum paupere seruo.  
 Et cum illo, summo non age iure tuo.  
 Si nos accusas, quis te subsistere possit  
 Iudice? Quis plagas sustineatque graues?  
 Quis sic iustus erit, quem non reprehendere possis,  
 Si spectes vitæ crimina iuste Deus?  
 Non absoluetur certè è mortalibus vnus:  
 Si tu nos æqua pendere lance velis.  
 Magna tua hæc pietas ius leniat omne seuerum  
 Vt gratis pateat dulce salutis iter.  
 Ad pietatis opes curro, pietatis abyssus  
 Hæc seruare humilem sola, repentè potest.  
 Languenti vitæ sæuissimus imminet hostis.  
 Conculcaturus me violenter humi.  
 Mèque locaturus tenebrosi in carceris vmbras  
 Quas desperati morte feroce, colunt.  
 Obscuris habitare locis me cogit, & illis  
 Quæ defunctorum mœsta sepulchra tenent.  
 Hinc fit, vt hæc in me mea mens incerta fatiscat:  
 Et malè, cor sese torqueat omne meum,  
 Desperandum intra me cor sæpè grauatur:  
 Se, luctu mea mens conficit ægra suo.  
 Ipse tamen memini benè prisca temporis, illa  
 Omnia nunc recolo facta stupenda tua.  
 Facturam manuum repeto alta mente tuarum:  
 Ad te expando manus supplice sponte meas.  
 Ad te de terra sitiienti clamat in horas

Hæc mea mens quæ te nocte, dièque, sitit.  
 Arida terra cupit pluuiam, sic languidus vnum  
 Auxilium imploro, percipiòque, tuum.  
 Mi Domine accelera, subito, nè (quæso) moreris:  
 Vt mihi subsidium pro bonitate feras.  
 Spiritus afflictus mœrore hîc deficit, à me  
 Nè vultum abscondas, abiiciàsque, tuum.  
 Illis nè fiam similis, qui in triste sepulchrum  
 Demigrant, clemens tu Deus esto mihi.  
 Ipse tuam immensam bonitatem, tēque benignum  
 Ocyus exponas, spes mea sola manes.  
 Fido tibi soli, vnus totus pendeo de te.  
 Quà incedam, notam fac mihi (quæso) viam.  
 Nam ad te sponte meam egram mentem dirigo, summo  
 Te desiderio mens mea tota cupit.  
 Eripe me Domine, ex furibundis hostibus, ad te  
 Confugio, soli me tibi credo, Deus.  
 Me ignarum doceas operari nocte, dièque.  
 Quod placitum est (ô Rex semper amande) tibi,  
 Namque Deus meus es, te toto diligo corde.  
 Ex anima tota, mentēque, semper amo.  
 Et tuus alme pater me spiritus ille benignus  
 In terram rectam dirigat arte sua.  
 In terram innocuæ vitæ deducat, & ille  
 Ad te nos ducat, détque, salutis iter.  
 Propter dulce tuum nomen, placidumque fauorem  
 Me refice, & vitam confer, amice Deus.  
 Et per iustitiam ex illis angoribus artis  
 Educ hanc animam, quam mala sæpe mouent.  
 Crudeles bonitate tua tu funditus hostes  
 Subuerte, in fonti prælia dura gerunt.  
 Perde inuicte Deus princeps exercitus, omnes:  
 Qui tribuunt animæ tristia damna meæ.  
 Seruus ego tibi sum, tu me Deus optime serua:

Vt tibi seruitium (quando iubebis) agam.

PSALMVS CXLIIII.

Benedictus Dominus Deus meus, qui do.

TITVLVS

David.

ARGVMENTVM.

*Gratiarum actio, & oratio est, vt Deus ab hostibus liberet, & ad vitam necessaria suppeditet.*

**G**Ratiæ, & immensæ laudes, & maxima virtus  
 Sint Domino, belli, militiaeque Deo.  
 Qui mihi perfugium tutum est in rebus acerbis.  
 Qui inuictum tribuit robur, opemque mihi.  
 Qui docet ad pugnam mea brachia dura, manusque:  
 Et qui armat digitos in fera bella meos.  
 Solus hic est mihi iucunda expectatio, firmum  
 Est munimentum, præsidiumque meum.  
 Arx mea fortis hic est, meus est hic ille redemptor.  
 Ille, meum scutum, cum premit hostis atrox.  
 Ille, meus clypeus, quo fido victor in armis  
 In quo spem pono, constituoque, meam.  
 Qui mihi subiectum populum moderatur, vt ille  
 Pareat edictis, imperioque, meo.  
 Quis tandem est homo, quod tu princeps nobilis illum  
 Agnoscis, cupidus, sollicitusque, vides?  
 Aut quis, hic est hominis gnatus, quod sume Monarcha  
 Hunc reputas, curam semper & huius habes?  
 Est homo persimilis nihilo, nihilòque creatur:  
 Figmentum est fragilis, pertenuisque luti.  
 Somnium inanis hic est vmbra, est hic inanis imago.  
 Quo nec bulla leuis, vanior esse potest.  
 Hic, vapor est fumi, volucris nil vanius illo  
 Eius, præteriens sunt velut vmbra, dies.

Tu tamen hunc princeps summo dignaris honore:  
 Atque amplecti illum sponte fauente, cupis.  
 Cùm inflectis cœlos Domine, & descendis, in hostes  
 Irruis, horum acies, armæque sæua premis.  
 Quùm tangis montes, & fumant, quando coruscas,  
 Fulgure, dispergis victor acerbus eos.  
 Tu mittis iacula, & tu perdis, & vndique turbas  
 Hos victrice tua cunctipotente manu.  
 Ergò tuam tu mitte manum Rex victor ab alto:  
 Fac Deus, vt modò sim victor in hoste meo.  
 Libera, & eripe me de immensis fluctibus, illa  
 Barbaries populi ne mihi damna ferat.  
 De vi alienorum tu me Deus erue, tu me  
 De violente manu protege, summe parens.  
 Quorum os vipereum loquitur mendacia vana.  
 Sed fallax horum est dextra, nihilque potest.  
 Vt tibi voce nouum carmen Deus inclyte princeps  
 Cantem, & commemorem fortia gesta tua.  
 Vt decachordo, alto nablo, citharæque sonanti  
 Hic psallam laudes, auxiliùmque tuum.  
 Qui victor Reges donas victrice salute  
 Et palmæ cingis nobilitate tuæ.  
 Qui benè seruasti à gladij violente periclo.  
 Hunc Dauid seruum qui tibi cuncta vouet.  
 De vi alienorum tu me Deus erue, tu me  
 De violente manu protege, summe parens.  
 Quorum os vipereum loquitur mendacia vana:  
 Et fallax horum est dextra, nihilque, potest.  
 Me ex manu atroci, tormentoque tyrannidis horum  
 Qui te spreuerunt, erue, iuste Deus.  
 Peruersæ gentis rabidos comepesce furores  
 Quæ prauis labiis probra nefanda vomit.  
 Et pius hic miles generosum (quæso) triumphum  
 Fac, referat fortis victor in hoste domum

Fac

Fac, pax, & requies nostris in sinibus ipsis  
 Regnent, barbaries exulet ista sibi.  
 Vt nostri gnati plantarum ruris ad instar  
 Crescant à teneris, ynguiculisque, suis.  
 Filiolæ pulchræ niteant, vt in æde columnæ.  
 Quas polit artificis docta, lenisque manus.  
 Omnigenis rebus pennaria nostra redundant:  
 Plenæque sint nobis horrea fruge bona.  
 Annonas omnis generis dent vndique cellæ:  
 Dent oleum, & fructus, purpureùmque merum.  
 In villis nostris in millia, millia centum  
 Lanigeri excrescant nocte, dièque, greges.  
 Sint validi ad rigidum, & durum, ingentem laborem  
 Nostri fœcundi, cornigerique boues.  
 Plaustra trahant opibus iucundis semper onusta  
 Quæ vitæ nobis commoda lata ferant.  
 Ne nostros minuat trux machina bellica muros  
 Nec ciues, seruos, hostis acerbus agat.  
 Nec patriæ fines, & dulcia rura relinquat  
 Gens abducta hostis sub ditione graui.  
 Sed suspensa iugo veniant ad aratra iuenci  
 Et findant terram, quæ ferat omne bonum.  
 Quæ reddat varias magno cum fœnore messes.  
 Et facilem victum fundat, & addat, opes.  
 In domibus nostris opulentis nulla ruina  
 Sit, nullum vitium possit inesse sibi.  
 Nulla sit in nostris plateis querimonia, nulla  
 Hic vox tristitiæ flebilis esse queat.  
 O ter fœlicem populum, qui talibus istis  
 Gaudet in hac vitæ prosperitate bonis.  
 O ter fœlicem populum, nimiùmque beatum:  
 Cuius hic est Dominus solus in orbe Deus.

Z

Exaltabo te Deus meus rex.

TITVLVS.

Davidis collaudatio.

ARGVMENTVM.

*Collaudatur Deus ab omnipotentia, bonitate,  
providentia, & iustitia.*

**O** Deus, atque meus rex: te exaltabo, benignum  
Laudabo nomen tempus in omne tuum.  
Te semper celebrabo, tuum nomenque supremum  
Laudibus, ad cœli sydera celsa feram.  
Laudibus id tollam, donec mihi vita manebit:  
Et donec corpus spiritus ille reget.  
Est magnus Dominus, terram, cœlumque gubernat.  
Ille potens, sapiens, & generosus, hic est:  
Omnibus ille modis est dignus laude perenni:  
Maiestatem huius noscere nemo potest.  
Peruestigari nec posset maxima virtus  
Illius, immensus nam sine fine manet.  
Omnis posteritas hæc omni posteritati  
Commendabit opus (mi Deus alme) tuum.  
Virtutemque tuam dicer, semperque loquetur,  
Sed maiestatem commemorabo tuam.  
Augustæque tuæ altum maiestatis honorem  
Eloquar, & nullis iure tacebo vitis.  
Ipse tuas amplas laudes narrabo frequenter:  
Atque tuum excellens, magnificumque decus.  
Et tua gesta loquar cunctis memoranda per ævum.  
Ad laudem hinc omnes extimulabo tuam.  
Vis mirabilium multum miranda tuorum  
A me dicetur (rex metuende Deus)  
Et quàm sis magnus, pro viribus omnibus ipse

Narrabo, robur nec reticebo tuum.  
Illa tuæ immensæ bonitatis mentio cunctis  
Fiet percelebris, nam bonus esse soles.  
Iustitiæ ille tuæ splendor cantabitur, illum  
Omnes cum plausu, lætitiæque canent.  
Est mitis Dominus, clemens, & tardus ad iram.  
Pronus, ut ignoscat pro pietate sua.  
Omnibus est Dominus dulcis, multumque benignus.  
Illius in cunctis fulger amandus amor.  
Erga opus omne suum placidum pietate perenni  
Vtitur, & summi nil sibi iuris habet.  
Ergò, opus omne tuum, celebrat te (mi Deus alme)  
Immenas grates & tibi semper agit.  
Immenas etiam grates tibi pectore puro  
Sancti certatim, magnificèque ferunt.  
Magnificumque tui regni reuenter honorem  
Commemorant, decus hoc nec reticere queunt.  
Quàm sis omnipotens audaci voce loquuntur:  
Narrant virtutem (summe monarcha) tuam.  
Ut referant hominum gnatis tua fortia gesta:  
Victricisque manus clara trophæa tuæ.  
Ut decus hoc amplum, & splendorem nobilis huius  
Regni significant, edoceantque, tui.  
Regnum illustre tuum floret per sæcula cuncta:  
Semper floret honos regius ille tuus.  
Imperiumque tuum sese diffundit ad omnes  
Progenies magnæ posteritatis Adam.  
Omnipotens Dominus bene fulcit viribus omnes,  
Qui sunt casuri nec titubare sinit.  
Et bonitate sua collapsos erigit, atque  
Erectos agiles, incolumèque fouet.  
Expectant oculi cunctorum te Deus alme:  
Tempore das illis conueniente, cibum.  
Porrectamque manum, referas, & diues abundè  
Z ij

Omne animal saturas, si premit ægra famas.  
 Omnibus ille modis Deus est super omnia iustus.  
 Omnia disponit cum ratione sua.  
 Omnibus in factis pius hic, & sanctus habetur:  
 Supplicibusque suis hic pietate fauet.  
 Dulcis adest cunctis animo vocitantibus illum:  
 Illum dum vocitent ex operante fide.  
 Hic desiderium sese reuerentibus implet.  
 Horum clamores audit hic aure sua.  
 Audit & exaudit vocem clamoris eorum.  
 Illis & tutam fert citò promptus opem.  
 Omnes defendit Dominus, placidè que tuetur.  
 Qui sincero illum pectore semper amant.  
 Iustitiæque sua sceleratos dissipat omnes.  
 Has Domini laudes eloquat ore meo.  
 Omne illi viuens, sanctum huius nomen honore  
 Insigni celebret, perpetuòque, colat.  
 Laudet, adoret, amet, totum veneretur in æuum  
 Si quid & hoc vltra est, si quid & esse potest.

## PSALMVS CXLVI.

Lauda anima mea Dominum, laudabo.

## TITVLVS

## ARGVMENTVM.

*Solum Deum esse, cui fidendum sit.*

**O** Mi anime huc Dominum lauda. laudabo potentem  
 Hunc Dominum, vitæ tempus in omne meæ.  
 Rebus in humanis dum præsens vita manebit:  
 Sponte Deo psallam nocte, dièque meo.  
 Principibus nolite viris confidere, cuiquam  
 Aus hominum vanæ posteritatis Adam.  
 Nulla salus illis, nullum seruare valerent:  
 Nec quemquam possent ritè beare virum.

Corporis è vinculis, dum spiritus euolat, illo  
 Ex homine, ad terram triste cadauer abit.  
 Hæc caro de terra sumpta est, terramque reposcit:  
 Et reperit formam, materiamque suam.  
 Sic in humum corpus mortale reueritur, ille  
 Hic immortalis spiritus astra petit.  
 Omnia tunc pereunt hominis fallacia sensa:  
 Ipsius & studium, consiliùmque perit.  
 Eius conatus pereunt, consulta diuque  
 Irrita vanescunt, & per inane fluunt.  
 O felicem, cuius robur, Rex Deus ille  
 Quem coluit sacra relligione, Iacob.  
 Cuius spes est ad Dominum, quem diligit, & quem  
 Laudat, vt æternum, propitiùmque Deum.  
 Qui fecit cælos, terram, pelagusque profundum  
 Et quicquid mundi machina tota capit.  
 Qui fidem in æternum seruat, qui vlciscitur omnem  
 Vim illatam oppressis, qui probra dura ferunt.  
 Qui tribuit victum dulcem esurientibus, & qui  
 Soluit captiuos, quos fera vincla premunt.  
 Hic ille est Dominus, qui lumen amabile cæcis  
 Restituit, lapfos erigit, atque leuat.  
 Hic ille est Dominus qui iustos diligit, & qui  
 Veræ iustitiæ iura sacrata colit.  
 Qui peregrinorum curam gerit, & fouet illos:  
 Excipit hospitio fidus amicus eos.  
 Orphanum, & viduam defendit, & ille malorum  
 Damnat, & euertit cum ratione, viam.  
 O Zion Dominus Deus hic tuus omne per æuum.  
 Regnat per totum posteritatis opus.  
 Halleluja canant omnes, & laudibus illum  
 Qui terram, & cæli condidit astra, ferant.



## Laudate Dominum quoniam bonus est.

## ARGVMENTVM.

*Collaudatio Dei est, ab omnipotentia à bonitate, & providentia.*

**V**Os laudate Deum Dominum qui sæcula voluit.  
 Námque bonum est nostro psallere voce Deo.  
 Læta quidem, & pulchra est laudatio, conuenit illi  
 Gloria, laus, & honos, perpetuumque decus.  
 Hierusalem instaurat Dominus Deus, & decus vrbi  
 Restituit, ciues congregat ille suos.  
 Exulis Israël dispersos colligit vltro:  
 Contritos sanat corde gemente viros.  
 Alligat ipsorum mala vulnera, sæpe dolores  
 Illorum curat læuiter arte sua.  
 Vt chirurgus amat summos vincere dolores  
 Illorum, vt medicus dat medicamen eis.  
 Agmen stellarum numero complectitur, atque  
 Omnes ex proprio nomine, ritè vocat.  
 Est magnus Dominus noster, supremaque virtus  
 Illius immensa est quis benè noscat eum?  
 Huius notitiæ, & mentis sapientis abyssi  
 Est nullus numerus, nec modus esse potest.  
 Alleuat afflictos Dominus pietate benigna:  
 Deicit ad terram funditus ille malos.  
 Alternis Domino laudem, summòsque triumphos  
 Decantate, Dei vos celebrate decus.  
 Cum cithara resonante Deo vos psallite nostro:  
 Ipsi & nomen vos celebrate chely.  
 Qui liquidis operit cælum ingens nubibus, aptam  
 Vt terræ pluuiam fertilitate paret.

Qui summos montes viridanti gramine vestit.  
 Qui dat iumentis nocte, dièque cibum.  
 Dátque cibum coruis, & pullis dulcibus horum  
 Qui summum illius numen, opémque, vocant.  
 Armati hic equitis non gaudet robore duro  
 Nil facit in bello fortia crura viri.  
 Nec placet effera vis, robustus & ille lacertus  
 Militis, hunc illum dura nec arma iuuant.  
 Huic nec ritè placent ocreæ, nec robur equorum  
 Qui pedibus subitis in fera bella ruunt.  
 Sed benè gaudet eis qui illum reuerentur, & huius  
 In bonitate, fidem constabilire solent.  
 Lauda Hierusalem, Dominū, Dominumque. Deumque  
 Tu Zion lauda, magnificaque tuum.  
 Qui benè confirmat vestes, & claustra tuarum  
 Portarum, vigili sedulitate sua.  
 Incolumèsq; tuos ciues qui reddit, & auget.  
 Et benedixit eis, & bona cuncta dedit.  
 Quique tuos intra fines sacra fœdera pacis  
 Ponit, vt hîc pacis floreat alma quies.  
 Te similia farris satiat, vehementer opima:  
 Respondet votis omnibus ille tuis.  
 Qui cum mandatum terræ demittit in orbem  
 Ipsius currens quàm citò sermo volat?  
 Ille niuem reddit lanæ candentis ad instar.  
 Vt cinerem, nebulam dissipat ille leuem.  
 Et sicut cinerem findit, spargitque pruinam:  
 In varias partes vt fluat illa suas.  
 Sicut planitiem, glaciem cum grandine dira,  
 Proicit, & cursu præpete sistit aquas.  
 Coram huius gelido, & penetranti frigore, sed quis  
 Stare diu poterit, quandò rigescit hyemps?  
 Cum rursus iussum mandat, simul illa liquefcunt.  
 Et solis radiis liquitur omne gelu.

Horribilem ventum dominati voce reducit  
 Et subito riuu, tum pluuiæque fluunt.  
 Dulce suum verbum Iacob, hic exponit, & illi  
 Israël iussu, iudiciūque refert.  
 Non facit hoc vllis externis gentibus, illas  
 Quæ ignorant leges, iudiciūque Dei.  
 Halleluia omnes recinant, Dominūque benignum  
 Magnificent, huius commemorētque decus.

PSALMVS CXLVIII.

Laudate Dominum de cælis:

TITVLVS

ARGVMENTVM.

*Vniuersarum rerum cohortatio est  
 ad laudem Dei.*

**D**E cælis omnes Dominum laudate potentem:  
 Hunc & in excelsis tollite laude sua.  
 Laudibus immensis illum celebrate Monarcham  
 Angelici cætus, militiaque Dei.  
 Laudibus egregiis omnis tu exercitus huius  
 Ipsum concelebra, commemoraque Deum.  
 Sol, & Luna illum Dominum laudate per orbem:  
 Stellæ omnes, & lux glorificate Deum.  
 Cæli cælorum Dominum laudate supremum:  
 Ipius immensum nec reticete decus.  
 Vos & aquæ quæ sub cælis rutilantibus estis:  
 Eximias laudes concelebrate Dei.  
 Laudate hoc Domini nomen, nam cuncta creata  
 Sunt huius iussu cunctipotente Dei.  
 Ille hæc constituit bene, vt omni tempore durent:  
 Hæc legem quam non transgredientur, habent.  
 Ille dedit iussum, quod nunquam prærerietur  
 De terra, ceti tollite laude Deum.

Vos & abyssi omnes Dominum laudate, fideles  
 Adducetis ad hoc nobile laudis opus.  
 Ignis, grando, nix, & camna, & ventus, & ingens  
 Turbo, qui flatu commouet omne solum.  
 Estis facturæ verbi illius, atque clientes,  
 Et facitis, quicquid mandat in orbe Deus.  
 Montes, & colles, & terræ totius arbor  
 Quæ cunctis fructus commoda magna refert  
 Omnes & cedri virides, animalia quæque  
 Omnèque iumentum, reptiliūque greges.  
 Alaræ volucres, & reges totius orbis.  
 Qui terras habitant, & sua sceptrā gerunt:  
 Atque duces omnes, populi, & quicumque ministrant.  
 Omnibus æquum ius, iustitiāque, viris.  
 Imberbes iuuenes, teneræ, castæque puellæ  
 Cum pueris, cani, sollicitique senes.  
 Collaudent nomen Domini dominantis vbique  
 Omnia qui propria sub ditione regit.  
 Cuius solius sublime est nomen in orbe.  
 Cuius laus, & honos alta per astra vigent.  
 Cuius laus superat terram, cælosque nitentes:  
 Cælum, infernus, & hæc terra fatentur eum.  
 Ille sui populi cornu, roburque salutis  
 Restituit solita pro bonitate sua.  
 Gloria cunctorum sanctorum est ille suorum  
 Gnatorum Israël qui veneratur eum.  
 Israël populus Domini, Dominoque propinquus.  
 Hunc igitur iusta relligione colit.  
 Omnibus ille bonis hunc illum namque beaut:  
 In stirpem elegit, constituitque suam.  
 Sic videt hîc fidei, atque spei, & constantis amoris  
 Lumine, clementem, pacificūque Deum.  
 Halleluia sonent omnes, hic cautus amicus.  
 Est Domino, vox est lætitiæque noua.

Cantate Domino canticum nouum.

TITVLVS

ARGVMENTVM,

*Ecclesiæ cohortatio ad laudem Dei, ac Oratio vt  
victorem reddat populum suum.*

**V**Os cantate Deo Domino noua carmina laudum:  
Vos hymnos illi commemorate nouos.  
Sanctorum vnanimi in cœtu, totaque caterua  
Laus eius resonet, crescat & huius honos.  
In factore suo Israël lætetur & hic Rex  
Sit Zion gnatis gratus honore suo.  
Exultent in eo, hunc Regem reuerenter adorent:  
Et gnatae Zion gratificentur ei.  
Et choro honesto, huius celebrent laudabile nomen:  
Vna fides hic sit, charus, & vnus amor.  
Tympano, & arguta cithara modulante, triumphos  
Ipsius, & laudes, atque trophæa canant.  
Namque suum populum summo conseruat amore.  
Hic in eo sese iactitat, atque placet.  
Subleuat afflictos humiles, quos ille saluti  
Restituit, sancti gaudia plena ferant.  
Et cum magnificis exultent laudibus illi  
In thalamis referant iubila grata suis.  
Sint Domini laudes placidis in faucibus horum:  
Illorum exaltent guttura læta Deum.  
Ore suo resonent illius fortia gesta:  
In manibus gladios ancipitesque gerant.  
Vt iustam capiant vindictam è gentibus, atque  
Corripiant populos, qui scelus omne patrarent.  
Vt Reges horum immanes, tumidosque, catenis

Nectant, & ferre fortia crura ducum.  
Et grauibus pedicis, & ferri compede dura  
Primates rigidos sub ditione premant.  
Vt grauis ille rigor vindictæ fiat in illos:  
Vt scriptum à Domino littera sacra docet.  
Omnibus eueniat præclara hæc gloria sanctis  
Inuicti Domini qui fera corda domat.  
Hoc decus omne Deo tribuent, celebresque triumphos  
Nobilis & palmæ præmia iusta ferent.  
Sic res hæc illis meritò vertetur honori.  
Et fama illorum valde celebris erit.  
Halleluia omnes populi, cœterisque celebres  
Decantent Regi voce sonante Deo.

PSALMVS CL.

Laudate Dominum in sanctis eius.

TITVLVS

ARGVMENTVM,

*Cohortatio est ad laudem Dei.*

**A**Eternum Dominum sancta reuerenter in æde  
Laudate, hunc Dominum laus speciosa decet.  
In firmamento præstantis roboris huius  
Laudate illius clara trophæa Dei.  
Ob res præclaras quas gessit fortiter, illum  
Laudate, ecquid eo maius hic orbis habet:  
Pro magna virtute sua, multumque potenti  
Vos illi laudum munera pulchra date.  
Vos clangore tubæ, Dominum laudate potentem:  
Hunc Dominum excelsum garrula sinistra sonent.  
Hunc litui dulces, & buccina valde sonora  
Laudent, hunc Dominum cornua rauca canant.  
Hunc laudate chely, & cithara, nablóque loquaci.

Inuictum Dominum tympana blanda fonent.  
 Hunc laudate choro, & chordis hunc tibia laudet.  
 Organa multiplici musica voce canant.  
 Cantent victrices palmas, Dominique triumphos:  
 Cymbala collaudent ritè canora Deum.  
 Collaudent Dominum clangentia cymbala, mœstis  
 Auribus humanis gaudia læta ferunt.  
 Illis exprimitur iucundus iubilus omnis  
 Ad Domini laudes, perpetuùmque decus.  
 Illi vos Dominum totum laudate per orbem.  
 Ille est æterno dignus honore coli.  
 Quicquid spirat, eum Dominum qui cuncta creauit  
 Laudet, & authorem noscat vbique suum.  
 Illa hæc vera Dei laus est, præconia laudum  
 Hæc sunt æterni, perpetuèque, Dei.  
 Hæc confessio, sanctificatio nominis huius:  
 Hæc fidei in Dominum concio tota datur.  
 Hæc fidei, atque spei in Dominum vnica concio, sancti  
 Spiritus ex dono, lætitiæque, venit.  
 Hæc instrumentis variis sacra musicæ profert  
 Harmoniæ excellens, atque suaue melos.  
 Hoc modulamen erat Dauid tùm simplice voto:  
 Tùm precibus sanctis harmoniæque sono.  
 Halleluia omnes referant cùm læta triumphum  
 Vox cantat Domino, qui fera bella domat.

ENCHIRIDIUM, seu explica-  
 tionis Psalmorum

FINIS.

**F**Inis hic est operis psalmorum nobilis huius  
 Dauid, qui pastor, Rexque Propheta fuit.  
 Illud opus Domino vouit, quid? spiritus huius  
 Sancti est eloquium laus quoque vera Dei.  
 Ter quinquagenos psalmos, bis milleque versus  
 Sexcentos & sex concinit ille Deo.

*Hactenus ex Hebræo, quod sequitur carmen apud græcos  
 extat, extra centum quinquaginta carminum  
 numerum, & Dauidi ascribitur, cum sin-  
 gulari certamine cum Golia pugnasset.*

**C**Um fratrum infimus hic essem, minimusque meorum  
 Natu, ex hac patris stirpe, domoque, mei.  
 Et meus ille labor, seu petuigil vndique cura  
 Lanigeras patris pasceret huius oues.  
 Feci instrumentum, manibus psalterion vnum  
 Condidi ego, digitis composuique meis.  
 Illud quis Domino retulit? Deus optimus ipse:  
 Ipse exaudit ea protinus aure sua.  
 Namque suo misso Samuele, abduxit ab illis  
 Egregiis ouibus me bonitate sua.  
 Atque suo hic oleo sacro me gratis inunxit:  
 Et regem elegit, constituitque viris.  
 Cum fratres essent pulchri, magnique, lubenter  
 Non tamen hos Dominus maximus ille probat.  
 Ergo Palestinum hunc armatum, altum Gigantem  
 Paruulus, aggredior, cum mihi probra daret.  
 Cum me per patrios, vultuque minace, deastros  
 Execraretur, despiceretque, Deum.  
 Ense illi stricto caput abscidit hæc mea dextra  
 Delens Israël probra, Deumque probans.  
 Prorsus inermis ego in Domini illo nomine forti  
 Vno exercituum, militiaeque Dei.  
 Militiæque Dei Israël qui dirigit arma:  
 Congrediens illum sterno repente solo.  
 Funda iacit lapidem, qui fronti infixus inhæret.  
 Præcidoque illi sic caput ense suo.



## TERTIVS TOMVS

qui diuiditur in P salterij Cantica eodem carminis genere reddita, per Franciscum Mouretum Ad-uocatum, & Consiliarium in Vrbe Abba-willea & iurisdictione prefecturæ Pontiniensis.

*Canticum Virginis Mariæ.*

### Magnificat anima mea Dominum.

*Luce. 1.*

(monarcham

**M**ans mea magnificat Dominum, magnúmque Maiestatem huius quis memorare potest? Hoc solo magno Domino, nil maius in orbe. Magnus & excelsi filius ille Dei.

In Domino, æternóque Deo qui cuncta creauit.

Cunctáque disponit sub ditione sua.

Et qui me seruat, solem tribuitque salutem:

Lætitia exiliit spiritus ille meus.

Efferor ipsa, quasi iucundis gestibus, atque Saltibus, affectum prodóque mentis ego.

Námque suam hic humilem ancillam respexit, at illud A me non pendet, sed bonitate sua.

Ecce, ex hoc omnis generatio valde beatam

Me dicet Domini sponte iubente mei.

Námque potens Dominus fecit mihi magna, quid huius

Dono excellenti maius adesse potest?

Illius nomen sanctum est, innotuit orbi

Per patrem æternum qui boná quæque dedit.

Et pietas huius verè metuentibus illum

A sobole, in sobolem, progeniémque manet.  
Brachio hic exerto, Christo onatóque per orbem  
Vim, & robur fecit, constituitque potens.  
Disperfit, nimia iactantes laude superbos  
Elati cordis mente feroce sui.  
Et deiecit eos à fastu, siue maligno  
Cordis proposito, quo scelus omne fouent.  
In nihilum horum consilium, nixúque redigit:  
Nam sunt decepti spe vehemente sua.  
Deposuit celsa solij de sede potentes:  
E terris humiles & super astra tulit.  
Impleuitque bonis hic omnibus esurientes:  
Diues, opes illis, diuitiáque dedit.  
Elatos omnes dités, dimisit inanes  
Et vacuos opibus quas peperere sibi.  
Nam iustos sese, & sapientes vndique iactant:  
Hancque Deo sóphiam, iustitiámque negant.  
Ille suum puerum Israël suscepit, vt esset  
Promissi immensa pro pietate memor.  
A diuuat Israël, sibi gratis vendicat illum.  
Est memor hic pacti, pollicitique sui.  
Suscepit carnem Domini Rex filius in me  
Verus homo, verus, perpetuúsque Deus.  
Hunc humilis virgo (vt consensi virgo pudica)  
Gesto in ventrè meo, visceribúsque meis.  
Spiritus hunc sanctus concepit, maxima virtus  
Patris obumbravit pro bonitate mihi.  
Intima, & excellens operatio spiritus huius  
Sancti est, & gnati, perpetuíque patris.  
Vt dixit patribus nostris, Abrahæque, perenni  
Ipfius & soboli quam regit vna fides.

## Nunc dimittis seruum tuum Domine

*Luca 2.*

**N**unc in pace tuum seruum dimittis, amicum  
 Hoc iuxta verbum (mi Deus alme) tuum.  
 Iuxta promissum hinc iam illum migrare iubebis  
 Cum plausu ingenti, lætitiæque sua.  
 Namque tuum Christum qui cunctos saluat in orbe  
 His oculis vidi, detinuique senex.  
 Quem ante omnes populos, horum faciẽmque parasti  
 Lumen, vt inspiret gentibus illẽ fidẽ.  
 Lumen, vt ipse fide gentes illuminet omnes:  
 Israël, plebem glorificetque tuam.  
 Vt sit Iudæis laus, gloria sola per orbem:  
 Vt sit solus honos, perpetuumque decus.  
 Cum plebs illa Deum expectatum tempore tanto  
 Viderit, vt cunctis esset amica salus.

*Canticum Zachariæ.*

## Benedictus Dominus Deus Israël.

*Luca. 1.*

**S**it Deus Israël Dominus benedictus, & huius  
 In plebem ingenuus magnificetur honos.  
 Namque suam plebem inuisit, gratisque redemit:  
 Et saluauit eam semper ab hoste truci.  
 Nobis crexit cornu, roburque salutis  
 In Dauid pueri stirpe, domoque sui.  
 Vt per eos qui sunt veri, sanctique Prophetæ  
 Qui sunt à sæclo, ritè locutus erat.  
 Vt nos sponte sua saluaret ab hostibus illis  
 Qui nos oderunt, & iugulare parant.  
 Promissam vt faceret pietatem fronte benigna  
 Cum patribus nostris qui reuerentur eum.  
 Vt testamenti sancti memor esset, & illud .

Præberet

Præberet fœdus, pollicitumque suum.  
 Et iurandum (quo se deuinxit amico  
 Patri Abraham) impleret conditione sua.  
 Vt daret hic sese nobis, vt ab hoste redempti  
 Absque timore vllò nos coleremus eum.  
 Hostis vt è manibus seruari, tempore vitæ  
 Seruiremus ei qui dedit omne bonum.  
 Syncera, atque integra mente, & corde fideli:  
 In sancta vita, iustitiæque fide.  
 Et tu parue puer Domini, Deique propheta  
 Dicẽs Domini præcõque sanctus eris.  
 Namque parare vias Domini, cultumque, præibis:  
 Ante Dei faciẽm vera lucerna Dei.  
 Vt des notitiam, veram sopheriamque salutis  
 Illius plebi voce docente tua.  
 Quod Dominus clemens horum peccata remittat  
 Per Dei inexhaustas has pietatis opes.  
 Per pietatis opes, atque intima viscera nostri  
 Clementis Domini, perpetuque Dei.  
 In quibus hic oriens iam nos inuisit ab alto  
 Sol oriens, veræ iustitiæque Deus.  
 In tenebris vt qui resident, & mortis in vmbra  
 Illustret solis luce micante sui.  
 Vt dux ille pedes nostros benè dirigat illam  
 In pacis placidæ, perpetuæque, viam.  
 Gratia vt ad pacem, & vitam deducat hic actus  
 Nostros, aduentu lætificetque suo.

*Canticum Sancti Ambrosij & Augustini.*

## Te Deum laudamus.

**L**audamus te iure Deum, summumque Monarcham  
 Qui cælum, & terras, æquor, & astra regis.  
 Ve vnum orbis Dominum constanti voce fatemur.  
 Æternumque patrem te colit omne solum.

A a

Te veneratur, amat, laudat, reuerenter adorat  
 Omnis terra, tuum nec tacet illa decus.  
 Omnes angelici cœtus, cœlique micantes  
 Atque potestates, militiæque Dei.  
 Et Cherubin, Seraphinque tibi vna voce perenni  
 Proclamant, hymnum perpetuumque canunt.  
 O Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus ille supremus  
 Inuictus fabaoth, militiæque Deus.  
 Pleni sunt cœli, tellus quoque plena relucet  
 Maiestate tuæ laudis, & imperij.  
 Cœtus Apostolicus pulchro illustratus honore  
 Te colit, & laudes tollit ad astra tuas.  
 Teque Prophetarum numerus laudabilis ornat,  
 Laudibus immensis (summe Monarcha Deus)  
 Indutusque stolis sanctorum exercitus albis  
 Te laudat, totus martyriique chorus.  
 In manibus puris palmam, laurumque virentem  
 Gestans dat laudes (Rex generose) tibi.  
 Relligione nitens Ecclesia sancta per orbem  
 Terrarum, toto te canit ore patrem.  
 Patrem immensæ maiestatis in orbe fatur  
 Ore, & corde suo te Deus alme parens.  
 Illa tuum verum, solum gnatumque verendum  
 Sponte fatur, amat, perpetuoque colit.  
 Spiritum & hunc sanctum paracletum spote fatur.  
 Et canit, & celebrat religione sua.  
 Tu Rex victricis palmæ, pulchrique triumphi.  
 Christi Deus, laudis tu decus omne refers.  
 Gloriæ, & illustris virtutis, & omnis honoris  
 Et laudis Rex es solus, & orbis honos.  
 Pulchra rrophæa refers, nam vestes fortis auerni  
 Rupisti rabido victor in hoste tuo.  
 Rex laudis, pulchri princeps inuictus honoris  
 Fregisti limbum, vinclaque dura manu.

Antiquam prædam reuocasti victor ab orco.  
 Soluis captiuos è ditione graui.  
 De mundo, & morte, & cacodæmone, iure triumphas;  
 Et victor palmæ præmia lata geris.  
 Tu mortem nostram moriendo vincis & aufers:  
 Morte tua nostram destruis ipse necem.  
 Ipse resurgendo reparas, reddisque beatam  
 Vitam, tu mundi totius vna salus.  
 Es patris æternus venerandi filius, hæres  
 Legitimus patris, perpetuusque Deus.  
 Cum tu fusciperes hominem mortalis, vt illum  
 Eriperes rabida de ditione necis.  
 Non fuit horrore castæ tibi virginis aluus.  
 Cum carnem caperes hîc (Deus alme) tuam.  
 Deuicto mortis gladio, morsuque feroci  
 Huius, & abrupta tum ditione truci.  
 Omni credenti reserasti regna beata  
 Cœlorum ingenti pro bonitate tua.  
 In patris excelsum Regis dominantis honore  
 Ipse Dei ad dextram tu (Deus alme) sedes.  
 Venturus iudex tu crederis esse supremus.  
 Omnibus, & iudex iustus, & æquus eris.  
 Ergo Deus clemens nos te modo quæsumus omnes:  
 Vt faueas, famulis subueniasque tuis.  
 Quos tu sponte, tuo pretioso sanguine victor  
 Ipse redemisti victima fixa cruci.  
 Paruus vt Isaac, lignum crucis ipse tulisti:  
 Et vis pro nobis omnibus ipse mori.  
 Vt pietate tua tu crimina nostra remittas:  
 Et soluas captos victor ab hoste fero.  
 Nos in perpetua numerari laude beatos  
 Tu fac cum sanctis qui tua regna colunt.  
 Facque tuum populum saluum ô Domine optime princeps.  
 Hæredes benedic (Rex benedicte) tuos.

Sit laudata tibi tua (Rex) successio, gratis,  
 Et mercede tui sanguinis empta tibi est.  
 Tu rege Rex illos, illos extolle per æuum:  
 Narramus laudes, & decus omne tuum.  
 Tempus in omne (Deus) te nos benedicimus vnum:  
 Te nos per toros concinimúsque dies.  
 Laudamúsque tuum nomen per sæcula cuncta:  
 In sæclum sæcli, te decet omnis honos.  
 Hoc dignare die sine vitæ crimine turpi  
 Custodire hîc nos (ô Deus alme pater)  
 O Deus omnipotens, nostri miserere, benignus  
 Et nostri clemens tu miserere Deus.  
 Nos super afflictos pietas tua fiat, vt in te  
 Fidimus, es nobis spes, via, vita, salus.  
 In te speraui (Domine, ô Rex orbis) in æuum  
 Non confundar ego spe vehemente mea.

*Canticum trium puerorum.*

Ananiæ, Azariæ, & Misaelis.

*Benedicite. Danielis. c. 3.*

**V**os opera hæc Domini, Domino benedicite vestro:  
 Est vester Dominus, vester & author, hic est.  
 Laudibus immensis hunc vos ornate per orbem.  
 Arbitrio, & nutu vos regit ille suo.  
 Hunc superexaltate in sæcula, laudibus ille  
 Est dignus, Dominum commemorate Deum.  
 Angelici Domini cœtus, benedicite Regi:  
 Vos cœli Dominum glorificate Deum.  
 Vos omnes & aquæ quæ culmina summa tenetis  
 Cœlorum, Domini magnificate decus.  
 Virtutes omnes Domini benedicite summo  
 Vos Domino qui vos, vestraq; cuncta regit.  
 Sol, & Luna Deo Domino benedicite Regi  
 Et Stellæ cœli concelebrate Deum.

Vos pluua, & ros huic Domino benedicite, nam vos  
 Hic genuit, vobis & bona multa dedit.  
 Excelso Domino benedic tu spiritus omnis  
 Excelsi Domini qui vaga signa regit.  
 Ignis, & ardescens æstus laudate Monarcham  
 Frigus, hyemps æstas sanctificate Deum.  
 Ver, Æstas, Autumnis, hyemps, laudate supremum  
 Regem, miranda vos creat arte sua.  
 Collaudate Deum rores, & densa pruina:  
 Ferte Deo laudes frigus, & omne gelu.  
 Vos glacies, albæque niues concedite laudem  
 Huic Domino, mundi totius author, hic est.  
 Noctes, vósque dies Domino benedicite vestro.  
 Vos lux, & tenebræ magnificate Deum.  
 Inuictum Dominum vos ignea fulgura, nubes  
 Proclaimate, ille est vester in orbe Deus.  
 Virtutes monstrate Dei, parete supremo  
 Vos Domino, sic vos commemorate Deum.  
 Omnes sic homines toto inducetis in orbe  
 Vt Dominum laudent magnificèque colant.  
 Terra Deum Dominum benedicat, & efferat illum  
 Et superexaltet tempus in omne Deum.  
 Vos montes, collésque Deo benedicite laudes  
 Ipsius egregias vos adhibete viris.  
 Omnia quæ prægnans producit germine tellus  
 Hunc vestrum authorem concelebrate Deum.  
 Vos summo Domino nitidi benedicite fontes  
 Virtutes vestras Rex Deus ille dedit.  
 Vos maria, & fluuij, ingentes vos cete per æquor  
 Eximias laudes commerotate Dei.  
 Omnia quæ viuunt, cunctísque mouentur in vndis:  
 Illustrem Dominum nocte, diéque canant.  
 Vos omnes volucres cœli benedicite vestris  
 Cantibus ingentem, magnificúmque, Deum.



Syluarumque fera, pecudes omnisque per agros  
 Collaudent nostrum semper ubique Deum.  
 Vos hominum gnati Domino benedicite, summum  
 Israël, Dominum laudet, honorer, amet.  
 Hunc superexaltet Dominum per sæcula cuncta:  
 Et grates illi reddat ubique suas.  
 Vosque Sacerdotes Domini benedicite, summo  
 Et sancto Domino, qui super astra sedet.  
 Vos ferui Domini, Domino benedicite vestro.  
 Pectore sincero magnificate Deum.  
 Mentès, atque animã iustorum carmine dulci  
 Dicite vos laudes, gestaque pulchra Dei.  
 Corde humiles, sanctique Deo, benedicite, laudes  
 Huius, & egregium commemorate decus.  
 Vos igitur pueri Domino benedicite, Regem  
 Collaudate Deum qui benè cuncta regit.  
 Et superexaltate illum, per sæcula cuncta:  
 Nam vos è flammis eruit ille Deus.  
 Ignis & ardentis mediæ fornacis ab imo:  
 Hic vos eripuit cunctipotente manu.  
 Ex ditione necis vos saluos fecit atroci:  
 Vos igitur grates reddite iure Deo.  
 Ergò patrem, & gnatum sancto cum flamine semper  
 Nos benedicamus, nos veneremur eum.  
 Collaudemus eum, & superexaltemus in omnem  
 Vitam, illum solum gloria sola decet.  
 O Domine omnipotens, terræ, cœlique Monarcha  
 Quem chorus Angelicus tempus in omne colit.  
 In firmamento cœli benedictus es, omnes  
 Sancti te laudant, glorificantque Deum.  
 Laudibus assiduis te vnum super omnia tollunt,  
 Magnificant, metuunt, & reuerenter amant.  
 Es laudis plenus, toto laudabilis æuo:  
 Gloria, laus, & honos, Rex tibi iure datur.

Anania,  
 Azaria,  
 Misael.

*Canticum Esaiæ Prophetæ.*

Confitebor tibi Domine.

*Esaiæ 12.*

**O** Domine alme Deus puro tibi corde fatebor.  
 Nam mihi es iratus, qui pius esse soles.  
 Est furor ille tuus conuersus, me tamen ægrum  
 Es consolatus, cum dolor vrget atrox.  
 En Deus ille meus saluator dulcis Iesus.  
 Cum Domino firma spe stabilitus, agam.  
 Nil metuum, si me nunc cingant vndique bella:  
 Est robur Dominus, praesidiumque meum.  
 Est mea laus Dominus, victricis præmia palmæ  
 Victor in hoste meo contulit ille mihi.  
 Hic in perfugium tutum, placidamque salutem  
 Est factus summa pro bonitate mihi.  
 Saluatoris aquas nitidis de fontibus huius  
 Sumetis plausu, lætitiæque noua.  
 Hæcque die multum læti dicetis, amico  
 Omne scelus vestrum vos referate Deo.  
 Hoc nomen Domini appellate, & reddite notum  
 In populis quicquid repperit arte sua.  
 Dicite (quæso) viris mysteria quæque profunda  
 Illius, & leges, firmæque consilia.  
 Inuenit nobis vt acerbos ille dolores  
 Sanet, securam detque salutis opem.  
 Illius memores sitis, nam principis huius  
 Excelsum est nomen, robur, & omne decus.  
 Vos dulci Domino totum cantate per orbem:  
 Fecit enim multum, magnificæque viris.  
 Hoc narrate viris, terramque referte per omnem,  
 Victoris laudes, gestaque clara Dei.  
 Omnibus insignes huius memorate triumphos:  
 Huius, & immensum, magnificumque decus.

Aa iiij

Exulta Zion sc̄elix habitatio, lauda  
 Inuictum Dominum nocte, diēque, tuum.  
 Nāmq̄ tui in medio princeps supremus inhæret  
 Sanctus hic Israël, quem specularē vides.

*Canticum Mos̄is.*

Quum ingrederetur Israel ex Ægypto.

Cantemus Domino gloriosē.

*Exod. 15.*

**C**antemus Domino laudes, pulchrōsque triumphos  
 Gloria, laus & honos magnificauit eum.  
 Hic deiecit æquum, ascensorem huiusque ferocem,  
 In mare, quod vehemens fluctus, & vnda premunt.  
 Est mea cunctipotens virtus, & laus mea sola.  
 Hic Dominus, qui rex inclytus arma regit.  
 Vnicus ille mihi est factus tutela, salūsq̄  
 Iste Deus meus est, glorificabo Deum.  
 Seruator meus est, deleuit, & obruit vndis  
 Hostes, hic belli gloria sola fuit.  
 Et patris iste mei Deus est princeps supremus.  
 Hunc exaltabo, perpetuōque colam.  
 Est pro me Dominus, quasi vir pugnator, & huius  
 Omnipotens nouem bella superba domat.  
 In mare proiecit currus, Pharaonis & agmen.  
 Ipsius electi disperiere duces.  
 Atque mari rubro submersi funditus illi  
 Extremum fati sustinere diem.  
 Submersos illos texerunt prorsus abyssi.  
 Nullus vt existat conspiciendus eques.  
 Vt lapis in pelagus citō, descendere profundum  
 Nec quisquam ex illis hic superesse potest.  
 Hæc tua dextra potens victrix in robore summo  
 Est Domine omnipotens magnificata sibi.  
 Omnibus in bellis hostem percussit acerbum

Hæc tua dextra manus rex metuende viris.  
 Hac in laude tua multa tu deprimis hostes  
 Atroces, tumidis & perimuntur aquis.  
 Iram terribilem mittis quæ deuorat illos.  
 Vt tenuem stipulam quam vorat ignis edax.  
 In rapidi & iusti vento vehemente furoris  
 Se diuiserunt gurgitis huius aquæ.  
 Vnda fluens stetit, & diuisæ prorsus abyssi  
 Sistant in medio se retinente mari.  
 Nāmq̄ illud sese discindit vtrinque duobus.  
 Muris concretis vt dirimente gelu.  
 Et siccam, planāmq̄ viam, solidāmq̄ recessu  
 Israël tribuit, cū breue captat iter.  
 Israël tutus sicco pede transit æquor:  
 O Deus Israël dux benefidus eras.  
 Dixit atrox hostis, violenter persequar illum,  
 Et cadet in dextram præda petita manum.  
 Distribuem spoliū victor funbundus in armis.  
 Victor, & exuias omnibus ipse dabo.  
 Et desiderio mea mens implebitur omni  
 Ex horum spoliis, exuiisq̄ bonis.  
 Nudabo gladium, mea dextera sc̄uiter illos  
 Interimer, cunctis victor acerbus ero.  
 Spiritus ille tuus flauit (Deus) atque minaces  
 Hos retudit fastus, & mouet omne fretum.  
 Commouet horribiles ventos, rabidāsque procellas:  
 Ventorūmq̄ vias in mare mittit atrox.  
 Hinc æstus, hinc horror aquis pugnacibus, attris  
 Commiscet cælum nubibus, atque mari.  
 Hos mare nunc operit, perit hic exercitus omnis  
 Se mare coniungit, nec magis addit iter.  
 Concurrunt pelagi fluctus vtrinque furentes:  
 In latos vndæ tum rediere sinus.  
 Vt plumbum hi sunt submersi vehementibus vndis.

Non his effugium, nec fuga certa datur.  
 Quis tibi par in fortibus (ô Domine alme, Deorum?)  
 Quis cum laude tibi conciliandus erit?  
 Sed quis erit similisq; tibi metuendus in armis?  
 Es sanctus, clemens, magnificusq; tuis.  
 Terribilis cunctis, laudabilis, & bonus es tu.  
 Res miras subito solus in orbe facis.  
 Inuictam dextram vindex extendis in hostes:  
 Et totos illos terra repente vorat.  
 In pietate tua populo dux ipse fuisti.  
 Quem tu seruasti cunctipotente manu.  
 Ipse tuis summis portasti viribus illum  
 Ad templum sanctum, magnificumq; tuum.  
 Tunc ascenderunt populi, victique fuere:  
 Et sunt irati sæpe furore tuo.  
 Atque Philistini duros cepere dolores.  
 Obtinere graues tristitiasq; sibi.  
 Tuncque duces Edon turbati protinus adstant:  
 Robusti que Moab clara propago tremuit.  
 Qui Chanaan habitant fluuij prope Iordanis ortum  
 Viribus attonitis obriguere suis.  
 Ingens formido super illos irruit, atque  
 Ut cantes, horum muta caterua filet.  
 Hos stupor aggreditur penitus, sed summe Monarcha  
 Brachij ea est virtus imperiosa tui.  
 Ut lapis insistant terræ, nequeantque moueri  
 Donec prætereat plebs tua, summe Deus.  
 Iste tuus donec populus pertanseat ô Rex  
 Quem possedisti sponte fauente tua.  
 Hos introduces, hos tu plantabis in alto  
 Monte tui regni, magnificæque domus.  
 Hæc excelsa domus, tua res, possessio felix  
 Et diues locus est, deliciæque tuæ.  
 Hæc tranquilla quies, hæc est habitatio valde

Firma, hæc est cælum, lætitiaque locus.  
 Hæc regnum, templumque tuum tua regia sancta  
 Quam tua conposuit dextra (supreme Deus)  
 Hic victor Dominus semper regnabit, & vltra:  
 Hic sedem fixit, constituitque suam.  
 Est ingressus eques Pharao cum curribus æquor  
 Cum signis, & equis, militibusque suis.  
 Et mari huius aquas Dominus Deus ille reduxit.  
 Omnes in tumido sic periere mari.  
 Huius at in medio per siccum, ritè profecti  
 Sunt gnati Ifraël hoc duce, rege Deo.

*Canticum Habacuc.*

Domine audiui auditum & timui.

*Habacuc 3.*

Domine alme tuam vocem, verbumque fidele  
 Audiui, & timui, contremuique mihi.  
 Hoc opus ipse tuum quod tu bonitate creasti.  
 In medio annorum viuificare velis.  
 Exanimum iacet illud opus, nam mens mea languet,  
 Mortua peccatis, criminibusque suis:  
 Vulneribus grauibus iacet illa sepulta cubili.  
 Hanc tua formauit dextra benigna manus.  
 Restituas illi felicitis tempora vita.  
 Ut per te viuat iustificata tibi.  
 Illa tuum est opus, hoc illi tu in tempore notum.  
 Hunc saluatorem totius orbis ages.  
 Annorum in medio mittes ex virgine natum.  
 Filiolum mundo (mi pater alme) tuum.  
 Restaurabit ei casum, lapsumque ruinam.  
 Saluabit cunctos pro pietate sua.  
 Afflictum populum à vitiis, scelerumque caterua  
 Hic saluum faciet, restituétque sibi.  
 Iratus cum tu fueris pietatis amica

Ipse tuæ fies tū memor (alme Deus)  
 Rex Deus omnipotens veniet Dominator ab austro:  
 Et de monte Pharan sanctus abibit ouans.  
 Illius umbrosi veniet de culmine montis  
 Nobis verus homo verus & ille Deus.  
 Virginis ex aluo nobis nascetur in orbe  
 Hac operis sancti spiritus arte sacra.  
 Sic nobis pariet castissima virgo parentem  
 Sanctum sanctorum, virgo semper erit.  
 Gloria, & illius maiestas obtegit altos  
 Cælos, laude huius terra repleta subest.  
 Illius splendor rutilans, radiique per orbem,  
 Vt lux: qua fulget maximus orbis, erunt.  
 Hæc cunctis præbebit iter, vitamque beatam:  
 Et pellet tenebras, tartareumque chaos.  
 Illius in manibus præstantia cornua sicut  
 Securæ latebræ roboris huius, erunt.  
 Cornibus ille crucis fixus clauisque reflexus  
 Disrumpet rigidæ spicula dura necis.  
 Et debellabit mortem, & superabit atroces  
 Hostes, terribilis dæmonis arma teret.  
 Fœlicem ille dabit vitam, propriumque cruorem:  
 Vt genus humanum soluat ab hoste truci.  
 Et sic descendet, spoliabit, & exuet orcum.  
 Soluet captiuos hac ditioe sua.  
 Morte sua cunctis qua munera quæque rependit  
 Vim sacramentis conferet ille suam.  
 Et pietate sua delebit crimina mundi.  
 Sic huius manibus cornua pacis erunt.  
 Sic fuit illius lucens abscondita virtus  
 In cruce, qua fixas fertque, refertque manus.  
 Ante huius faciem sic mors crudelis abibit.  
 Mortua mors fugiet, victaque semper erit.  
 Egredietur atrox cacodæmon pessimus hostis.

Et fugiet periens illius ante pedes.  
 Diffugiet victus, penitus fractusque recedet.  
 Et spoliatus erit viribus ille suis.  
 Sic conculcabit Dominus pede tartara, victor.  
 Vectibus ablatis conteret ille fores.  
 Infernum victor spoliabit, trudet in illum  
 Dæmona quem victum vinciet arte sua.  
 In tristi inferno Dominus stetit inclytus indè.  
 Est mensus terram, quicquid & illa capit.  
 Gentes aspexit, captiuos soluit, & illis  
 Victrici expediit ferrea vincla manu.  
 Sunt montes sæcli contriti funditus atque  
 Terrentur cuncti rege sedente Deo.  
 Sunt incuruati colles, populique superbi  
 Mundi æternus iter cum Deus ille capit.  
 Induperatores terræ, regesque, ducesque.  
 Subiectos, Christi se, posuere iugo.  
 Ille potestates fregit cacodæmonis omnes  
 Et scutum, & gladium cunctaque bella terit.  
 Æthiopum & Chufam regis tentoria vidi  
 Pro populi vitio, nequitiæque graui.  
 Cortinæ terræ Madiam pellésque superbæ  
 Conturbabuntur te superante Deo.  
 Nunquid tu in fluuiis iratus es (ô Deus vltor?)  
 Non in fluminibus stat tuus ille furor?  
 Hæc tua nonne Deus grauis indignatio fertur  
 In mare, quod furiis ventus & vnda mouent?  
 Tempestate graui & sparsis violentibus vndis  
 Diluuij, ille tuus perstat vbique furor.  
 Diluuium horrendum sublimes obtegit vrbes.  
 Obducit syluas, & tegit omne solum.  
 Non possent cerni per summos currere montes,  
 Bruta, feræ, percunt, & perit omnis homo.  
 Tu qui ascendis equos, currus, saluásque quadrigas

Arcum cœlestem tu dabis ipse tuum.  
 Hunc tu producens, produces, ô Deus alme.  
 Humani generis sic eris ipse memor.  
 In carnem ipse tuum gnatum de virgine mittes:  
 Vt generi humano certa sit vna salus.  
 Vt restauret opus, pelagus quod perdidit ingens  
 Ob graue peccatum quod necis arma parit.  
 Iuramenta Noe, gnatis, tribubusque benignis  
 Huius, firmabis fœdus abundè tuum.  
 Quod percussisti, quod nunc es voce locutus  
 Ergò recorderis fœderis ipse tui.  
 Mitte tuum gnatum, & gnatum tu mitte fidelem  
 In carnem, cunctis hic erit vna salus.  
 Tu scindes fluuios terræ, videre superbi  
 Te Dominum montes, & doluere sibi.  
 Tu rubrum pelagus scindes Deus inclyte rector  
 Israël, faciet per mare, tutus iter.  
 Saluus iter faciet, siccis pedibusque per æquor  
 Pertransibit, ei nulla nocebit aqua.  
 Vndarum gurges pertransit, & dedit ingens  
 Horrisonæ immensum vocis abyssus, opus.  
 Inde manns, fluctusque vagos releuauit, & altum  
 Æquor, Rex Dominus voce potente sua.  
 Mergitur ille sequens Pharaon redeuntibus vndis:  
 Cum his exercitibus, militibusque suis.  
 In regione sua alta, sol, & luna steterunt:  
 Et vicit Reges Iosué quinque sibi.  
 Quinque duces, regesque feros, superauit, & horum  
 Agmen, cum lapides grandinis ipse daret.  
 E cœlo faxis proiectis grandinis, illos  
 Te duce prostrauit Iosué (summe Deus)  
 Sic ibunt famuli in rutilanti luce volantum  
 Missilium, quæ arcu valde potente vibras.  
 In splendore tuæ hastæ (ô princeps nobilis) ibunt

Hæc, vt fulgur eis clara trophæa dabit.  
 In fremitu terram tu conculcabis, & omnes  
 Terrebis gentes ipse furore tuo.  
 In pretium populi, & dulcem, placidamque salutem  
 Egressus nunc es, summe Monarcha Deus.  
 Es Deus egressus, populo auxiliùmque tulisti.  
 Cum Christo, augusto principe rege tuo.  
 E violente domo, rabidi caput omne maligni  
 Tu contriuisi vi dominante tua.  
 Et fundamentum nudasti funditus, vsque  
 Ad collum, vt regni tota ruina foret.  
 Et maledixisti sceptris, crudelibus huius:  
 Illius agminibus, principibusque feris.  
 Et bellatorum capiti, & venientibus, vt me  
 Dispergant, subito turbinis instar humi.  
 Horum lætitiæ velut huius gaudia plena:  
 Qui clam inopem afflictum dente rapace vorant.  
 Victor equis (Deus alme) tuis immane per æquor  
 Fecisti planam, perfacilemque viam.  
 In sordente luto, dux, & comes vnus aquarum  
 Fecisti nobis dulce salutis iter.  
 Per mare, per terras, & maxima climata mundi  
 Cœtus Apostolicus transit ille tuus.  
 Dæmona prostrauit, superauit & ille tyrannum;  
 Et victor prædam sustulit ille suam.  
 Audiui, & venter meus est turbatus, & illa  
 Labra, à voce tua contremuere mihi.  
 Ingrediatur in hæc languentis corporis ossa  
 Putredo, & fanies vulneris omnis atrox:  
 Subter me scateat rabidi genus omne doloris  
 Corporis, atque animi qui parit omne malum.  
 Vt constans tecum requiescam in rebus acerbis:  
 Et minuat verbis aspera fata tuis.  
 Vt nostrum ad populum accinctum, semperque paratū

Confestim ascendam te præunte Deo.  
 Indè tuæ fidei te vindice persequar hostes:  
 Et sternam penitus, ne mala dura ferant.  
 Non florebit honos ficus, nec viribus vllum  
 Germen erit, fructus commoditâsque boni.  
 In rebus miseris faller prouentus oliuæ:  
 Nec magis arua ferent commoditate cibum.  
 Ex caulis pecus eripietur, non erit vltra  
 Armentum in stabuli conueniente loco.  
 Gaudebo in Domino, constans ero miles Iesu.  
 Saluator meus est, robur & ille meum.  
 Ille meus Deus est, in quo exultabo per æuum:  
 In quo perpetuò gaudia iusta feram.  
 Ille Deus, Dominus, virtus mea, spēsque, salūsque:  
 Hic, meus est clypeus, perugiūque meum.  
 Et quasi ceruorum qui montis in ardua currunt  
 Ille pedes ponet, constituētque meos.  
 Et me per fastigia diriget ille triumphans  
 Victor, vt in psalmis tempus in omne canam.  
 Et memorem egregias laudes, celebrēsque triumphos:  
 Quos ex hoste truci per fera bella tulit.

*Canticum Mosis.*

Ad filios Israel autequam moreretur.

*Deuteronom. 32.*

Audite cæli quæ loquor.

**Q**uæ loquor, ô cæli testes attendite, terra  
 Audiat hæc oris verba benigna mei.  
 In pluuiam crescat quicquid vos iure docebo:  
 Vt ros, eloquium disfluat omne meum.  
 Vt super herbam agri viridantem decidit imber  
 Et terræ germen commoditate parit.  
 Et veluti stillæ super hæc vernantia campi  
 Gramina, cum magna fertilitate fluunt.

Sic

Sic fluat, atque cadat mea nunc doctrina fidelis:  
 Et vis eloquij, iudiciique mei.  
 Excelsi nomen Domini in mea vota vocabo.  
 Vt clemens cœptis annuat ille meis.  
 Magnificate Deum nostrum qui diuidit annos:  
 Qui cælum, & terram condidit arte sua.  
 Est opus omne Dei perfectum, legibus æquis  
 Constant quæ toto fecit in orbe Deus.  
 Perfectæque viæ illius sunt, sunt quoque recta  
 Iudicia illius, qui scelus omne fugat.  
 Qui iustè punit sceleratos vindice pœna.  
 Dat bonus ille bonis, pro bonitate bonum.  
 Omnibus in verbis verax Deus, ille fidelis  
 Est expers vitij, rectus, & æquus, hic est.  
 Degenerant ab eo cœlesti rege parente,  
 Hebræi, vitio, perfidiæque graui.  
 Non dicam, illius gnati, sed natio sponte  
 Perdita, spurcitiis & profligata suis.  
 Hos Deus in gnatos dulces elegit, & illis  
 Legem fœlicem, perfacilémque, dedit.  
 Hanc tamen ingrati dura ceruice recusant.  
 Nec patri obsequium lege iubente ferunt.  
 Hæccine tu Domino reddis plebs stulta benignos:  
 Et plebs insipiens, duræque corde tuo?  
 Num pater ipse tuus, qui te possedit & vltra  
 Fecit, & ille, suum qui procreauit opus?  
 Priscorum Israël tu ritè memento dierum:  
 Et proles cunctas mente reuolue tua.  
 Ex patre quære tuo, dicet tibi quæ Deus ille  
 Fecit, quo pacto diligit ille suos.  
 Tu quære ex illis doctis maioribus, illi  
 Dicent, hunc summum, magnificumque Deum.  
 Cum fecerbat gentes altissimus ille.  
 Et gnatos magnæ posteritatis Adam.

Bb

Hic iuxta numerum illum Israël prolis amicæ  
 Diuisit populos in regione sua.  
 Pars autem Domini, populus charissimus huius  
 Est Iacob, ille suæ funiculûsque domus.  
 Quem sibi iure suo gratis quæsiuit, vt hæres,  
 Regni possessor legitimûsque foret.  
 Errantem in terra deserta repperit illum  
 Inuius hic locus est, expositûsque feris.  
 Horridus assiduè diris, rabidûsque ferarum  
 Vocibus, hic habitant pallor, & horror atrox.  
 Tristis eremus, hic est, huc nullus ob horrida monstra  
 Accedit, vastum est, & sine fruge solum.  
 Hic ieiuna fames, macie, & pallore, capillis  
 Hirsuta, atque cano lumine mæsta sedet.  
 Circunduxit eum, & docuit, custodit illum,  
 Vt pupillam oculi quæ leue lumen habet.  
 Tanquam Aquila inducens pullos volitando per auras  
 Rupe sub excelsa, quos fouet ore suo.  
 Illa superuolitans expandit protinus alas.  
 Alis vt discant hi volitare suis.  
 Sic assumpsit eum genitoris more benigni  
 Hunc humerûsque suis lata per arua tulit.  
 Dux eius Dominus solus fuit ille per agros.  
 Cum Domino Deus hic non alienus erat.  
 Et super excelsam terram hunc inuexit, agrorum  
 Vt fructus ederet, deciperetque famem.  
 Vt mel de petra, de saxo oleûmque suaue  
 Sugeret, admota colligeretque manu.  
 Vt de vaccarum armento per dulce butyrum  
 Sugeret ingenti commoditate sua.  
 Et lac ex niueis ouibus, cum pinguibus agnis  
 Quos matres grauidæ læta per arua dabant.  
 Vt pingues etiam hos arietes sugeret illis  
 Quos gnatis Basan læta fouebat humus.

Vt pingues hircos ederet cum pane tenello  
 Quem pinguis farris crassa medulla dabat.  
 Vt biberent vinum purum, placidûmque: cruorem  
 Vuarum, & vitis dulce liquoris opus.  
 Ex his deliciis dilectus pinguor vni  
 Indulget ventri, luxuriæque suæ.  
 Ille recalcitrat Domino ceruice feroci  
 Vt pinguis, sternax, atque rebellis equus.  
 Hic igitur crasso bebè fartus corporis ampli  
 Pondere, contempsit, destituitque Deum.  
 Ille Deum, proprium factorem qui dedit illi  
 Omnia deseruit sponte procace sua.  
 A Domino factore, Deo omnipotente, recessit:  
 Cuius præsidio saluus ab hoste, fuit.  
 Ille illos toties rigido saluauit ab hoste:  
 Ægypti, duro seruitiique iugo.  
 Hunc alienorum cultu, sacroque Deorum  
 Irritauerunt perfida turba sibi.  
 Hunc commouerunt in diris prorsus ad iram.  
 Hunc & acerbarunt sæpe furore graui.  
 Dæmoniis fecere sacrum, nec sacra dederunt  
 Excelso, & vero, magnificoque Deo.  
 Et sacrum fecere diis quos religione  
 Illi ignorabant cum sua vota darent.  
 Atque dij venère noui diuique recentes  
 Quos horum docti non coluere patres.  
 Ipse Deum qui te generauit matris in aluo  
 Sponte reliquisti tu feritate tua.  
 Ipse tui Domini qui te sibi sponte creauit  
 Es nunc oblitus corde feroce tuo.  
 Hoc vidit Dominus iustam commotus ad iram.  
 Ob crimen, prolis flagitiûmque suæ.  
 Hunc gnati ingrati, & gnatae ceruice rebelles  
 Irritauerunt improbitate sua.

Improbitalis atrox opus, atque ferocia cœpta  
 Agrè fert, iustè nec tolerare potest.  
 Et sic dicit, ab hīs abscondam ego valde benignam  
 Hanc faciem, horrendum punit ira scelus.  
 Illorum scelus, & peruersa nouissima vitæ  
 Perpendam, iudex iustus, & æquus ero.  
 Est certè populus duræ cervicis, & ille  
 Peccati numquam pœnituisse potest.  
 Peruersum genus est, generatio sponte maligna:  
 Infidi gnati, perfidiæque tument.  
 Nec sua pacta, mihi promissaque fœdera seruant.  
 Irritauerunt me feritate sua.  
 Me impietate sua irritarunt semper in illo  
 Qui fictus Dominus, nec Deus ullus erat.  
 Méque Deum verum temnunt, idola colendo,  
 Abiiciuntque meæ religionis opus.  
 In fallace suo cultu, ritúque maligno.  
 Irritauerunt me sibi sæpè Deum.  
 Hos irritabo iudex metuendus in illo  
 Qui populus non est corde, fidéque meus.  
 Illos subiiciam populo Babylonis acerbæ  
 Qui me contempsit, deseruitque Deum.  
 Hos in gente fera, & stulta, populóque procaci  
 Irritabo, flagrum, suppliciúmque, ferent.  
 In vehemente meo iusto, iustóque furore  
 Succensa est ignis flamma cremantis edax.  
 Tristis ad inferni nunc vsque nouissima saxa  
 Ardebit, flammæ nec premet omnis aqua.  
 Et fundamentum fossæ comburet ad imum  
 Hanc urbem, & templum, magnificásque domos.  
 Ille vorabit opus terræ cum germine toto.  
 Et quicquid terræ fertilis arbor habet.  
 Absumet segetum messes, vitésque feraces,  
 Terribili absumet cuncta calore suo.

Ad fundamentum montes consumet, in illos  
 Horrendus iudex accumulabo mala.  
 Ipse meas in eis celeres complebo sagittas:  
 Et consumentur, deficientque fame.  
 Et volucres illos morsu vehenter amaro  
 Absument, virus proiciéntque malum.  
 Immittam dentes in eos, morsusque ferarum.  
 Quadrupedum, vt meritò vulnera digna ferant.  
 Reptilia immittam & gryphos, rabidósque dracones  
 Serpéntumque illis dira venena dabo.  
 Hos foris horribilis gladius vastabit, & arcè  
 Inuadet vehemens, intima tecta pauor.  
 Consternati animi intus erunt, grassantibus armis  
 Extus, & armorum stridet vbique furor.  
 Vastabit gladius iuuenem, castámque puellam  
 Lactentem infantem, decrepítumque senem.  
 Et dixi vindex, vbi sunt, cessare per orbem  
 Hos faciam, vt nullus iam superesse queat.  
 Hos extirpabo penitus, delebóque cunctos:  
 Illorum vt nomen non sit in orbe viris.  
 Verùm distuli ego patiens, trucis hostis ob iram:  
 Ne forsan cristas tolleret ille suas.  
 Ne iactabundus victor, multúmque superbus.  
 Diceret in fastu talia verba suo.  
 Non fecit Dominus princeps hæc omnia, fecit,  
 Hæc excelsa manus nostra timenda viris,  
 Urbem Hierusalem flammis incendit, & illa  
 Incendit flammis templa dicata Deo.  
 Nil Deus hic fecit, Iudæos cœpimus illos:  
 A nobis victus rex Deus ille fuit.  
 Vasaque sacra Deo tulimus Babylonis in oras:  
 In quibus hi nostri dulcia vina bibunt.  
 Illos Caldæus duris superauit in armis  
 Victricis palmæ præmia læta tulit.



Est gens imprudens, Iudæus nil sapit ille  
 Nil rationis ei, consilii que, fauet.  
 O vti nam scirent, sacrum caperent que volumen.  
 Et colerent vera religione Deum.  
 Vnus, quo pacto Caldæus, mille premebat  
 Iudæos, durum qui sibi rubur erant?  
 Et duo, quo pacto Caldæi sæpe fugabant  
 Hæc Iudæorum millia sæua decem?  
 Nonne idem vehemens illis afflictio venit  
 Quod Deus illorum vendidit vnus eos?  
 Et Dominus conclusit eos? & tradidit hosti  
 Cum cinxit muros obsidione graui?  
 Obsidione fera, & iaculis, & tristibus armis  
 Urbem cum clausit vi vehemente sua?  
 Ob scelus admissum circumdedit vndique fossas  
 Urbis, vt hæc pœnas impietate ferat.  
 Non etenim Deus est noster superatus, vt horum  
 Sunt victi, euerfi, perdomiti que, dij.  
 Ille Deus noster, rex est, inuictus in armis:  
 Conterit indomita ferrea bella manu.  
 Omnipotens noster Deus est qui dirigit arma:  
 Qui regum vires, militiam que domat.  
 Hoc hostis noster verum testatur, & illud  
 Iudicat expertus fortia gesta Dei.  
 Maxima gesta Dei, vires huiusque potentes  
 Sensit, & afflictus damna pudenda tulit.  
 Hac de vite graui Sodomorum, vitis amara  
 Illorum, sterilis, duraque facta fuit.  
 Equæ suburbanis Gomorrhæ hæc vinea serpit  
 Dira, timor populi, seditio que grauis.  
 Labruscas odij, latè diffundit amaras:  
 Et Christi roseo sanguine plena rubet.  
 Vna rubens, tristis fellis producit vna:  
 Et sibi perpetuò botrus amarus erit.

Nigrum istorum vinum est fel, virisque draconum:  
 Aspidis & virus, lethiferumque malum.  
 Huius enim morbis, rabidique furoribus, vlli  
 Non possent medici ferre salutis opem.  
 Hæc in me nunquid sunt condita, siue reposta?  
 Nonne in thesauris sunt reserata meis?  
 His in thesauris nunquid signantur? & illa  
 Numquid ego memori mente reuoluo mea?  
 Præfens, præteritum noui, nouique futurum:  
 Omnia quæ fiunt, sunt benè nota mihi.  
 Non sum oblitus ego conuitia, duraque probra  
 Quæ gnato fecit gens inimica meo.  
 Vltio iure mea est, illis in tempore vindex  
 Hæc ego retribuam, iustus & ultor ero.  
 Differo sed modicum, magis vt labatur eorum  
 Pes ad crimen atrox, flagitiumque graue.  
 Octo iustra dedi, quibus illi crimina dura  
 Flerent, & vellent pœnituisse scelus.  
 In me plura tamen fecerunt crimina pœnam  
 Vt modo maiorem (me patiente) ferant.  
 Non etenim ipsa diu differri pœna valeret:  
 His propè iusta dies perditionis adest.  
 Instat & illa dies, & adesse hæc tempora mœsta  
 Festinant, pœnas, suppliciumque, dabunt.  
 Illorum subito complebitur æqua ruina.  
 Urbis, & illorum mœnia celsa, ruent.  
 Ingratum populum Deus vlciscetur, & ille  
 In seruis propriis valde benignus erit.  
 Iustus erit Dominus vindex, & ritè videbit  
 Hæc populi quod sit debilitata manus.  
 Obsidione fera clausi cecidere, superbis  
 Attonitis animis, atque stupore graui,  
 Et defecerunt armati viribus illo  
 Urbis & annona, consiliisque suis.

Atque fame reliqui, vinclis, gladióque cruento  
 Tunc sunt consumpti pro feritate sua.  
 Et dicent hostes, vbi sunt superique, diique  
 In quibus auxilium, spémque, fidémque dabant?  
 De quorum sacris adipés hi semper edebant:  
 Potabántque merum, dulcía sacra diis.  
 Surgant, & nunc vos obsessos vndique seruenta  
 Surgant, & vobis robur, opémque ferant.  
 Rebus in afflictis, & cùm res exigit, illi  
 Defendant, hostis robur, & arma terant.  
 Sanguineis rabidi nunc vos de faucibus hostis  
 Eripiant, hosti coniciántque fugam.  
 Cernite vos omnes, totáque recondite mente:  
 Quòd sim solus ego verus in orbe Deus.  
 Nec Deus est alius præter me, si Deus illum  
 Seruarem populum, liber ab hoste foret.  
 Hunc ego dimisi propter sua crimina praua:  
 Et rigida hunc hostis sub ditione dedi.  
 Auxiliúmque meum substraxi victor ab illo:  
 Vestris vos igitur nil reputate diis.  
 Non sunt victores illi, sed victor in armis,  
 Sum solus, verus militiæque Deus.  
 Hunc igitur per vos Romanos, atque ministros  
 Puniui ob crimen, flagitiúmque graue.  
 Occidam, & faciam nunc viuere, percutiámque:  
 Et sanabo, mihi nullus obeffe potest.  
 Nullus in humanis rebus, qui euadere possit  
 E victrice mea cunctipotente manu.  
 Inuictam dextram ad cælum sublime leuabo:  
 Et iurans, dicam voce potente mea.  
 Viuo ego in æternum, mea dicta fidelia semper  
 Constant, atque manent, firmáque semper erunt.  
 Si vindex acuo, rutilans vt fulgur, acutum  
 Hunc gladium quem nunc hæc mea dextra tenet.

Si mea firma manus, totum victrixque per orbem  
 Arripiat dictum, iudiciúmque meum.  
 Si mea dextra potens illos punire seuerè  
 Proponat, vindex iustus, & æquus ero.  
 Hostibus infirmis vindictam iure seueram  
 Reddam, percipient quod meruere scelus.  
 Vltor eis qui me híc odiis capitalibus vltro  
 Oderunt, reddam iure iubente, vicem.  
 Sanguine námque meas celeres ebriabo sagittas.  
 Iudæos perimet Roma ministra viros.  
 Ille meus gladius carnes persæpe vorabit.  
 Quando Ierusalem proicietur humi.  
 Quando Ierusalem excidium patietur acerbum:  
 Illáque iure suo valde superba, cadet.  
 Hoc occísorum rubeo satiabo cruore  
 Tela, manu forti quæ iaculabor ego.  
 Et truncatorum capitum tunc sanguine rubro  
 Nudatos gladios híc ebriabo sibi.  
 Illius populum gentes laudate fidelem:  
 Ad sanctam Domini sponte venite fidem.  
 Námque vlciscetur seruorum iure cruorem:  
 Vltor erit famulis, martyribúsque suis.  
 Iustam vindictam furibundos reddet in hostes  
 Qui modò martyribus sponte dedere necem.  
 Retribuet pœnas ducibus, sæuisque tyrannis  
 Illis supplicium, iustaque flagra dabit.  
 Indè sui populi terræ miserebitur, illi  
 Propitius, clemens, atque benignus erit.

*Canticum, Annæ matris Samuëlis.*

Exultauit cor meum in Domino.

*1. Regum. 2. cap.*

**I**N Domino cor triste meum exultauit, & omnis  
 Tristitiæ pepulit funera mœsta sua.

Tanta hæc prosperitas minimè mihi contigit, illis  
 Ex propriis meritis, sed bonitate Dei.  
 In bono, & omnipotente Deo, qui gaudia præbet  
 Est exaltatus nunc honor ille meus.  
 Omne meum cornu, & robur, mea gloria fulgens  
 Tollitur, hoc, vno percipiente Deo.  
 Osque meum super hos hostes qui probra dederunt  
 Est dilatatum, nam mihi gnatus adest.  
 Sum (ô Deus omnipotens) in te lætata repente:  
 Inque salutari sum recreata tuo.  
 Hæc mihi non adscribo Deus, pietatis amori  
 Largior illa tuo, (Rex venerande parens)  
 Non est sanctus, vt est Dominus qui condidit orbem  
 Tu Deus, & Dominus solus in orbe manes.  
 Et non est fortis, totum validusque per orbem  
 Vt Deus est noster, qui dat, & omne videt.  
 Quem fera bella timent, & qui se iure timendum  
 Exhibet, & qui vult mente, fidèque coli.  
 Hic est omnipotens princeps, & magnus hic vnus.  
 Robore, iudicio, iustitiâque sua.  
 Qui nos inuictus princeps defendit ab hoste:  
 Cuius contriuit robur, & agmen atrox.  
 Multiplici cum voce loqui sublimia legis  
 Nolite, hunc Dominum magnificate Deum.  
 Nec vos iactantes multum præsumite (quæso)  
 De vobis, soli reddite cuncta Deo.  
 Ex hoc ore nouo vestro omnia prisca recedant:  
 Nam Deus est Dominus, qui scit operta sibi.  
 Qui scit operta sibi, qui cunctas nouit & artes.  
 Nam præses sophiæ totius vnus hic est,  
 Rex hominum Deus infortunia quæque futura  
 Nouit, & illorum pectora nuda videt.  
 Cuncta profunda videt, clausos animique recessus:  
 Nouit, quid secum cogitet omnis homo.

Est arcus fortis superatus, debilis omnis  
 Robore præcinctus prælia nulla timet,  
 Sunt fracti fortes, nil profunt fortibus arma,  
 A Domino pendent robur, & arma, Deo.  
 Contemnebar ego probris affecta pudendis,  
 Vir tamen ille meus semper amicus erat.  
 Repleti prius hi sese pro pane locarunt.  
 Et saturari sunt qui periere fame.  
 Et sterilis multos peperit bonitate benigna  
 Illius Domini qui bene cuncta facit.  
 Quæ multos gnatos (prægnans vt vitis) habebat  
 Infirmata fuit, quid? manet orba suis.  
 Quos sanctos parua sepelit pertristis in vna:  
 Gnatos mortificat, viuificatque, Deus.  
 Hos (cùm vult Dominus) terræ deducit ad vnam:  
 Ducit ad infernum, duxque reducit eos.  
 Ad vitam hos reuocat, cùm desperata, sepulchro  
 Vita, est illorum proxima, vana sibi.  
 Est necis, & vitæ Dominus Deus arbiter orbis  
 Et vitam, & mortem detinet ille manu.  
 Hic inopem miserum facit, & nunc ditat, & illum  
 Deprimit, & pressum subleuat, atque regit.  
 Suscitatur, & paruo de puluere tollit egenum:  
 Et vocat ad summum, perpetuumque decus.  
 Erigit hunc vili de stercore, regis ad aulam  
 Euchit, vt sacrum Rex diadema ferat.  
 Vt cum principibus sedeat, soliumque supremum  
 Gloriæ hic acquirit, possideatque sibi.  
 Nam terræ cardo Domini dominantis in orbe  
 Est, molem terræ condidit arte sua.  
 Arcticus illius Polus est, Antarcticus huius:  
 In quibus hic orbis vertitur axe suo.  
 Et super hos terram mediam, mundumque locauit:  
 Orbis vt in centro firmus hic esse queat.

Hos Deus arbitrio constanti dirigit, illos  
 Huc illuc certa pro ratione rotat.  
 Ipse pedes nitidos seruatorum sponte benigna  
 Seruabit, fidus dux erit, atque comes.  
 Et quocunque volet, prudenter diriget illos:  
 Illis os, linguam, colloquiumque dabit.  
 Illis intrepidis nec iure, resistere reges  
 Atque duces poterunt, hos Deus ille reget.  
 Ut tùm confundat reges, rabidósque tyrannos.  
 Iudæos prauos, nequitiaque duces.  
 In tenebris homines prauis, ratione tacebunt:  
 Guttur nec poterunt promere verba suo.  
 In virtute sua vir non firmabitur, omnis  
 Virtus est Domini, terribilisque Dei.  
 Rixantes hostes Domini frangentur, & illum  
 Hi formidabunt præcipitante metu.  
 De cœlis super hos turbatis sæpè tonabit:  
 In terram mittet fulgura rauca Deus.  
 Finibus his terræ Dominus rex iustus, & æquus  
 Ius dicet, iustum iudiciumque dabit.  
 Imperiumque suo regi dabit ille per orbem.  
 Per mare, per terras, sydereumque polum.  
 Ille sui Christi cornu, regnumque, decusque  
 Efferet, & regum maximus vnus erit.

*Canticum Ezechie Iudææ Regis.*

*Esaie. 38.*

Ego dixi in dimidio dierum.

**D**ixi ego in annorum spatio florente meorum:  
 Has lymbi portas, & loca mœsta petam.  
 Inferna est patrum hîc regio, manésque piorum.  
 Hîc nondum aspiciunt regna beata Dei.  
 Septem lustra meæ vitæ cum quattuor annis  
 Transagi, & mihi nunc læta iuuenta viret

Flos mihi solus adest æui, viridisque iuuentæ.  
 Præmatura mihi mors inopina venit.  
 Quæ huius illud quod superest ex tristibus annis:  
 Vitæ restabant octoque lustra meæ.  
 Dixi viuentum in terra, non ergo videbo  
 Ipse meum Dominum, perpetuumque Deum.  
 Non vltra aspiciam hominem, dulcisque quietis  
 Hunc habitatorem iam moriturus ego.  
 Ast expectabam in fœlici viuere pace,  
 Per te, Sennacherib dum mihi victus erat.  
 Dum mihi victus erat yehemens exercitus huius  
 Qui dabat immeritò plurima damna mihi.  
 Non ego præreptus subita illa morte videbo  
 Hanc regni pacem, deliciásque mei.  
 Urbis & ipse meæ pacem placidamque quietem  
 Non ego prospiciam (summe Monarcha Deus.)  
 Hæc modò conspiciet gaudens extraneus, amplas  
 Florentis regni semper habebit opes.  
 Has sibi pacificè viuens possessor habebit:  
 Regno succedet (nec ratione) meo.  
 Est ablata mihi penitus generatio, morte  
 Intempestiua præueniente mihi.  
 Pastores ab agris in agros tentoria mutant.  
 Illaque conuoluunt, hæcque voluta ligant.  
 Illa voluta ligant, ouibus dum pascua desunt:  
 Est à me prolis sic reuolutus amor.  
 Cogor ab hoc florens iuuenis discedere mundo.  
 Commutare locum mors violenta iubet.  
 Ergò dies vitæ postquam consumpta fatiscit:  
 Regia progenies non erit vlla mihi.  
 In medio certè spatio florente dierum  
 Qui mihi labuntur, prætereuntque citò.  
 Ut textor telam præcidit, sic mihi vitæ  
 Filum, præcisum est, atropos illa necat.

Præmaturus adhuc dum vitam ordire in orbe:  
 Succidit subito me Deus ille meus.  
 Hanc fragilem vitam subito succidit, & aufert  
 In medio spatii, curriculique sui.  
 Ex ortu solis, donec nox venerit atra:  
 Tu me concludes (ô venerande parens)  
 Nec dabis ulterius dulcis mihi tempora vitæ.  
 Dum vitæ currit flosculus ipse meæ.  
 Tam grauis est morbus meus, vt nunc viuere solùm  
 Hoc currente die me rapiente, putem.  
 Sperabam vitam, donec se aurora quadrigis  
 Pandit ab Oceano cum rutilante die.  
 Cùm sol cæruleos fluctus, camposque liquentes  
 Deserit, ascendens luce micante Polum.  
 Sed nunc ante diem, & rubicundæ præmia lucis  
 Tempora, tu claudis morre furente dies.  
 Hic vehemens morbus, veluti leo sæuus, & atrox  
 Omnia contriuit corporis ossa mei.  
 Vt leo sæuus ouem discerpit dente voraci:  
 Ægrotum sic me deuorat iste dolor.  
 Ex ortu solis, dum illuxerit hesperus, ægrum.  
 Tu me conficies, comminuesque manu.  
 Præ fame, vt impatiens sibi pullus hyrundinis, illam  
 Absentem matrem clamitat, atque gemit.  
 Et querulus nidum desertum vocibus implet:  
 Vt mater veniens adferat ore cibum.  
 Sic ergo clamabo in lymbo vehementer, & ipse  
 Æger in hoc mundo, nocte, dièque, gemam.  
 Donec rex ad me veniat saluator Iesus.  
 Est meus ille Deus, rex meus vnus erit.  
 Semper ego plorans meditabor, vt ægra columba  
 Absentem tristi quæ vocat ore virum.  
 Ergò mei flentes oculi attenuantur in horas.  
 Excelsum, & dulcem suspiciendo Deum.

Expectant, quando veniet saluator Iesus.  
 Seruator meus est, & mea sola salus.  
 O Domine alme Deus, summæ pietatis origo  
 Vim patior, mærens & mala multa fero.  
 Responde pro me, tu ritè quiescere me fac  
 Et mihi da placidæ dulce quietis opus.  
 Esto meus sponsor, responde denique pro me:  
 Quid dicam, Domino quid recitabo meo?  
 Quidque lutum, figulo dicam, cùm fecerit hic me:  
 Quid respondebit, præcipietque, mihi?  
 Cùm tot in hunc feci peccata, quid eloquar? ipse  
 Quod dedit auxilium, iure negare potest.  
 Vt me construxit, sic me modò destruet, ille:  
 Si vult, & faciet ius ratione mihi.  
 Ille manum meritò, quando vult, auocat à me:  
 Idque sua iusta cum ratione facit.  
 Quid tibi (iuste Deus) dicam? non iure valerem  
 Excusare scelus, flagitiùmque meum.  
 Ergò meæ in lachrymis animæ vehementer amatis  
 Quæ vocis querulæ pondera iusta tenent.  
 Hic reuocabo meos omnes tibi prorinus annos:  
 Pronus ego ad crimen tempus in omne fui.  
 Ex vno vitio, multa in peccata relabor.  
 Perpetuus labor est, hæc mea vita breuis.  
 Nil meum ego inuenio nisi crimen, quod Deus horret.  
 Quod detestaris, quòdque repenti fugis.  
 Ipse boni si quid feci, non prodiit ex me:  
 Gratuita sed adest è bonitate tua.  
 O Deus in misero quoniam sic viuitor orbe  
 Casibus & miseris hæc mea vita subest.  
 Atque mei versatur in his hæc spiritus huius  
 Vita, ægrum afficies, corripiésque flagris.  
 In carnem venias tu fons pietatis, Iesu:  
 Atque tuum tu me viuificabis opus.

Ecce mei fletus, in pace frequenter amaris  
 Ecce dolor misero semper acerbus inest,  
 Multis ipse licet videar modò viuere fœlix  
 Hac in pace tamen sum miser ipse mihi.  
 Vita hominis quamuis videatur in orbe quietas  
 Nonnunquam tamen est semper amara sibi.  
 Hanc animam bonitate meam (Deus) eripuisti.  
 Vt non illa tuum morte periret opus.  
 Post tergum subito cuncta hæc mea crimina clemens  
 Rex proiecisti tu pietate tua.  
 Non etenim infernus te voce fatebitur ipsum  
 Te, nec supremo laudis honore colet.  
 Iustificante fide sua nec tibi crimina dicet  
 Nec mors laudabit te (benedicte Deus).  
 Qui modò descendunt in mortis flebilis antrum  
 Non expectabunt pacta, fidemque tuam.  
 Non expectabunt tua pacta, tuamque salutem.  
 Hic viuens, viuens te colet alme Deus.  
 Constanti Dominum te voce fatebitur vltro:  
 Vt (bone Rex) hodie te venerabor ego.  
 Hæc tua pacta patefaciet benè cognita gnatis.  
 Te semper verum notificabit eis.  
 Nam nudis pactis, firmo quæ vestis amore.  
 Actio diuino numine legis, inest.  
 Et tuus vnus amor verè nos obligat, vt nos  
 Seruemus sanctum dulcis amoris opus.  
 Tu fac me saluum (ô Domine) his in rebus acerbis.  
 Cùm me discruciat morbus, & ille dolor.  
 In flore ætatis viridis iuuenilis honoris  
 Incolumem vitam tu mihi redde, precor:  
 Donec viuemus, psalmos cantabimus illa  
 In Domini sacra, magnificaque Domo.  
*Oratio Ieremiæ pro captiuo populo Threnorum.*

*Ieremie 5.*

Ô Domi.

Ô Domine alme recorderis pietate fideli  
 Quid nobilis fuerit contigeritque cito.  
 Tu contemplare, & leni tu prospice vultu  
 Opprobrium nostrum valde benigne Deus.  
 Externum ad populum versa est successio nostra  
 Ille Domos nostras occupat, atque rapit.  
 Et nos pupilli facti sumus absque parente:  
 Matres vt viduæ, sollicitæque gemunt.  
 Potus aquæ nostræ (cùm viit sitis arida guttur)  
 A nobis emitur venditione graui.  
 Nos emimus pretio nostra omnia ligna, molestis  
 Quæ rapuit nobis hostis auara manus.  
 Sæpe minabatur nostris ceruicibus, vt nos  
 Vndique torqueret triste doloris onus.  
 Nulla dari poterat requies cum tristibus illis  
 Curis, quæ lachrymis corda sepulta dabant.  
 Nullus erat somnus lassis noctesque, diésque:  
 Menti torpor erat, sensus & omnis iners.  
 Vt saturaremur nos paruo pane, latranti  
 Hoc stomacho, & rabida nos cruciante fame.  
 Nos dedimus miseri ægra paupertate iubente  
 Ægypto, aduersis, Assyriisque manum.  
 Ex agro nostro nil nobis ferre licebat  
 Quo saturaretur venter, & ægra fames.  
 Peccarunt nostri patres & denique non sunt  
 Illorum ferimus crimen & omne scelus.  
 Serui sunt nobis dominati sæpe nec horum  
 E manibus qui nos vendicet, vllus adest.  
 Querimus hîc nobis vitæ discrimine victum:  
 Desertum siccum est siccus & omnis ager.  
 Ob famis horrorem nostræ sunt vndique pelles  
 Exustæ, vt clibanus quem cremat ignis edax.  
 In Sion vxores, in Iuda vrbe, puellas  
 Oppressere, duces interiêre viri.

Cc

Sunt horum violente manu crudeliter illi  
 Suspensi, in pretio nulla fenestra fuit.  
 Non habuere senum vultus in honore decoros  
 Hostes crudeles impietate sua.  
 In pistrinum adolescentes rapiuntur, ut illis  
 Ob victus causam dulcia farra molant:  
 In ligno pueri oppressi cecidere repente:  
 Nec potuere graues has agitare molas.  
 Viribus extinctis pressi cecidere sub illis:  
 Non dant in portis debita iura fenae.  
 Illorum iuuenes apud organa musica defunt  
 A cantu cessant exhilarante suo.  
 Et defunt nostri placidissima gaudia cordis:  
 In luctum noster vertitur ille chorus.  
 Heu cecidit templum, nostri capitique corona:  
 Vae nobis, quia nos fecimus omne scelus.  
 Vae nobis, quia nos miserè peccauimus ipsi  
 Idcirco nostrum cor sibi triste dolet.  
 Propter id illi oculi nostri vehemente dolore  
 Obtenebrati sunt, nilque repente vident.  
 Hunc montem Zion qui nunc vastatur, atroces  
 Vulpes peruadunt, confodiuntque sibi.  
 Sed tu mi Domine igniferi moderator olympi  
 Et Rex omnipotens, tempus in omne manes.  
 Et solium regale manet per saecula cuncta:  
 Sic nunquam excellens desinet huius honos.  
 Cur tu perpetuo nostri obliuisceris? & cur  
 Tempore nos tanto deseris almae parens?  
 Nos ad te conuerte tuo bonitatis honore:  
 Et conuertemur te duce, summe Deus.  
 Iustaura ipse dies nostros (Rex dulcis) ut olim  
 Tu voluisti illos composuisse tibi.  
 Sed nos proiciens repulisti, atque amplius in nos  
 Senis, sauitiam desere sponte tuam.

Iraus nobis Deus es iam plus satis, iram  
 Pone tuam, sat nos punit ille furor.

*Canticum Esaiæ de Christi Ecclesia.*

*Esaiæ. 26.*

**R**oboris vrbs nostri Sion saluator in illa  
 Ponentur, muri fortis & arcis opus.  
 Hanc muro atque arce inuicta Deus vndique cinxit  
 Ut sit in hac ingens, atque suprema salus.  
 Vos portas aperite fores vos pandite clausas  
 Ut gens introeat sancta, fidemque colens.  
 Natura fixa pacem seruabit amicam:  
 Pacem seruabit, constituétque sibi.  
 Inuictis animis omnes sperauimus in te  
 O Domine, & mundi totius vna salus.  
 Christe, hominem (cuius bona mens te nititur vno)  
 Seruabis, multa hic pace fruetur homo.  
 In saeclo æterno, in Domino sperate fideli:  
 In Domino æterna est petra, salusque Deo  
 Nam iucuruauit eos qui turres, & loca tuta.  
 Et celsas arces, celsaque regna colunt.  
 Et mundi infirmae elegit, quod fortia quæque  
 Confundat cunctis ut sit in orbe salus.  
 Sublimem urbem deiiciet, prosternet hic illam  
 Ad terram, æquabit mœnia celsa solo.  
 Utque lutum deducet eam nullumque manebit  
 Saxum, sub saxo nec basis huius erit.  
 Pes calcabit eam, pes pauperis, atque vacillans  
 Gressus egenorum, sic cadet huius opus.  
 Sic cadet huius honos, est iusti semita recta  
 Et nullos scopulos, nullaque damna timer.  
 Iustus credens Christo, non impinget in vllum  
 Errorum, Christus dux bonus huius erit.  
 Libellam ad rectam tu æquas Deus optime rector  
 Hanc planam iusti, nocte, dieque, viam.

Æquas huius iter planum, ne scilicet ille  
 Offendat, sed ut hic tutius ire queat.  
 Quin & iudiciorum in recto calle tuorum  
 Nos expectamus robur, opemque, tuam.  
 Expectamus opem, cum nos affligis, & vrges:  
 Quod rectè, iusto iudicioque facis.  
 Ad nomen perdulce tuum, memorè mque furorem  
 Est desiderium mentis, & vnus amor.  
 Mente, animoque meo iam te desidero nocte:  
 Ad te maturo manè, benigne Deus.  
 Spiritu ego ipse meo in cordis penetralibus, ad te  
 Maturabo vigil manè micante nouo.  
 Cum tua iudicia in terra sunt ædita, discunt  
 Omnes iustitiam, qua benè cuncta regis.  
 Cum iustus iudex homines affligis in orbe  
 Iusto iudicio tunc scelus omne dolent.  
 Iustitiæ tunc dant operam, respiscere gaudent:  
 Te Dominum agnoscunt iure fauente, suum.  
 Impius ille tuis meritis affectus opimis  
 Non discit meritum, iustitiàmque sibi.  
 Ob quam contritus respiscere gaudeat, ob quam  
 Flere suum grauiter debeat ille scelus.  
 In terra plana sed iniquè viuere gaudet.  
 Sic non aspiciet numen, opesque Dei.  
 O Domine omnipotens, scelerati non benè cernunt:  
 Quando tua erigitur dextera valde potens.  
 Sed sibi confusi toties aliquando videbunt:  
 Hos populi zelus dum premet ille tui.  
 Illius zelo pudefient prorsus, & illi  
 Noscent, quòd populum tu vehementer amas.  
 Quin tu illos inimicorum igne vorabis, & vret.  
 Illos ignitus, sanguineusque, rubor.  
 Atque pudore graui velut igne rubente peribunt:  
 Da nobis pacem summe Monarcha Deus.

Omne opus hoc nostrum nobis operatus es, & tu  
 Nil sine consilio, iustitiàque facis.  
 O Domine, ò princeps noster Deus vnicus, absque  
 Te: Domini, duro nos tenuère iugo.  
 Ore, & corde tui dulcis memorabimur vltro  
 Nouimus, & cordi fixus hic vnus eris.  
 Mors violenta suos violentos falce tyrannos  
 Strauit, non viuens tempus in omne Deo.  
 Illi cum iustis minimè, numquàmque resurgent.  
 Ad vitam æternam, quam Deus ille dabit.  
 Idcirco quòd eos visisti iratus, & illos  
 Expulit ira, tuæ iustitiæque rigor.  
 Et tua iustitia æqua omne illud nomen eorum  
 Perdidit, indulges (Rex Deus alme) tuis.  
 Indulges genti, sceleri tu parcis iniquo.  
 Nec tu vis summo plectere iure scelus.  
 Credentes in te meritis scelicibus vltro  
 Tu cumulas, & eis das bonitatis opes.  
 Glorificatus es, & varias regionis in oras  
 Disperges gentem (summe Monarcha) tuam.  
 Longè extendisti tu terræ totius omnes.  
 Fines, viferunt te (Deus alme) tui.  
 Et te viferunt cum vrger dolor anxius illos.  
 Murmuris hic clamor, vox tua, iusta docens.  
 Disciplina tua, est illis afflictio, quam tu  
 Das illis, & eos per flagra læta doces.  
 Castigas illos quos diligis, atque flagellas  
 Gnatum, quem recipis, blanditiisque foues.  
 Ærumnis multis tu corripis, & facis illum.  
 Hæredem, regni participemque tui.  
 Ut quæ concepit, quum ad partum accesserit, illa  
 Clamat, & ingenti pressa dolore gemit.  
 Ægra dolere solet, solet ægra erumpere sæpè  
 In querulos gemitus, mœstitiâque graues.



In vultu rutilante tuo (Domine optime princeps)  
 Sic fuimus, vehemens pertulimúsq;e malum.  
 Conceptum, atque grauem partum nos fecimus ægri  
 Altos clamores fecimus ore graui.  
 Cùm peperit mulier puerum, non illa ferocis  
 Pressuræ meminit, tristitiæque suæ.  
 Cùm sit homo in mundo natus, quo, oblita doloris  
 Exultat, plenam lætitiámque parit.  
 Mutat tristitias in gaudia crebra, vicésque  
 Mæroris pensat prosperitate noua.  
 Sed veluti ventum enixi sumus, heu dolor omnis  
 Nos ægros cruciat, perpetuóque premit.  
 Et nobis aliis victis angoribus, illic  
 Sunt expectandæ denique mille cruces.  
 Non est facta salus terræ, tribulatio nunquam  
 Cessauit, mæror nocte, diéque venit.  
 Iustitiam in terra non fecimus, attamen orbis  
 Híc habitatores non cecidere sibi.  
 Nec morem gessere Deo, qui sapius ægros  
 Nos affligebant impietate sua.  
 Illos non vicit patientia nostra tyrannos  
 Qui nobis miseris multa tulere mala.  
 Illi qui pro te mortem subiere lubenter.  
 Viuent, & tua (Rex) regna suprema colent.  
 Ut meum & hoc corpus cirò te mandante resurgent:  
 Et lati viuent semper in arce tua.  
 Expergiscimini, & Dominum laudate potentem.  
 Vos habitatores pulueris huius humi.  
 Sicut ros herbas, sic manes elicis (ò Rex)  
 In vitam, eiecta qua reteguntur humo.  
 Illa deiecta terra, totaque reclusa  
 Illos in vitam sic reuocare cupis.  
 Sic surgunt virtute tua, corpúsq;e resurgunt  
 Subtile, illud idem quod tenuère priùs.

I ergo mi popule, in tua tu penetralia gaudens  
 Ingredere, & tu te protinus abde domi.  
 Et tua tu post te claude hostia, tu breuis horæ  
 Momento, latita dum fluat ira ferox.  
 Dum ista tyrannorum indignatio, siue potestas,  
 Discors prætereat, sustine triste malum.  
 Aduersos casus tu fer patienter, acerba  
 Cedet tempestas, sæuitiæque furor.  
 Et breue tempus erit, victricis præmia palmæ  
 Tu referes, fœlix ille triumphus erit.  
 Námque suo rutilante loco egredietur amicus  
 Rex Dominus, clemens, propitiúsq;e Deus.  
 Iustus erit vindex habitantum totius orbis  
 Ut pœnas meriti, iustitiæque ferant.  
 Detegat illa suum diffusum terra cruorem.  
 Nec magis occisos hæc operire volet.

*Canticum Deboræ.*

### De victo Sisara Iudæorum hoste.

*Iudicum 5.*

**Q**ui sponte offertis de Israël ob scelus atrox  
 Has animas vestras ad graue quódque malum.  
 Tempore in afflictò, & fœlici, nocte, diéque  
 Inuictum Dominum concelebrate Deum.  
 Vos illi Domino Regi benedicite, grates  
 Soluite vos Domino quem fera bella tremunt.  
 Nam vobis animum intrepidum, robúrque, feroces  
 Contra hostes addit Rex Deus ille potens.  
 Vos Reges audite, attentis auribus illis  
 Percipite ingenui, magnanimique duces.  
 Ipsa canam Domino, psallam Dominóque, Deoque  
 Israël, illi carmina vera dabo.  
 O Domine omnipotens, cùm Rex exercitus vnus  
 De Scir exires victor in hoste tuo.

Cùm tu per laras regiones, vastaque rura  
 Edon, transires, terra molesta tremit.  
 Et cœli, & nubes stillarunt æquoris undas:  
 Omne solum pluuiis implicuere suis.  
 Omnis Idumæus populus vehemente tremore  
 Attonitus rapitur, concutiturque citò.  
 Despondere duces animum, sunt prorsus adacti  
 Ad lachrymas, illo præ violente metu.  
 A facie Domini fluxerunt undique montes:  
 Versi sunt in aquas adueniente Deo.  
 Et tremuit Sinai, à facie rutilante tremendi  
 Israël Domini, terribilisque Dei.  
 Hos in Sangar, Anath, prolis, gnatique, diebus  
 In Iahel vita, temporibusque suis.  
 Audebat nullus desertos ire per agros.  
 Illic frigus iners, & tremor omnis erat.  
 Hic ieiuna fames, illic genus omne ferarum:  
 Hic nullum hospitium, nullaque certa domus.  
 Qui faciebat iter, per deuia tum loca quaque  
 Declinabat, ei semita tristis erat.  
 Desierant pagi, linquebant dulcia rura  
 Ruricolæ, incultus sic erat omnis ager.  
 In populo Israël cessarunt undique fortes:  
 Atque quieuerunt hoc comitante Deo.  
 Donec forti animo tum Debora surgeret illo  
 Accincta auxilio, præsidioque Dei.  
 Donec in Israël mater laudabilis huius  
 Surgeret ingenti robore cineta suo.  
 At simul ipse nouos superos, Dominosque, Deosque  
 Elegit praua conditione sua.  
 Infidet his portis bellum, belloque cruento  
 Plectitur Israël propter inane scelus.  
 Heu in quadraginta Israël millibus, vnus.  
 Non visus clypeus, visa nec hasta fuit.

Dispeream si tot de millibus vnus in hostes  
 Ausus erat forti sumere tela manu.  
 His animum, & vires adimebat Rex Deus vnus.  
 Hos stupor inuasit, corripuitque metus,  
 Includunt sese in munitis urbibus illis:  
 In quibus excelsas composuere domos,  
 Quas tamen hostis atrox nunc obsidet undique clausas  
 Quas cingit vallo, militiaque truci.  
 Ex illis nè quis validum prodiret in hostem  
 Vt sunt attoniti præ vehemente metu.  
 Vos ego corde duces Israël diligo, rectas  
 Qui facitis leges, rectaque iura datis.  
 Qui tam prompto animo, & tam prompto corde, periculis  
 Nunc vos offeritis, conseritisque manus.  
 Qui tam strenuè in hoc bello pugnatis in hostem:  
 Vnà cum populo vos celebrate Deum.  
 Vos Dominum laudate, Deo benedicite, grates  
 Vos illi Domino reddite, tempus adest.  
 Restituit vobis animum, viresque sepultas:  
 In bello auxilium dura per arma dedit.  
 Vos vecti mulis nitidis, albisque, tribunal  
 Qui colitis sanctum, iudiciumque datis.  
 Vos quos iudicio Dominus præfecit, vt ipsi  
 Sumatis primum, præcipuumque locum.  
 Vos mercatores, qui asinis equitatis in albis:  
 Quas summo in pretio maximus orbis habet.  
 Et vos qui iuxta Middin habitatis, & estis  
 Illi vicini, contiguusque, loco:  
 Contiguusque loco qui prorsus ab hoste frequenti  
 Infestatur, opus commemorate Dei.  
 Illud opus Domini narrate, Deoque benigno  
 Grates cum summa relligione date.  
 Cùm liceat vobis huc multò tutius ire:  
 Multò liberius, nil nocet hostis atrox.

Hic ubi sunt currus collisi fortiter hostis:  
 Qui contra Israël prælia dura tulit.  
 Hic ubi nunc perit violens exercitus hostis:  
 Ius ibi narretur, iusticiæque Dei.  
 Israël fortis clementia laudibus illic  
 Concelebretur, ibi victor in hoste Deus.  
 Deuicto Sisara ad portas descendit apertas  
 Plebs Domini, obtinuit principis illa locum.  
 Imperium obtinuit, licuit tunc absque periculo  
 Hostis, agros cunctis sæpe videre suos.  
 Tu surge ergò, & surge ô Debora, surge frequenter.  
 Tu surge, & carmen concine voce Deo.  
 Surge Barach, lauda Dominum, mûdique Monarcham  
 Ille tibi palmæ præmia læta dedit.  
 Te nunc adiuuit, victricia signa, triumphos  
 Et placidam pacem contulit ille tibi.  
 Fili Abi, tu Noan dextra victrice benigna  
 Capituos pulchro duc in honore tuos.  
 Reliquias populi Dominus seruauit, & ilis  
 Horribiles hostis nil nocuere minæ.  
 Pugnauit Dominus princeps in fortibus illis.  
 Hoc pugnante Deo frangitur hostis atrox.  
 Ex illo Ephrain deleuit Rex Deus illos  
 Contra Amalech forti prædominante manu  
 Ephrain, post te pugnabit Benjamin, illis  
 In populis victis hac ditione tua.  
 Legislatores primates totius orbis  
 Et clari, & fortes, præcipuique duces.  
 Ex Machir in mediam tunc descendere palestram:  
 Fratribus ut robur, præsidiumque darent.  
 Et descenderunt ex illo Zabulon illi  
 Ingenui, atque alacres, eximiique duces.  
 Imò etiam hi scribæ qui animos, & pectora dedunt  
 His studiis quæ nos lætificare solent.

In fratrum auxilium venerunt, arma polita  
 Ceperunt forti belligerante manu.  
 Indè duces clari, & dominantes Issachar huius  
 Venerunt, quandò Debora bella daret.  
 Illi præsidium inuicta virtute tulerunt.  
 Cum illo, contra hostem conseruere manus.  
 Sunt Barach audaces vestigia firma secuti  
 Qui vitæ obiecit cuncta pericla sua.  
 Qui sese peditem generosum in valle periclis  
 Misit, ut hic alacer staret in hoste suo.  
 De Ruben hic in se diuiso Iordanis amne  
 Contendunt fortes, magnanimitique viri.  
 Demiror, quòd non venere ut fratribus illi  
 Ferrent auxilium, nam graue tempus erat.  
 Inter oues, caulâsque duas, cur ipse sedes, tu:  
 Ut gregis auditus Sibilus ille foret?  
 Ille quiescebat Galaad trans Iordanis amnem.  
 Cur Dan tam exacta manibus arte vacat?  
 Præ vehemente metu cur ultra Iordanis amnem  
 Transtulit vnus opes, diuitiasque suas?  
 Ad littus, portumque maris sedet vnicus Aser  
 His in rupturis nunc manet ille suis.  
 Zabulon hic populus vitam deuouit, in atram  
 Mortem, nec timuit quæque pericla necis.  
 Neptalicus populus campo pugnauit aperto:  
 Summa in planitie ferrea bella tulit.  
 Venerunt Reges, & pugnauere repente:  
 In populum Israël arma tulere sua.  
 Pugarunt Reges Chanaan discordibus armis  
 In Thanach, ad aquas clara Mageddo, tuas.  
 Nil tamen indè lucri, prædæ placidæque tulerunt:  
 Argenti frustum nec peperere sibi.  
 Nulli parcebant oblato protinus auro:  
 Captos plectebant morte feroce suos.

De cœlis in eos pugnatum est, vndique stella  
 In Sisaram pugnam conferuere trucem.  
 Ordine, præcipiti cursu, & statione manebant:  
 Israël gnatis robur, opemque, dabant.  
 Sic Cison torrens inimica cadauera traxit.  
 Vndis, & cursu prætereunte suo.  
 Hos rapuit tortens Cison, torrensque Cadumin.  
 Conculca fortes mens mea firma viros.  
 Ungula fortis equi cecidit fugientibus illis.  
 Hoc faciebat eis impetus ille fugæ.  
 Vos vrbi terræ Meroz maledicite, dixit  
 Angelus hîc Domini perfida bella domans.  
 Illius omninò maledicite iure colonis.  
 Vires acceptas non retulere Deo.  
 Non inquam auxilio Domini cum fortibus huius  
 Sese adiunxerunt conditione bonas:  
 Laudetur supra mulieres chara Cinæi  
 Iahet, vxor Haber Dux benè grata Deo.  
 In castro excellente suo laudetur, & illic  
 Hæc benedicatur, nam fauet illa Deo.  
 Si quis aquam peteret, iucunda fronte nouellum  
 Lac dedit, hæc Domino grata fuere suo.  
 Principis in phiala dulce obtulit illa butyrum  
 Et lauam ad clauum fortiter illa dedit.  
 Illis malleolis fabrorum fortibus illam  
 Adiunxit dextram sedulitate leui.  
 Percussit Sisaram, caput huius vulnerat, vno  
 Clauo ingens tempus perfodit illa suo.  
 Corruit, & iacuit morte incuruatus acerba  
 Inter crura, huius præualidòsque pedes.  
 Voluitur ante pedes huius, miserabilis ille.  
 Exanimis que iacet corpore stratus humi.  
 At per cancellos magnæ, celsæque dietæ  
 Prospiciens genitrix vlulat, ista loquens.

Sed cur nunc differt currus leuis illius, ad nos  
 Quò minus huc veniat cum leuitate sua?  
 Cûrque quadrigarum cursus, rapùsque frequentes  
 Cunctando retinent, impediuntque rotæ?  
 Vna quidem sapientior hîc aliis vxoribus, isti  
 Afflictæ socru talia verba dedit.  
 Forsitan exuias nunc diuidit hostis atrocis.  
 Et prædam ducibus diuidit ille suis.  
 Illi deligitur pulcherrima fœmina, cunctas  
 Quæ superet formæ nobilitate bona.  
 In prædam Sisaræ traduntur versicolore  
 Vestes, quas auro texuit artis opus.  
 Ad colla ornanda hic varia admiranda supellex  
 Congeritur, sic vult bellicus ille fauor.  
 Sic pereant omnes (ô rex, & iuste monarcha)  
 Hostes audaces qui tibi bella mouent  
 Sed qui te redamant, veluti sol splendet in ortu  
 Ignifero, rutilent, accipiântque decus.  
 Quattuor in decades annorum terra quieuit.  
 Et tranquilla viris, illaque tuta fuit.

*Symbolum Athanasij.*

**Q** Vicumque esse cupit fœlix, & saluus, oportet,  
 Catholicam vt teneat primitus ille fidem.  
 Quam nisi quisque sibi seruauerit inuiolatam,  
 Integrâmque: Dei non petet arcis opus.  
 Namque iter illius pravum sine fine, peribit:  
 Et pœnam æternam sentiet igne graui.  
 Illa procul dubio contingent, hîcque manebit  
 Exitus, assiduum suppliciumque feret.  
 Catholica illa fides, vt nos veneremur in illa  
 Hac τριάδι, hunc vnum, perpetuumque Deum.  
 Et τριάδα ἐν μονάδι veneremur, ἡ ἁποστολις illic  
 Non confundatur conditione sua.

Nec seiungatur substantia, nam patris illa  
 Persona, est alio concipienda modo.  
 Et persona alia est gnati, quid? spiritus huius  
 Sancti, illuc alia cum ratione venit.  
 Sed patris, & gnati & sancti huius spiritus vna  
 Est deitas, par est gloria, laus, & honor.  
 Vna coaeterna est maiestas, qualis habetur  
 Hic pater, hic talis filius ille manet.  
 Spiritus hic sanctus, talis, miniméque creatus  
 Est pater, & gnatus, patris imago Dei.  
 Non est hic etiam naturæ sorte creatus  
 Spiritus hic sanctus, quem comitatur amor.  
 Imminusus pater est, imminusus filius, atque  
 Imminusus sanctus spiritus ille manet.  
 Aeternus pater est, aeternus filius, atque  
 Aeternus sanctus spiritus vnus, hic est.  
 Non tamen hic tres sunt aeterni, solus, & vnus  
 Est aeternus in hac simplicitate sua.  
 Nec tres imminsi, nec tres miniméque creati:  
 Vnus hic imminusus, nec sibi tempus habet.  
 Est vnus verè simplex, miniméque creatus:  
 Qui sine principio, qui sine fine manet.  
 Omnipotens pater, omnipotens est filius, atque  
 Omnipotens sanctus spiritus vnus, hic est.  
 Et tamen hic numero tres non sunt omnipotentes:  
 Vnus hic omnipotens roboris arte sui.  
 Vt Deus, ille pater, Deus est hic filius, atque  
 Est Deus, hic sanctus spiritus, vnus amor.  
 Et tamen hic non sunt tres dij, sed solus & vnus  
 Est Deus, imminusum qui regit orbis opus.  
 Vt pater, est Dominus: Dominus sic filius, atque  
 Sic Dominus, sanctus spiritus ille manet.  
 Non tamen hic tres sunt Domini ratione, sed vnus  
 Est verus Dominus, qui benè cuncta regit.

Vtque sigillatim personam cogimur vnā  
 Quāque, Deum, ac Dominum dicere iure suo.  
 Vnāquāque Deum, verum Dominūque fateri  
 Cogimur, hac Christi catholiceque, fide.  
 Sic nos catholica prohibemur religione  
 Tres Dominos illic dicere, tresque Deos.  
 A nullo pater est factus, miniméque creatus:  
 Nec genitus formæ simplicitate suæ.  
 Filius à patre solo est non factus: at ille  
 Est genitus, sed non iure creatus, hic est.  
 A patre, & gnato non factus spiritus ille  
 Sanctus, nec proprio iure creatus, hic est  
 Et non est genitus, namque hic procedit ab illo  
 Hoc patre, & gnato, mutuus vnus amor.  
 Sic pater est vnus, non tres sunt denique patres  
 Non tres sunt gnati, filius vnus, hic est.  
 Sanctus spiritus est vnus, non trinus habetur.  
 In triade hac sancta nil prius esse potest.  
 Et nil posterius, nihil est hic maius, & illic  
 Nil minus hic paritas sic tribus vnā manet.  
 Totæ personæ tres, sunt paritate perenni:  
 Atque coaeternæ cum paritate sua,  
 Illis personis tribus vnā essentia simplex:  
 His est æqualis trinus, & vnus honor.  
 Sic *μονάδα ἐν τεράδι* imprimis veneremur, oportet  
 Et *τεράδα ἐν μονάδι* conueniente fide.  
 De *τεράδι* hac illa sic sentiat, esse beatus  
 Qui cupit, atque Dei principis arce frui.  
 Verū opus est ad fœlicem, aeternāque salutem:  
 Vt credat quod sit factus Iesus, homo.  
 Ergo est recta fides vt nos credamus, & ore  
 Confiteamur ad hoc dulce salutis iter.  
 Quod Dominus noster seruator Christus Iesus.  
 Est Deus, est & homo filius ille Dei.

Est Deus ex illo substanti viscere patris  
 πρὸς αὐτὸν genitus compar hic ille patri.  
 Est & homo ex illo substanti viscere matris  
 In sæclo natus, gentibus vna salus.  
 Perfectus Deus est & homo perfectus habetur  
 Subsistans anima, carnis & huius ope.  
 Hac anima rationali, humanaque sacrata  
 Carne, hic subsistens cum deitate sua.  
 Aequalis patri deitate, sed est minor illo  
 Naturæ humanæ conditione suæ.  
 Qui quamquã Deus est, & homo non sunt duo, Christus  
 Vnus persona, suppositoque suo.  
 Est vnus, deitas minimè conuertitur illam  
 In carnem propter simplicitatis opus.  
 Natura humana illic verè assumitur, illum  
 In verum æternum, perpetuumque Deum.  
 Vnus, hic omnino, nam non confunditur illic  
 ἑστία, persona solus, & vnus, hic est.  
 Vt mens, atque anima hæc consors rationis, & vna  
 Illa caro, est vnus corpore, verus homo.  
 Sic Deus hic & homo, est vnus Rex Christus Iesus  
 Qui nostra causa pertulit omne scelus.  
 Qui mala cuncta tulit nostræ ratione salutis  
 Qui crucis in ligno dulce pependit onus.  
 Qui victor mortis, nigrum descendit in orbem  
 Hac anima, hic tumulus sed sibi corpus habet.  
 Quique resurrexit victa de morte triumphans:  
 Cùm nitido illuxit tertia sole dies.  
 Ad cælum ascendit, sedet, illius omnipotentis  
 Ad dextram patris, perpetuæque Dei.  
 Indè est venturus viuos vt iudicet, atque  
 Defunctos vitæ doribus, atque bonis.  
 Cuius ad aduentum cuncti cum corpore surgent:  
 De factis reddent & rationis opus.

Qui

Qui bona fecerunt, ad vitæ dona resurgent:  
 Qui mala fecerunt, hæc necis antra petent.  
 Ignis perpetui flamma plebentur atroci  
 Iusto hoc iudicio conueniente Dei.  
 Catholica illa fides, quam si quis negligit, illa  
 Viuere non poterit saluus in arce Dei.

FINIS PSALMORVM

Canticorum.

D



AD EVNDEM CHRISTIANISSI-  
mum & inuictissimum Henricum tertium Gallia,  
& Polonia Regem.

Franciscus Mourettus suus in Vrbe Abbauilla, &  
praefectura pontiniensi Aduocatus, & Consiliarius,  
obsequentissimus seruus.



Vm sacra Maiestas versus exceperit illos  
Quos rudis exposuit paruula musa tibi.  
Psalmorū fructus, & cōmoda plurima fecū  
Iudicio exiguum conferet illud opus.  
Vt spero, capies, nec spes affulget inanis,  
Inuenies illic, quod reperire voles.  
Illic psalmorum vox est, & vna loquela:  
Sic pictura loquens, sacra poësis erit.  
Hicque magistratus viua tibi voce loquetur.  
Imperio cūm sis lex animata tuo.  
Hic tua diuinā miranda monarchia leges  
Sumet, & hoc Domini cognitionis opus.  
Illic iustitiam discēs, Domini que timorem,  
Qui regem, & regnum religione docet.  
Ille liber scriptus diuino numine sancti  
Spiritus, & cælum continet, atque solum.  
Continet & regem regum, qui temperat orbem  
Et terræ reges sub ditione regit.  
Hic pacem & bellum tractat, pacis que triumphos,  
Displicet hoc bellum, pax tibi iure placet.  
Tu pacem bello praefers, mortique salutem  
Vitæ, subiecto præripis arma necis.  
Traiani bonitas, Octauij ea optima virtus,

Et fortuna tibi iure fauere volunt,  
Regis Alexandri qui totum subdidit orbem  
Iustitiæ integritas lucet honore tibi.  
Iustitia (vt fert Euripides) ardentior extat  
Lucifero stella, lucidiôrque micat.  
Quid? Salomonis opes, sapientia, clarâque virtus:  
Iulij & ipsius Cæsaris altus honos.  
Iulij & ipsius prudentia summa, perennis  
Et Mithridatis honos, Mnemosinæque, decus.  
Horum & Scipiadum, qui sunt fera fulmina belli;  
Inuicta hæc virtus, & stratagemata, fauent.  
Diuina virtute fauent tibi (maxime princeps.)  
Hæcque tuas laudes hæc super astra ferunt.  
Regnum, & iustitię sanctum, sacrumque tribunal  
Tu pietatē, pari iustitiâque regis.  
Quamuis in fato ancipiti patientia læsa  
Sapientius, hoc summo sit sibi iure furor.  
Ergo fauore tui populi Deus optimus, auctor  
Pacis, ea ingenti det bonitate sua.  
Vt nos Saturni felicia sæcula verè  
Aurea, in hac placida nos videamus humo.  
Vt tuum id excellens, & multum nobile regnum:  
Sit regnum pacis, pacis & vnus amor.  
Vt tuo ab hoc regno pacis, Mars exul, & ardens,  
Vulcanus, nunquam ferrea bella gerant.

MAGNI ATHANASII OPUSCULUM  
in Psalmos Angelo Politiano interprete Latinis  
versibus ab eodem Mouretto donatum.

EST diuina omnis scriptura, magistra beatę  
Virtutis, cultus duxque, comestque, Dei.  
Est verę fidei regina, sed hic liber vnus  
Psalmorum, est nobis portus, & vna salus.

Effigiem status hic animę complectitur, illam  
Erudit, & recta nos ratione docet.  
Nam qui vt regem adit, ipse habitum prius, & sua verba  
Componit, mira promptus in arte sua.  
Ne fortè imprudens habeatur, sic liber ille  
Diuinus, monstrat dulce salutis iter.  
Currentes ad virtutem, & qui in corpore vitam  
Saluatoris amant noscere, ritè monet.  
Hos monet ille prius, quando motum illius omnem  
(Quo mens afficitur, concutiturque) legunt.  
Indè salutiferis variis sermonibus ornat:  
Instruit, & format quos in amore docet  
Ergò suę vnusque que animę deprehendere motum  
Atque statum in psalmis, cum ratione potest  
Sic scit quisque suam disciplinam, atque figuram:  
Quo & verbo possit ritè placere Deo.  
Tum quibus & verbis se castigare repenti  
Possit, & huic grates iure referre Deo.  
Nè (si præterquam fas est, in pectore dicat,)  
Incidat in vehemens impietatis opus.  
Nom etenim solùm de factō (mi Deus) omni  
Reddenda est ratio, certa fidēsque tibi.  
Sed referendus erit numerus (iustissime iudex)  
Ex his que sermo desidiosus habet.  
Ergò si cupias aliquem narrare beatum  
Lector, quo pacto dixeris, illud habes.  
Quinq; illi psalmi quos hæc nota marginis aptè  
Indicat, hoc produnt, commemorantq; tibi. Psalm. 1. 3. 31.  
40. & 127.  
De Iudeorum insidiis, & fraude latenti  
In Salvatore, si cupis ipse queri.  
Hoc verè poterit psalmus tibi ferre secundus  
Nam Iudeorum perfida monstra docet. Psalm. 2.  
Si te sæpe tui affligunt, multique tyranni  
Inlurgunt in te, bellaque sequa mouent.

Tertius occurret psalmus, qui carmine dulci  
Afflicto tribuet gaudia multa tibi. Psalm. 3.  
Si tua mēs studio Dominum vocat in sua vota,  
Cum te cingit atrox obsidione dolor,  
Et cum persequitur vehemens tribulatio mentem,  
Et quoniam audiuit vota, precēsque tuas.  
Casibus ereptus variis vis soluere grates.  
Tu dic hos psalmos, gaudia plena feres. Psalm. 4 & 114.  
A reprobis tibi si insidias, fraudēsque parari  
Cernis, & audiri si tua vota peris:  
Dic quintum psalmum, nam tu securus ab illis Psalm. 5.  
Euades, clypeo, presidioque, Dei.  
Si sentis Domini interdicta, minasque seueras:  
Territus, hos psalmos dicere iurè potes. Psalm. 6. & 37.  
Si aduersum te ineunt aliqui latitantibus armis  
Consilium, & vitę tristia damna tuę.  
In Dauidem, vt fecit consiliarius vnus  
Achitofel, si quis nunciet illa tibi. 2. Reg. 15.  
Septimus hic psalmus fraudēsque, dolōsq; latētes  
Subuertet subito sponte fatente Dei. Psalm. 7.  
Sic confide Deo, qui te seruabit ab istis  
Rebus, vt euasit Dauid ab hoste suo.  
Gratiam at ipse Dei diffusam tu vndique cernens  
Et Saluatoris regis amicitiam.  
Et genus humanum reparatum ritè saluti,  
Si vis affari mente, fidēque, Deum.  
Ipse refer tecum que Dauid dixit in illo  
Octauo psalmo, qui tibi gratus erit.  
Torcular insigne, & florens vindemia venit  
In mentem, & festum vis celebrare diem.  
Persoluens Domino grates ratione bonorum  
Que dedit, hos psalmos dicere pròpt<sup>9</sup> habes. Psalm. 8. & 80.  
Indè coerceri truculentum si cupis hostem  
Qui tibi perpetuò bella superba mouet.



Vtque creaturam seruari, non tibi fidens  
 Sed Domini gnato, psalmus hic aptus erit. Psal. 9.  
 Si quis fortè velit dubia formidine mentem  
 Afficere, afflictum cum dolor vrget atrox.  
 In Domino verè confidens dicito psalmum  
 Hunc decimum, euades tutus ab hoste tuo. Psal. 10.  
 Et si multorum mala mens, & fastus abundat:  
 Sanctum inter cunctos vt nihil esse queat.  
 Ad verum Dominum securus cõfuge, psalmum  
 Et dic vndecimum, gaudia iusta feres. Psal. 11.  
 Insidie hostiles, fraudesque diutius instant:  
 Vt dent oppresso tristia damna tibi.  
 Ne te ipsum totus desperans negliges, tanquam  
 Sit Deus oblitus nocte, dique tui. 211  
 Implora Domini auxilium, duce, & auspice Christo  
 Non poterunt hostis bella nocere tibi.  
 Sic mentem committe tuam tu viribus huius  
 Psalmi, namque feres robur, opemque, Dei. Psal. 26.  
 Si blasphemantes quos audis (proh dolor) vnũ  
 In Dominum solus qui benè cuncta regit:  
 Qui in mundo rerum cunetarum prouidus author  
 Presidet, & nutu temperat astra suo.  
 Nè sis tu consors prauę impietatis eorum:  
 Sed fuge ad hunc Dominum, qui grauis vltor erit.  
 Et dic hos psalmos, fugies scelus omne malorũ: Psal. 13. & 32.  
 Et disces cultum iustitiãque Dei.  
 Si tu scire cupis qualis sit ciuis amicus  
 Regni cœlorum, psalmus hic ille docet. Psal. 14.  
 Et si propter eos qui nunc tibi sponte resistunt,  
 Et qui animam cingunt obsidione tuam,  
 Est tibi opus precibus, psalmos dic sapius illos: Psal. 25. 35.  
38. 110.  
 Tutus eris pro te belligerante Deo.  
 Si vis scire, & quo pacto, & qua mente, beatus  
 Moses orabat, psalmus hic vnus habet. Psal. 92.

A te victore incolumi si decidit hostis  
 Cum sis ereptus, concine mente Deo. Psal. 17.  
 Ipse creaturarum rerum miraris honores  
 Et motum Astrorum, dispositõsque situs.  
 Gratiam & ipse dei, qui prouidet omnibus illis  
 Rebus perpendis, dic ea verba Deo. Psal. 18. & 27.  
 Si afflictos spectas, illis solatia præbe:  
 In cursu præceps cum mouet arma dolor.  
 Orans illorum causa, nè vulnere maior  
 Sit dolor, exemplo tristia damna leua.  
 Tritura paleę volantis grana premuntur:  
 Flos inter spinas crescit, & ipse manet.  
 Et rosa quę redolet, cum spina crescit acuta,  
 Quę pungit, sed odor gratior ille viget.  
 Sic huius psalmi iucundo carmine pressos  
 Consolabuntur verba benigna Dei. Psal. 19.  
 Si te seruari à Domino tu cernis, & ille  
 Prosperè agit tecum sponte fauente sua:  
 Tu profer gaudēs hunc psalmũ, nã dabit vltorẽ Psal. 22.  
 Omne voluptatis, leitięque genus.  
 Et si contra te crudelius irruit hostis:  
 Aegram animam ad Dominum tolle repentiẽ tuam.  
 Et dic hunc psalmum, tu cernes vndique vanos  
 Horum conatus qui tibi damna parant.  
 At si perstiterint inimici, te quoque querit  
 Tollere de medio sanguinolenta manus.  
 Ne tu des homini arbitrium, humana omnia certè  
 Sunt suspecta, Deo sed tua iura dabis.  
 Iudicem & ipse Deum solum pete, nam Deus vnus  
 Ille tibi iudex iustus & equus erit.  
 Et dic tu psalmos illos, versusque sequentes: Psal. 25. 34.  
& 32.  
 Namque tuam causam proteget ille Deus.  
 Sæuius insurgunt hostes, & perfida turba  
 Instar castrorum prælia dura mouent.

Et tē despiciunt, quasi ne sis vnctus, atroces  
Illos nil metuens, ista referre velis. Psal. 46.  
Si insidiatōres perfrieta fronte resurgunt:  
Nē cures illos qui tibi bella gerunt.  
Concine tu Domino, quę psalmus continet ille  
Inuenies vires, auxiliūque Dei. Psal. 47.  
Si tu scire cupis, quo pacto accedere debes.  
Ad Dominum, vt grates tu reuenter agas:  
Tu certē capies, & nosces doctus, aperrē  
Illum si psalmum spiritus ore canas. Psal. 48.  
Indē tuā domū, & hanc animā quę suscipit altū  
Hunc Dominum, renouans religione tua.  
Sensibilemque domum instaurans diuinitus, in qua  
Hic habitas cum vno principe, rege Deo.  
In qua tu quantū ad corpus, carnemq; rebellē  
Hic viuus, grates nunc age, dicque Deo. Psal. 49. & 126.  
Et si odio propter verum te cernis haberi  
A sociis, qui te fœdere pacis amant.  
Ne pietatis opem, affectum, studiūque remitte:  
Nēue aduersantes territus ipse time.  
Sed versans animo, & constanti mente futura:  
Tu dic, quę psalmus proferet ille tibi. Psal. 50.  
Si Baptizatos tu prospicis vndique mundos  
A corruptibili sanguinis huius ope:  
Diuinam pietatis opem Dominūque benignū  
Admirans, hilari tu cane corde tuo. Psal. 51.  
Si tu inter multos iustos, hominēque pudicos  
Rectē viuentes psallere voce cupis:  
Dic illū psalmū, in Domino gaudebis, & huius  
Syncerę vitę dulce sequeris opus. Psal. 52.  
Et si tu incideris rabidos incautus in hostes  
Qui nunquam cessant bella mouere tibi.  
Si prudenter ab his euasisti, insidiāque  
Effugisti, & ob id vis celebrare Deum:

Gratiam & ipse Deo vis lēta fronte referre:  
Pacificos homines tu vocitare velis.  
Et dic tu cū illis hunc psalmū gutture mūdo,  
Atque Deo palmę tu decus omne refer. Psal. 33.  
In malum iniquos si certare videbis, in illis  
Nē (duce natura) tu scelus esse putes.  
Vt quidem heretici fingunt, falsōque loquuntur:  
Sed dic hunc psalmum simplicitate tua. Psal. 35.  
Aspicias, quōd sint peccandi pessima causa,  
Demissis frenis in scelus omne ruunt.  
Si cernis, quod agant scelerati crimen iniquum:  
Et contra paruos cornua celsa ferant.  
Et tu vis aliquos hortari voce benigna  
Nē stultē attendant, aut imitentur eos.  
Nam illi extinguentur subitō, & rapiuntur in auras,  
Nec locus illorum reperietur humi.  
Dic tibi, dic aliis, que vendicat ille fidelis  
Psalmus, in hac fluxa prosperitate sibi. Psal. 36.  
Si curam ipse tui statuisti cautus habere,  
Et tu hostis laqueos, insidiāsque vides.  
(Nam contra similes inimicus sæpe mouetur)  
Aggrediens hostem, tu cane voce Deo. Psal. 38.  
Si multos videas inopes qui tempore duro  
Mendicent panem, quem petit egra fames:  
Et vis illorum misereri, tu potes illos  
Morbis afflictos iure probare tuo.  
Et tu alios vt idem faciant, potes ore benigno  
Hortari, dicens carminis illud opus. Psal. 40.  
Si desiderio in Dominum omni pectore flagrans  
Auscultas hostis probra molesta tui.  
Nē perturberis, sed percipe denique fructum  
Hunc immortalem qui bona quęque parit.  
Et qui ex hoc desiderio benē nascitur, egram  
In Dominum hanc animam spe recreare velis.

Consolare illá, & releuás, minuénſque dolores  
 Vitæ, pſalmi huius carmina læta cane. Pſal. 41.  
 Sæpè recordari Domini benefacta peroptas,  
 Quæ patribus fecit pro bonitate ſua?  
 Cùm illi exirent de Aegypti crudelibus oris  
 Et cùm in deſertonocæ, diè que forent:  
 Quò pacto Deus hic bonus eſt, at ſæpius illi  
 Ingrati, in pſalmis pluribus illud habes. Pſal. 44. 77.  
88. 105. 106.  
115.  
 Ad Dominum ſi confugiens euaderis, illa  
 Quæ aduerſus te hoſtis perfidus ore tulit:  
 Et tu vis Domino iuſtas perſoluere grates,  
 Eius & erga te tanta referre bona. Pſal. 45.  
 Eius & erga te mentem, vultumque benignum  
 Enarrare cupis, te liber iſta docet.  
 Si peccaſti, & conuerſum te pœnitet vltro  
 Peccati, & ſcleris, flagitiique tui.  
 Conſequi & indè cupis pietatem regis amici.  
 In pſalmo, vocis verba fatentis habes. Pſal. 50.  
 Si tu pertuleris regidi maledicta Tyranni  
 Faſtum, impoſturam, terribilèſque minas.  
 Et ſe iactantem peruerſum Dæmona cernis: Pſal. 51.  
 Secede, & verbi commoda verba cape.  
 Si qui te affligunt ſine cauſa mille periclis:  
 Et falſum inrendunt crimen, atroxque ſcelus.  
 Et malè te cupiunt fallaci prodere mente:  
 Prodidit vt Dominum gens Phariſæa ſuum.  
 Dauidem vt pariter gens prodidit exera, nè tu  
 Marceſcas curis, triſtitiæque graui.  
 Nec perturbatum te, redeat, ipſe benigno  
 Confidens Domino, carmina læta cane. Pſ. 53. & 55.  
 Sed ſi concurrat vehemens afflictio, quæ te  
 Torquet, & oppugnat, perſequiturque malè.  
 Et non cognoſcens, tunc ingrediatur in antrum  
 In quo, tu latitas, ne trepidare velis.

Rebus in afflictis vt te ſoleris, & huius  
 Facti, ſis memor, hic commoda tutus habes. Pſ. 56. & 141.  
 Si tuus hoſtis atrox præceperit vndique cingi  
 Armis occultis, inſidiis que, domum.  
 Quæ tibi perſugium tutum eſt in rebus acerbis,  
 Et quæ ſola ſalus, præſidiumque manet.  
 Solue Deo grates, implora ſæpius illum,  
 Rebus in aduerſis vt tibi præſtet opem.  
 In tabulis animæ afflictæ ſubtilibus ipſam  
 Rem incidens, pſalmum dicito, tutus eris. Pſal. 58.  
 Si exprobrent hoſtes, qui te vehementius vrgent:  
 Et moueant preſſo iurgia dira tibi.  
 Detrahat indè tibi mordentè loquacius ore  
 Fœdus amicitia que ſimulare ſolet.  
 Aerumnis feſſus, curis animique laboras,  
 Longum exercitium flès que, gemis que, tuum?  
 Et longum exilium deſtes, grauibùs que querelis  
 Te obruis, his lachrymis exanimas que tuis?  
 Tu potes implorare Deum, Dominum que potentem:  
 Dicens, quæ pſalmus quartus amcæn<sup>9</sup> habet. Pſal. 4.  
 In ſimulatorem, ac in eos qui valde ſuperbè  
 Seſe iactantes ambitione tument.  
 Vt conuertantur deuota mente, fidelem  
 Dic pſalmum, Domino ſic benè gratus eris. Pſal. 52.  
 Aſperius multò ſi hoſtis ferus irruat in te:  
 Vt vitam tollat fraude, dolò que, tuam.  
 Subiectum Domino te illi tu oppone, bonò que  
 Sis animo, & conſtans hæc tua fata feres.  
 Quò magis inſauit, Domino multò magis ille  
 Subiicietur, & hic dat tibi pſalmus opem. Pſal. 61.  
 Aerumnas mundi fugiens, ſi poſcis eremum:  
 Ne ſolus metuas, eſt comes, ille Deus.  
 Sic tecum Deum habens, & ad illum manè ſupremo  
 Surgens, Dauidis carmina blanda refer. Pſal. 62.

Nocte, diēque ferus si te deterreat hostis,  
Nec struere insidias desinat ille tibi.  
Contra te solum si inquirat cuncta, careritas  
Hostiles iactans in caput omne tuum:  
Ne tu cede humilis, veloces namque sagittæ  
Huius vulnus erunt, si canis ista Deo. Psal. 62.  
63, 69 & 70.  
Si Dominum, verumque Deum cantare peroptas.  
Psalms hic excellens dat decus omne Deo. Psal. 64.  
Clara resurgentis redamas mysteria vitæ:  
Et si quos illis imbuis, illud habes. Psal. 76.  
Si petis à Domino summa pietatis honores,  
Hunc canito psalmū, namque benignus erit. Psal. 66.  
Si florere vides reprobos in pace beata:  
Scandala nē tribuas, vt moucare dolens.  
Dic ea quæ Domino Dauid cantauit amico: Psal. 72.  
Tu post tristitiam gaudia iusta feres.  
Si populo Dominus princeps irascitur, illum  
Quo consoles, tu tibi carmen habes. Psal. 75.  
Et si tu quæris, quæ sit confessio pura  
Et tibi si sit opus, cum scelus omne, gemis:  
Cum Dauide canas psalmos, nam tempore tristi  
Solamen placidum, lætitiāque dabunt. Psal. 70.  
74, 91.  
Si tu gentilem, Hæreticos, falsosque prophetas  
Vis aspernari religione tua. 104, 105.  
107, 110.  
111, 235. &  
Cum minimè agnoscāt Domini sublimia facta  
Psallere tu prudens (hæc capiendo) potes. Psal. 85.  
Occupat effugium crudelis, & impius hostis,  
Et te continuus vexat vbique dolor.  
Anxietate licet malè peturberis acerba:  
Ne tu despera, fer tua vota Deo.  
Et si tu clamans sis exauditus in illo,  
Fato, tu Domino munera grata refert.  
Tu lauda excelsum Dominum, & tu voce sonora  
Dic illum psalmum, gratus es ipse Deo. Psal. 76.

Si persistentes inimici atrocius in te  
Irruerint, Domini polluerintque domum,  
Et sanctos huius iugularint more bidentum,  
Et dederint auiibus corpora sancta, cibum.  
Crudeles istos homines, rabidosque tyrannos  
Ne metuas, soli tu bene fide Deo.  
Interimunt solum corpus, Deus arbiter orbis  
Corpus, & hanc animam tollere morte potest.  
Tu solum Dominum timeas, patientibus illis  
Sanctis, ac iustis compatiare viris.  
Compatiens sanctis illis constantibus illum  
Psalmum lugubri concine voce Deo. Psal. 78.  
Si in celebri cœtu, Domino vis psallere, seruos  
Excelsi Domini tu simul ipse voca.  
His cane, quæ Dauid psalmis cantabat, & illis  
Iucundum carmen lætitiāque dabis. Psal. 80.  
& 94.  
Vndique si rursus cumulentur sæuius hostes,  
Concutiantque minis regna, domumque Dei:  
Si horum turba ferox conspirans in pietatem  
Irruat, & Domino probra superba vomat:  
Ne te cœtus atrox, vehemēsq; potentia turber,  
Nec te prosternas, concutiāque metu.  
Quæ Dauid cecinit, tibi sunt velut anchora facta:  
Qua tibi tutus eris spe vehemente tua. Psal. 82.  
Si tu æterna Dei tentoria prospicis, & tu  
Illius intentus templa, domumque vides.  
Et desiderio Pauli inflammatus ad ædem.  
Hanc ardescis, habes que tibi verba canas. Psal. 83.  
Si tibi præcipitis desuerit imperus iræ,  
Nec sis captiuus sub ditione truci.  
Liber habes, quo tu persoluas pectore grates  
Inuicto Domino, qui tibi fecit opem.  
Hos igitur psalmos tu concine gutture læto  
Commendāque animo tu bona tanta tuo. Psal. 84.  
& 115.

Quas generalis habet patiens Ecclesia rixas  
Discordes, contra scismata, nosse cupis?  
Ad fidem, & ad dominum conuertere si cupis illos,  
Dic huius psalmi commoditatis opes. Psal. 86.  
Te ipsum exhortari si vis, aliosque sodales  
Ad fidem, & ad nostræ religionis opus.  
Persuadere cupis quòd non confundit amicum  
In Dominum dux, spes, anchora firma, Deum?  
Nec quemquam perdit: sed mentem reddit in horas  
Intrepidam, lauda religione deum.  
Et dic impavidus, quæ psalmus percipit ille: Psal. 90.  
Vinces insidias dæmonis, atque dolos.  
Illius insultus tentatio, castra superba,  
Et fraus, atque minæ nulla pericla ferent.  
Sed pugnante deo nascentia protinus Hydræ  
Tu capita excindes, victor in hoste tuo.  
Sabbati at ipse die solemni psallere si vis:  
Occurrit psalmus lætus in ore tibi. Psal. 91.  
Indè die domini si vis persoluere grates:  
Hic psalmus decimus tertius, aptus erit. Psal. 13.  
Psallere si domino tu vis in luce secunda  
Sabbati, habes dulci quòd tibi voce canas. Psal. 94.  
Ipse parasceue si psallere percupis, hæc laus  
Se prodit summo commemoranda deo. Psal. 92.  
Tunc est ædificata domus, licet impius hostis  
Illam nitatur cingere Marte suo.  
Ergò triumphale est cantandum carmen aperto  
Ore deo, qui te seruat ab hoste truci.  
Si sint captiui, & domus hæc vastata sit, atque  
Restaurata, suum possit habere decus.  
Tu cane placatus, quæ psalmus dicitur ille: Psal. 93.  
Succedent lachrymis gaudia læta tuis.  
Si terram temerè vexauit perfidus hostis  
Et posthac domini pace, quieta manet.

Hoc psalmo poteris Domini cantare triumphos,  
Quos victo insignis victor in hoste, tulit. Psal. 96.  
Sabbati in hac quarta si psallere percupis, illi  
Inuictò Domino gratus hic hymnus erit. Psal. 93.  
Traditus hic etenim, tunc cepit iure rebellem  
Vlcisci mortem, quæ fera bella dabat.  
Atque triumphare hic cepit de morte seuera:  
Viribus vt caderet mors superata suis.  
Ergò legens tu Euangelium, cum cernis iniquos  
Iudæos, Domino neceret fraude dolos,  
Et cum cernis eos in eum ceruice rebelli  
Texere propositum, consiliùmque necis.  
Et tamen audacter pro nobis omnibus illum  
Aduersus rabidum dæmona stare vides.  
Tu cane voce tua, quæ psalmus detinet ille:  
Namque tibi palmam contulit ille Deus. Psal. 99.  
Si numen Domini qui prouidet omnibus, atque  
Supremum dominum qui regit astra, vides.  
Et vis imbueri hic aliquos hoc regis amici  
Obsequio, cultu, religione, fide.  
Cum prius hortatus fueris sæliciter illos:  
Vt fateantur eum cordis amore sui.  
Quæ capit hic psalmus, labiis tu concine, summo  
Tu Domino, atque tibi gaudia crebra feres.  
Si tu cognoscis, quæ sit suprema potestas  
Iudicij, & iuris, iustitiæque Dei.  
Et quòd iudicium rectum pietatis amori  
Admiscens, cunctos iudicat ille Deus.  
Ad Dominum si vis accedere fronte iocunda:  
Huius ad hoc psalmi verba decora tenes. Psal. 100.  
Si propter nostræ naturæ debilitatem.  
Afficeris pœna, tedia quæque ferens.  
Afficeris pœna, vt medicus qui consulit illis  
Vitæ sollicitis, continuisque malis.

Si tibi ferre cupis solatia, dum dolor ille  
 In cursu est, vocem carminis huius habes. Pfal. 102.  
 Cum deceat semper Domino depromere grates  
 Omnibus in rebus quas dat amore bono. Pfal. 102.  
& 103.  
 Quando vis ipsi benedicere, dispicis illic  
 Quo tu animam horreris, commoueasque tuam.  
 Si laudare Deum tu vis, & scire lubenter  
 Quo pacto huic laudem te memorare decet. Pfal. 112.  
116. 145.  
132. 146.  
 Et si scire cupis, que laudans dicere verba  
 Debet, habes psalmos, quos Deus vnus amat. 147. 148.  
149. & 150.  
 Si vinam, firmam que fidem, quam diligit vltro  
 Omnipotens Dominus conditor orbis, habes.  
 Vt Dominus dixit, fidei si prorsus inhæres:  
 Atque illam casta religione, tenes  
 Si tu credis in his quæ orans tu dicis, amico  
 Dic tua vota Deo, qui regit orbis opus.  
 Dic illum psalmum, Dominus tua vota, fidemque; Pfal. 113.  
 Augebit solita pro bonitate sua.  
 Si te ascendente rapit & monet actio, quam sic  
 Percipis vt dicas relligiosus ei.  
 Obliuiscor, iis autem contendo, morosum  
 Qui me præcedunt relligione sua.  
 Omnibus in causis huius progressus, habebis  
 Quæ Domino possis dicere iure tuo.  
 Hæc septem atque octo graduum tu cantica dices:  
 Scandes ad Domini templa decora tui.  
 Si te captiuum vehemens agitatio mentis  
 Detinet, & mœstus torquet vbique dolor,  
 Et mentem abduci variis erroribus, atque  
 Hæresibus censes hac dubitante fide:  
 Et te pœnituit, tu deinceps desine, quæso  
 Contere tu mentem, corque repente tuum.  
 Ipse manens vbi te peccantem corde rebelli  
 Tu deprehendisti, tu geme, tu que sede.

Luge

Luge tu, vt Israël exul Babylonis in ora  
 Luxit, & hæc psalmi dic sacra verba Deo. Pfal. 136.  
 Si credis, quod atrox tentatio, te probet, & sit  
 Fœlix vtilitas, commoditasque tibi:  
 Tentatus Domino grates persolue fidelis,  
 Et psalmi illius verba decora cane. Pfal. 138.  
 Et si crudeli tu rursus ab hoste teneris  
 Et tu vis solui, psalmus hic aptus erit. Pfal. 139.  
 Si tu vis Dominum deuota mente precari.  
 Dic illos psalmos, tu bona que que feres. Pfal. 5. 140.  
141. 142. &  
145.  
 Si contra populum sæuus, regidusque tyrannus.  
 Insurgit minitans, & fera bella parat:  
 Armatum Goliath velut vnus David inermis  
 Ne timeas, sed sit spes tua certa, deus.  
 Vnà cum Dauide, Deo tu crede potenti,  
 Ipsius psalmi carmina voce canens: Pfal. 141.  
 In te, atque in cunctos Domini bonitatis amorem  
 Si recolis, Dominum si celebrare cupis:  
 Et si vis domino benedicere, dicito verba  
 Quæ David dixit, proposuitque Deo. Pfal. 84.  
 Si tibi visum sit Domino cantare supremo:  
 Quid dicas, fœlix, atque iocundus, habes. Pfal. 95. & 97.  
 Fratibus ipse tuis paruus præferis in vsu:  
 Ne cristas in eos erige sponte tuas.  
 Tu noli efferris, extolli que superbus in illos:  
 Da decus omne Deo, carmen & illud habe. Pfal. 51. & 150.  
 Obsequium quod habet plenissima gaudia si vis  
 Psallere, & immenso commemorare Deo.  
 Dant ille psalmi præconia maxima laudum  
 Æterno domino, quem decet omnis honor. Pfal. 104. 105.  
106. 110. 111.  
 Hic deus omnipotens, est summo dignus honore:  
 Et semper pura mente colendus hic est. 1. 2. 113. 114.  
115. 116. 117.  
118. 134. 145.  
 Hic nos affecit meritorum culmine summo:  
 Atque dedit nobis hic pietatis opes. 146. 147.  
148. 149. 150.

E

Ille suum gnatum è cælo demisit olympo  
 Ut daret æternæ dulce salutis opus.  
 Illum pro nobis morti subiecit, ut illa  
 Perpetuæ vitæ dona beata daret.  
 O amor, hic hostes capitales, fecit amicos!  
 O amor, ô vehemens omnis amoris opus!  
 Has bonitatis opes, & sanctum fœdus amoris  
 Sic psalmis illis spiritus ore canes.  
 Si cantare cupis de Salvatore seorsum:  
 In quouis psalmo tu reperire potes.  
 Precipue verò illi psalmi ritè docebunt:  
 Augebuntque tuam religione fidem. Psal. 14. & 109.  
 Ex parte ipsius psalmi generatio Christi  
 Legitima inspicitur, Cruxque beata datur. Pf. 10. & 68.  
 Hic & monstratur præsentia corporis huius:  
 De cruce diuina lux quoque clara nitet.  
 Quantum suscepit pro nobis insidiarum:  
 Et quam multa tulit conditione sua. Pf. 2. & 118.  
 Hic tibi monstrabunt Iudææ classis atroces.  
 Insidiæ in dominum, perniciosæque mala.  
 Sæuæque proditio Iudæ Schariotis iniqui  
 Qui dominum paruo vendidit ære suum. Pfal. 20. 49. & 71.  
 Hic regis regum prædicatur, atque potestas  
 Iudicij, summæ iustitiæque decus.  
 Ipsius in carne illustris præsentia, cunctis  
 Quæ iustis pariet gaudia sancta viris.  
 Quo pacto dominus princeps in carne resurgit  
 Cum laude ingenti tu decus illud habes. Pfal. 15.  
 Ascensum in cælum victoris principis huius,  
 Hi psalmi, palmæ nobilitate, ferunt. Pf. 23. & 48.  
 Si videas psalmos illos, tu cernere possis.  
 Quæ cruce præbuerit, contuleritque, Deus. Pfal. 62. 95. 97. & 98.  
 Quæ bona cõrulerit nobis, crucis huius honore  
 Quæ nobis vitam, lætitiàmque, dedit,

Est crux insignis victoria nostra triumphus  
 Noster, clarus honos, crux veneranda manet.  
 Horum psalmorum talis stylus, atque character  
 Est ad nostræ huius commoditatis opem.

LECTORI.

**M**ateriam in psalmis illis, formamque legendi  
 Utque ad vitæ obitum, tu tibi lector habes.  
 Cunctarum rerum diuinarum inclyta dicta  
 Illic discernes, inueniesque tibi.  
 Corpus sanctificant psalmorum cantica, mentem  
 Atque animam exornant luce micante sua.  
 Angelicos cœtus inuitant, rebus in arctis  
 Ut vitæ æternæ præmia læta ferant.  
 Psalmorum ille liber, Cæcodaemonas effugat, atque  
 Expellit tenebras, restituitque diem,  
 Informat vitam, morésque, refectio mentis  
 Est peccatori, diluit omne scelus,  
 Auget hic ille fidem, spem firmat, fœdus amoris  
 Approbat, æterno conciliatque Deo.  
 Ut sol illustrat, nos abluit ut leuis vnda,  
 Vrit & accendit prorsus ut ignis edax.  
 Ostendit dominum, offendit Cæcodaemonis agmen:  
 Huius & insidias, cunctaque bella quatit.  
 Ille voluntatem illicitam, atque Cupidinis ignes  
 Extinguit, motus mitigat arte feros.  
 Sic oleum pietatis hic est, fors ille, beata  
 Lætitia, hic requies, prosperitasque manet.  
 Est pars electa Angelici rutilantis honoris:  
 Eicit illud atrox asperitatis opus.  
 Nunc iram frangit, nunc deprimit ille furorem,  
 Assidua hic laus est, & decus omne Dei.  
 Est melli similis, cunctis est carmen in horis  
 Electum Domino perplacidumque Deo.  
 Expellit scelus emendat sublimis amoris

Vinculum, & hanc mentem magnificare solet.  
Os nunc purificat, cordis penetralia quæque  
Sanctificat, sancto dat sacra vota Deo.  
Nunc aperit sensum, scripturæ arcana penetrat:  
Fœdus vtrumque Dei, sub breuitate capit.  
Excelsam in cœlo turrim componit, & illic  
Ostendit nobis clara per astra viam.  
Omne malum perimit, regni cœlestis honores  
Ut desiderium, deliciasque tenet.  
Perficit hanc animam, & corpus, sacra fœdera pacis  
Huic animæ, & membris corporis, ille refert.  
Spiritualem ignem cordis penetralibus imis  
Accendit, flammam ille calore fouet.  
Aduersus vitium curam hic impendit, & audax  
Hoc agmen scelerum iure timere facit.  
Quotidie certamen hic est in crimen, & armis  
Virtutum inuictis vult iugulare scelus.  
Quisquis amat verè psalmodum cantica, crimen  
Perpetrare nequit, nam timet ille Deum.  
Sancta in corde suo Domini præconia laudum  
Soliúsque Dei pignus amoris habet.  
Gaudet hic in Domino, atque animam cōnectit amore  
Cœlo, mirifica rellegione sua.  
Auditus dulcis, cantúsque suauis, habetur  
Psalmus, sed quid eo dulcius esse potest?  
In psalmo loquitur nunc sanctus Spiritus ille:  
Sanguini, & huic carni non cupit ille loqui.  
Spiritu loquitur, causam illam spiritualem  
Audit, & agnoscit, mente capitque sua.  
Ille creatorem mundi cognoscere cunctis  
Efficit, & summum totius orbis opus.  
Ille creaturas, quas condidit ille creator  
Exhibet exacta cognitione sua.  
Et docet hic omnes ratione resistere cunctis

Dæmonis insidiis quæ necis arma parant.  
Auxilium implorat contra omnia Dæmonis arma,  
Insultúsque feros, horribilésque minas.  
Spiritus aduersus carnem crudele duellum  
Exprimit, & mundi bella cruenta domat.  
In rabidos hostes illos, victricia nobis  
Confert arma, quibus palma decora datur.  
Sed datur à Domino victoria, siue corona,  
Atque triumphus, & hic nobilis vnus honos.  
Erigit ad Dominum mentem, & deposcit ab illo  
Auxilium, & facilem præbet ad astra viam:  
Pro meritis in nos collatis vt Deus vnus  
Laudetur, studiis omnibus ille facit.  
Et nos exercet diuinis laudibus, atque  
Nos hæere Deo nocte, diéque docet.  
Manna habuit quondam veræ dulcedinis omnis  
Atque saporis, opes, deliciasque suas.  
Sic tibi lectori liber hic mirabilis, omne  
Delectamentum spirituale parit.  
Omnibus opratis hominum respondet, & aptè  
Congruit, & votis dat ratione modum.  
Dum canit in Domini laudes Ecclesia psalmos:  
Sunt verba illius, vota, precésque, Deo.  
Cum iustus decantat eos, sunt inclyta verba  
Illa, quibus grates dat tibi (summe Deus)  
Et cum peccator narrat sibi carminis illas  
Voces, tunc veniam poscit ab ore Dei.  
Sic sunt verba Deo pacem, veniamque, precantis:  
Flebilis hoc vitæ qui gemit omne scelus.  
Cum pro defunctis psalmi cantantur in æde  
Sacra, clementi, propitióque, Deo:  
Sunt verba hæc animæ ad Dominum clamantis, acerba  
Pro vitij pœna, supplicióque graui.  
Sic quò se vertat nostra hæc intentio, mox se



Scripturæ sensus detigit arte sua.  
Affectum ingentem cantu componit amico:  
Vt votis cedant omnia verba suis.  
Hæc ergo desumpsi ex sinceris fontibus huius  
Diui Augustini, qui probat illud opus.  
Qui de virtute hæc psalmorum scribit, & illos  
Illustrat, scriptis nobilitatque suis.  
Hic Rex Aegypti Ptolomæus, valde probauit  
Artificis sancti spiritus illud opus.  
Doctus Aristæus accersit Regis honesto  
Iussu interpretes septuaginta duos:  
Ducit in Aegyptum illos, quos excepit honore  
Rex, vt transferrent clarius illud opus.  
Hebræum illud opus, nostræ pignusque salutis  
Illis vertendum motus amore, dedit.  
Non secludit eos studiis, cellisque duabus.  
Septuaginta, illos sed simul ipse vocat.  
His domus vna fuit, cum inter se mente profunda  
Consultant, quid agant hoc operante Deo.  
Quid velit hic textus, quæ sit phrasis illius, & quæ  
Sit mens, & sensus notio digna Deo.  
Vt scribenda darent hæc omnia consona dicta  
Græco Demetrio qui berè fidus erat.  
Illud opus Regi, studiis, vnòque libello  
Absoluere dies septuaginta duo.  
Vulgata æditio quam nostra Ecclesia seruat:  
An sit Hieronymi quæstio mota fuit.  
Multi Hieronymo tribuunt, pars altera surgit  
Vt neget, incertum sic habet author opus.  
Diuis Hieronymus, ter nobis transtulit illud  
Ex hæc Hebræi codicis arte sacra.  
Est imitatus in hoc operis molimine primi  
Hos interpretes septuaginta duos.  
Ex lingua Hebræa in Græcam traduxerat illud

Horum interpretum turba dicata Deo.  
Versio Sophronij precibus datur illa secunda:  
Tertia debetur (Papa Damase) tibi.  
Hæc est communis translatio tertia, qua nos  
Vtimur in cultum, seruitioque Dei.  
Psalmorum varia hæc translatio (Sat grauis, & quæ  
Difficilis, multis satque morosa fuit)  
Non te hic exagitat, mentem inuoluitque tenebris  
Fluctuum, & obscuris non comitatur aquis.  
Versio quam capimus, placeat tibi (claudide lector)  
Illa quidem, facilis, pumice tersa nitet.  
Illa tibi placido deducet in æquore nauem:  
Et naui per aquas vela secunda dabit.  
Si tibi do nauem prora, puppique relictam:  
Quam non in portu ventus, & aura prement.

FINIS.

E iiii

**N**os subſignati Doctores in ſacra-  
 tiſſima Theologia Pariſienſi facultate, cer-  
 tificamus nos legiſſe & examinaſſe hūc  
 preſentem librum cuius eſt inſcriptio Enchiri-  
 dion Pſalmorum Davidis & c. In quo nihil  
 inuenimus quod non ſit conueniēs & conſonum  
 fidei Catholica Apoſtolica & Romana & Sa-  
 croſanctis conciliorum Oecumenicorum decretis  
 in cuius rei fidem & teſtimonium huic ſchedulæ  
 noſtrum chirographum duximus apponendum  
 die ſecunda Ianuarij. 1577.

I. Saury.

A Guillaud.

D. Angar.

QVAM OB CAUSAM, ET QVO DE-  
 notæ mentis ſtudio, dicendi ſunt Pſalmi. Explicatio  
 ſequens declarabit.

PSALMORVM EPILOGVS.

- Quem dicere poſſis beatū dic. 1. Pſal. *De beatitudine*  
 Ex ludæorum in Chriſtū inſidiis alio- *Chriſti.*  
 rum in te patienter ferens. dic. 2. *De conciliis in eū.*  
 Multiplicati ſunt in te hoſtes. dic. 3. *De perſecutione &*  
*reſurrectione eiꝰ.*  
 Exauditus es à Deo, gratias agens. *De vocatione gen-*  
 dic. 4. *tium.*  
 Vides parari tibi inſidias. dic. 5. *Qui odio habetur*  
*à Deo.*  
 Minas Dei ſentis, & territum te vides. *De pœnitentia.*  
 dic. 6.  
 Machinantur in te concilium. dic. 7. *Oratio in fontis.*  
 Mirifica Chriſti meditaris opera. *De Aſceſſione &*  
 dic. 8. *potestate Chriſti.*  
 Coerceri inimicum vis, & creaturam *Gratiarū actio &*  
 ſaluari. dic. 9. *exauditiō piorū.*  
 Te quis metu affecit. dic. 10. *De ſolitudine*  
*Chriſti.*  
 Abundat malitia, confugiens ad deū. *De paucitate pio-*  
 dic. 11. *rum.*  
 Perſeuerant in te inimicorum inſidię. *Oratio pro ſalute*  
 dic. 12. *Hebræorum.*  
 Audis impioſ contra Deum, & prouid- *Increpatio impio-*  
 dentiam loquentes. dic. 13. *rum.*  
 Qui regnum cœlorum ſint ingreſſuri. *De conuerſatione*  
 dic. 14. *Chriſti.*

Sperans in Domino de futura resurrectione gaudes.	dic. 15.	<i>Demirificatioe &amp; hereditate eius.</i>
Fatigatus ab hostibus refrigerium petis.	dic. 16.	<i>Piorum spiritualis oratio.</i>
Liberatus es ab aduersitatibus aut inimicis	dic. 17.	<i>De Christi &amp; patris mutua dilectione.</i>
Miraris ordinem rerum & prouidentie gratiam.	dic. 18.	<i>De beneficiis aduentus Christi.</i>
Bonos tribulatos vides, aut illis bona imprecaris.	dic. 19.	<i>Optio, quod Christo omnia prospera forent.</i>
Aduersarios Christi succumbere vides.	dic. 20.	<i>De exauditione &amp; benedictione Christi.</i>
Meditatione passionis patientiam cupis.	dic. 21.	<i>De passione Domini.</i>
Tentationes desunt, & prospera tibi adsunt.	dic. 22.	<i>Gratiarum actio beneficiorum Dei.</i>
Qui beatitudinem sint accepturi, cogitas.	dic. 23.	<i>De baptismo &amp; Ascensione Domini.</i>
Irritant te inimici.	dic. 24.	<i>Oratio fidelium operam poscentium.</i>
Inconsciū te sentiens à Deo iudicium petis.	dic. 25.	<i>De innocētia Christi Domini.</i>
Fidis in Deo grassantibus in te inimicis.	dic. 26.	<i>De securitate Christi in tribulatione.</i>
Anxietas te angit & vitæ tedium.	dic. 27.	<i>Deprecatio Christi pro populo fidei.</i>
Munus Deo offers,	dic. 28.	<i>De diuinitate veri q̄ caro factū est.</i>

Liberatus es ab iis quæ te premebant malis.	dic. 29.	<i>De reductione Christi ab inferis</i>
Oppressus malis in Deo fidis.	dic. 30.	<i>De anxietate vitæ Christi.</i>
Misericordiam Dei cōsecutorum felicitatem cogitas.	dic. 31.	<i>Oratio penitentis.</i>
In cœtu iustorum versaris.	dic. 32.	<i>De exultatione cognitionis unitri- ni Dei.</i>
Liberatus à malis mites conuocas ad gratias agendas.	dic. 33.	<i>De diuina protectione timētium Deum.</i>
Aduersariis tuis resistere non potes.	dic. 34.	<i>De machināre &amp; falsis testibus in Christum.</i>
Malos vides sibiipsis causam mali esse.	dic. 35.	<i>Quod sua sponte sunt mali &amp; Dei ope boni.</i>
Mali, & superbi in paruos & humiles superbiunt.	dic. 36.	<i>Spiritualis instructio ad salutem.</i>
Iram Dei times.	dic. 37.	<i>Oratio ad Dei mitigandam iram.</i>
Iniuste accusant te sceleris inimici.	dic. 38.	<i>De custodia oris &amp; contemptus mundi.</i>
Post longam expectationem à malo liberatus.	dic. 39.	<i>Gratiarum actio &amp; quādo Christus venit.</i>
Misericordem vides siue prosperantem siue depressum.	dic. 40.	<i>De beatitudine imitātium Christi paupertatem.</i>

Lacesceris à impiis Deum desiderans.	dic. 41.	<i>De desiderio piorū videndi Deum.</i>
Falso iudicio humano tractaris.	dic. 42.	<i>Cōfessio trina beatitudinis.</i>
Recordaris antiqua Dei beneficia.	dic. 43.	<i>Eiectio Iudæorum &amp; martyriū afflictio.</i>
Egressum Christi à patre ad humanitatem meditaris.	dic. 44.	<i>De utraque Christi generatione.</i>
Confugiens ad Deum, mala quæ præmebant, euasisti.	dic. 45.	<i>De persecutionibus Ecclesiæ.</i>
Nouus populus regno Christi accrescit.	dic. 46.	<i>Inuitatio gentium ad letitiam.</i>
Christiformem Ecclesiæ statum animo versas.	dic. 47.	<i>De Ecclesiæ Christi Domini.</i>
Status felicitum, & miserorum, occurrir cogitandus.	dic. 48.	<i>De perditione Iudæa &amp; complicitate eius.</i>
Nosse vis quomodo in secūdo aduentu liberaberis.	dic. 49.	<i>De manifestatione Trinitatis.</i>
Pœnitens ex peccato redis ad Deum.	dic. 50.	<i>Oratio pœnitentis.</i>
Vides impium in malitia gloriantem.	dic. 51.	<i>De ultione Dei in impios.</i>
Ad idem.	dic. 52.	<i>De homine peccati &amp; secta eius.</i>
Quærunt te hostes ad iniuste perendum.	dic. 53.	<i>Oratio Christi in insurgentes in eū.</i>
Pressus hominum nequitia ad Deum confugiens.	dic. 54.	<i>De osoribus Christi &amp; domestico proditore.</i>

A grauissima hominum pressura exauditus euasisti.	dic. 55.	<i>Oratio humilissima &amp; depressorum.</i>
Deus aduersus quosque insultus miserus est tui.	dic. 56.	<i>Oratio Christi in passione.</i>
Ad hipocritarū & falsorum Iudorum conuersionem.	dic. 57.	<i>Increpatio malorum.</i>
Insurgunt in te hostiles cateruæ.	dic. 58.	<i>Oratio Christi &amp; peccatū Iudæorū.</i>
Dura, passus es quasi flagellum Dei expertus.	dic. 59.	<i>Lamētabilis oratio Synagoga.</i>
Te malignus angit omnium hominum inimicus.	dic. 60.	<i>Oratio fidelis populi ubiuis gentium.</i>
Tentationes sentis ad delinquendum te trahentes.	dic. 61.	<i>Pia sui ipsius in Deū exhortatio.</i>
Solitudines propter Deum, aut in persecutionibus petis.	dic. 62.	<i>De cōtemplatione Christi in deserto.</i>
Times falsò criminantium linguas.	dic. 63.	<i>De festinata passione Christi.</i>
Te laudandi Deum accipit deuotio.	dic. 64.	<i>De baptismo &amp; alimēto noue legis.</i>
Christi religionem longè diffundi cupis.	dic. 65.	<i>Inuitatio omnium ad Dei cultum.</i>
Misericordiam & illuminationem à Deo postulas.	dic. 66.	<i>Petitio uisitationis à Christi saluari.</i>
A malignis spiritibus nocumētum times.	dic. 67.	<i>De resurrectione Christi &amp; qua secuta sunt.</i>
In magnis Angustiis es constitutus.	dic. 68.	<i>De afflictionibus Christi &amp; ritu nouo.</i>
Times insultum animam tuam diripere uolentium.	dic. 69.	<i>De reductione Christi ab inferis.</i>

Si te (cūm Deo seruias) nequam à Deo derelictum iudicant dic. 70. *Quòd Christus literas non didicerit.*

Falsum ab hominibus iudicium sustinens in Deo confoleris. dic. 71. *Quòd omne iudicium dicitur patre filio*

Vides malos prosperari nè scandalizeris. dic. 72. *De N. mesi Christi.*

Populum fidelem vides afflictum. dic. 73. *De diuturna afflictione populi sancti.*

Diuerfas hominū sortes videns ne adscribe fortunæ. dic. 74. *Confessio mirabilium Dei.*

Diuini verbi incarnatio te ducit in admirationem. dic. 75. *Vbi Christus habitauerit in terris.*

Aduersus terræna ex spiritualibus, consolationem cupis. dic. 76. *Consolatio spiritualis in tribulatione.*

Quòd Deus legem seruari velit ex antiquis nosse vis. dic. 77. *Quòd Christus locutus erat in parabola.*

Hostiles impetus loca Dei ruinis affecterunt. dic. 78. *Figura persecutionis martyrum.*

Aliquos sacris mysteriis imbui optas. dic. 79. *Postulatio apparitionis Christi in Iudæa.*

Aliquid lætum superuenit aut celebritas adest. dic. 80. *Figura memoria noui sacramenti.*

Arduum negotium aliquorū iudicio, aut delectui commissum. dic. 81. *Consecratio Synagoga à Christo.*

Certamen aut bellū est impiorum contra pios. dic. 82. *Figura bellorum contra populum sanctum.*

In sacro aliquo loco Dei seruitio mancipatus es. dic. 83. *Desideriū supernæ habitationis.*

De virgine quæ fructū vitæ attulit cogitas. dic. 84. *De præsantificatione virginis Deiparæ.*

Puritatem vitæ in paupertate retines dic. 85. *Quòd omnes gentes fidē sint perceptura.*

Loca sancta rectè gubernari optas. dic. 86. *De Ecclesia Christi & regenitis in ea.*

Anxiatus est in te spiritus tuus. dic. 87. *De descensu Christi ad inferos.*

Misericordiam à Deo consecutus es. dic. 88. *Promissiones nobis factæ in Christo.*

Ad idem. dic. 89. *De benignitate & potentia Dei.*

Te, aut alios exhortatos ad religionem cupis. dic. 90. *De tētatione Christi à diabolo.*

Nosse vis quid faciendum festa postulent. dic. 91. *Quòd noxia & fragilia sint peccatorum oblectamenta.*

Desideras in cultu Dei animas esse purgatas. dic. 92. *De Regno Christi.*

Audis blasphemias, & Dei contemptores. dic. 93. *Vltio & vindicta Deo relinquenda.*

Adest celebritas. dic. 94. *Excitatio spiritualis ad exultandū in Deo.*

Beneficium noui Testamenti cogitas. dic. 95. *Laudandus Deus in factis nouæ legis.*

Futuri iudicij mentem subit cogitatio. dic. 96. *De nouissimo iudicio & signis eius.*

Audis miracula nouæ legis.	dic.97.	<i>Miracula nouæ legis narranda.</i>
		<i>Imitatio ad letandum in Deo.</i>
Orare vis pro iis qui legem recipiunt.	dic.98.	<i>Inuitatio genitum ad letitiam.</i>
Ad idem.	dic.99.	
Misericordiam ad piè viuendum postulas.	dic.100.	<i>Quæ conuersatio Christi in terris.</i>
Vitæ malis afficeris consolâs te in Deo.	dic.101.	<i>Inuocatio Dei in lōga opprēssione.</i>
Gratias Deo de beneficiis agere vis.	dic.102.	<i>Gratiarum Actio pro beneficiis Dei.</i>
Prouidentiam Dei ex veteti lege laudare vis.	dic.103.	<i>De prouidentia Dei.</i>
Ad idem.	dic.104.	<i>Laus veteris Sinagoge.</i>
Ad idem.	dic.105.	<i>Alia laus eiusdē.</i>
Ad idem.	dic.106.	<i>Confessio eius &amp; quædam Christi signa.</i>
Alacrem te sentis ad laudandum.	dic.107.	<i>De promptitudine &amp; obedientia Christi.</i>
Falsas in te sentis linguarum calumnias.	dic.108.	<i>De blasphemis &amp; Iuda proditore.</i>
Consubstantialitatem Christi cogitas.	dic.109.	<i>De sessione Christi in dextra patris.</i>
Cum multitudine ad mensam Christi accedis.	dic.110.	<i>De institutione viuifica Eucharistia.</i>
Dei timorem postulas.	dic.111.	<i>De timore Dei.</i>
De mensa eius & perceptione immaculati agni venis.	dic.112.	<i>Hymnus Christi peracta cæna.</i>

Te

Te agnoscens à seruitute diaboli eripit.	dic.113.	<i>Figura liberationis nostræ à diabolo.</i>
Benignitatem Dei cogitas.	dic.114.	<i>Christus semper à patre auditus.</i>
Immolare Deo sacrificium vis.	dic.115.	<i>De extrâ Christi &amp; eius calice.</i>
Diuitem in omnes Dei misericordiam laudare vis.	dic.116.	<i>Vocatio genitum ad laudē trinitatis.</i>
Spem firmam & in Deum rectam postulas.	dic.117.	<i>De lapide angulari Christo Iesu.</i>
Quæ sint studia pietatis & vitæ nosse vis.	dic.118.	<i>Octonaria spirituales meditationes.</i>
Nē te ledant peruersæ doctrinæ linguæ.	dic.119.	<i>De fugienda infidelitate.</i>
Verum auxilium vnde sit, cōtemplans.	dic.120.	<i>De vera magnanimitate.</i>
Te desiderium alterius, meliorisque vitæ capit.	dic.121.	<i>De vera voluptate.</i>
Te mundi fastus fatigat.	dic.122.	<i>De charitate ad Deum.</i>
Superasti pericula supra vires.	dic.123.	<i>De confidentia in Deo.</i>
Cogitas Angelos bonorum esse custodes.	dic.124.	<i>De vera spe.</i>
Plagam communem amouit Deus.	dic.125.	<i>De charitate ad proximum.</i>
Cum cogitas in potestate alicuius non esse saluari.	dic.126.	<i>De vera fide.</i>
Optas alicui Dei timorem & benedictionem.	dic.127.	<i>De timore Dei.</i>
Sæpe tentatas tibi infidias deiutasti.	dic.128.	<i>De pio zelo.</i>
Compunctum te corde & animo sentis.	dic.129.	<i>De oratione &amp; penitentia.</i>

F

Te propter Deum humilias. dic. 130. *De vera humilitate.*

Pacem & mansuetudinem cum omnibus obseruas. dic. 131. *De vera mansuetudine.*

Inter vnionis fraternæ amatores versaris. dic. 132. *De fraterna vnione.*

Accessus fit ad synaxim & sancta sanctorum. dic. 133. *De sacrosancta synaxi.*

Percepta sunt sancta. dic. 134. *Beneficiorum Dei agnitio.*

Ad idem. dic. 135. *De eodem.*

Te cogitatus ex spiritualibus ad vana deiicit. dic. 136. *Figura lapsorum ex spiritualibus ad terrena.*

Te sanctam legem percepisse recordaris. dic. 137. *De misericordia & veritate Dei ubique percepta.*

De præscientia & prædestinatione cogitas. dic. 138. *De præscientia & immensitate Dei.*

Es vbi peruersa sunt doctrinæ dogmata. dic. 139. *De auersione ab hæresibus.*

Times ne verbo offendas. dic. 140. *Dei munus esse à peccato seruari.*

Amici & noti deseruerunt te. dic. 141. *Derelictio Christi & descensus ad inferos.*

Pœnitentiam agis. dic. 142. *Oratio pœnitentis.*

Victor euasisti de inimicis tuis. dic. 143. *Petitio vt Christus mitteretur.*

Misericordiam, benignitatem, potentiam & prouidentiam Dei cogitas. dic. 144. *Laus à Dei attributis.*

Cogitas te moriturum. dic. 145. *De laude & regno Dei æterno.*

Potentia, sapiëntia & beneficentia Dei, mentem subit. dic. 146. *Quòd omne bonum ex prouidentia Dei fit.*

Post scismata, bella, & pressuras succedit pax. dic. 147. *De ciuitate pacis quæ est piorum cœtus.*

Ordinem creaturarum mente agitas. dic. 148. *Laus à cœlestibus & terrestribus.*

Certans adhuc Ecclesia obseruatur animo. dic. 149. *Laus ab Ecclesia inferiori.*

Cœlestem & triumphantem ante oculos collocas. dic. 150. *Laus à superiori & cœlesti.*

INDEX PSALMORVM  
SECUNDVM VETEREM  
translationem.

A

**A** Dominiū quom̄  
tribularet, cla-  
maui. Psal. 158.  
Ad te Domine le-  
uaui. 26.p.2.  
Ad te Domine clamabo. 30.  
Ad te leuaui oculos meos. 160.  
Afferte Domino. 31.  
Attēdite popule meus. 95.p.2.  
Audite hæc omnes gentes. 58.  
B  
Beati imaculati in via. 151.p.2.  
Beati omnes qui timent Domi-  
num. 163.  
Beati quorum remissa sunt. 35.  
Beatus vir qui non abiit. 1.  
Beatus qui intelligit super ege-  
num. 48.p.2.  
Beatus vir qui timet Domi-  
num. 145.  
Benedic anima mea Domino, &  
omnia. 127.p.2.  
Benedic anima mea Domino,  
Domine. 129.  
Benedixisti Domine terram.  
106.p.2.  
Benedictus Dominus Deus

meus. 176.  
Benedicam Dominum in omni  
tempore. 37.p.2.  
Bonum est confiteri. 117.

C

Cantate Domino canticum no-  
uum, cantate. 121.  
Cantate Domino canticum no-  
uum, quia mirabilia. 123.  
Cantate Domino canticum no-  
uum, laus eius. 181.p.1.  
Cæli enarrat gloriā dei. 19.p.2.  
Confitebimur tibi. 92.p.2.  
Confitebor tibi Domine in toto  
corde meo, narrabo. 8.  
Confitebor tibi Domine in toto  
corde meo in consilio. 144.  
Confitebor tibi Domine in toto  
corde meo, quoniam audi-  
sti. 169.p.2.  
Confitemini Domino & in-  
uocate. 131.  
Confitemini Domino quoniam.  
134.p.2.  
Confitemini Domino, quoniam.  
137.p.2.

Confitemini Domino quoniam.  
105.  
Confitemini Domino quoniam.  
167.p.2.  
Conserua me Domine. 13.p.2.  
Credidi propter quod locutus  
sum. 148.p.2.  
Cū inuocare exaudiuit. 3.p.2.

D

**D**e profundis clamaui. 164.  
Deus auribus nostris. 52.  
Deus deorum Dominus. 60.  
Deus deus meus respice. 22.p.2.  
Deus deus meus ad te. 74.  
Deus in adiutorium meū. 84.  
Deus in nomine tuo saluum.  
65.p.2.  
Deus iudiciū tuū regi. 56.p.2.  
Deus laudem meam. 141.  
Deus misereatur nostri. 78.  
Deus noster refugium. 65.  
Deus quis similis erit. 13.p.2.  
Deus repulisti nos. 72.  
Deus stetit in synagoga. 103.  
Deus venerunt gentes. 99.  
Deus ultionū dominus. 118.p.2.  
Dilexi quoniam exaudiet. 148.  
Diligēte Domine fortitudo. 16.  
Dixi custodiam. 46.  
Dixit Dominus Domino meo.  
143.  
Dixit iniustus. 41.p.2.  
Dixit insipiens in corde. 12.p.2.  
Dixit insipiens in corde. 65.

Domine clamaui ad te. 173.p.2.  
Domine Deus meus in te. 7.  
Domine Deus salutis mea.  
109.p.2.  
Domine Deus noster. 7.  
Domine exaudi orationem &  
clamor. 125.p.2.  
Domine exaudi orationem au-  
ribus. 175.  
Domine in virtute tua. 22.  
Domine ne in furore tuo. 5.  
Domine ne in furore tuo. 44.  
Domine nō est exaltatū. 164.  
Domine probasti me. 170.  
Domine quid multiplic. 2.p.2.  
Domine quis habitabit. 13.  
Domine refugium factus. 114.  
Domine ut Ecclesiasti loqe. 9.p.2.  
Domini est terra. 25.  
Dominus illuminatio mea.  
28.p.2.  
Dominus regit me. 25.  
Dominus regnavit decorē in-  
dutus. 118.  
Dominus regnavit exulter.  
122.  
Dominus regnavit irascan-  
tur. 123.

E

**E**cce nunc benedicite. 166.  
Ecce quā bonum &  
quā iucundum. 165.p.2.  
Eripe me de inimicis. 70.  
Eripe me Domine. 172.p.2.



*Eruclauit cor meum.* 54.  
*Exaltabo te Domine.* 31.  
*Exaltabo te Deus meus.* 177.  
*Exardiat te Dominus.* 21.  
*Exaudi Deus deprecationē.* 66.  
*Exaudi Deus orationem meam.*  
*cum.* 75.  
*Exaudi Deus iustitiam.* 14.p.2.  
*Expectans expectaui.* 47.  
*Exultate Deo adiutori.* 12.p.2.  
*Exultate iusti i Domino.* 36.p.2.  
*Exurgat Deus & dissipentur.*  
 78.p.2.

F

*Fundamenta in montibus.*  
 108.p.2.

I

*In conuersitudo Dominus.*  
 161.2.  
*Inclina Domine aurem tuam.*  
 107.p.2.  
*In Domino confido.* 10.p.2.  
*In exitu Israël non de Aegy-  
 pro.* 146.  
*In te Domine speraui.* 33.  
*In te Domine speraui.* 84.p.2.  
*Inbilate Deo omnis terra, ser-  
 uire Domino.* 124.  
*Iudica Domine nocentes.* 39.  
*Iudica me Deus & discerne.* 31.  
*Iudica me Domine.* 28.

L

*Lauda anima mea Do-  
 minum.* 178.p.2.  
*Lauda Hierusalem.* 182.  
*Laudate Dominum de cælis.*  
 180.  
*Laudate Dominum in sanctis.*  
 182.  
*Laudate Dominum omnes.*  
 149.p.2.  
*Laudate Dominum quoniam.*  
 17.9.p.2.  
*Laudate nomen Domini.*  
 166.p.2.  
*Laudate pueri Dominum.*  
 145.p.2.  
*Letatus sum in his.* 159.p.2.  
*Leuaui oculos meos.* 159.

M

*Magnus Dominus &  
 laudabilis.* 57.p.2.  
*Memento Domine David.*  
 164.p.2.  
*Misericordiam & iudicium.*  
 124.p.2.  
*Misericordias domini.* 110.p.2.  
*Miserere mei Deus.* 61.  
*Miserere mei Deus, quoniam.* 68.  
*Miserere mei Deus miserere.*  
 68.p.2.

N

*Nisi Dominus adificauit.*  
 162.

S

*Nisi quia Dominus erat.* 160.p.2.  
*Noli amulari in malignanti-  
 bus.* 41.p.2.  
*Nonne Deo subiecta* 73.  
*Non nobis Domine non nobis.*  
 246.p.2.  
*Notus in Iudæa Deus.* 63.

O

*Omnes gētes plaudite.* 57.

P

*Percutatum cor meum.* 140.

Q

*Quare fremuerunt gen-  
 tes.* 1.p.2.  
*Quam bonus Israël Deus.* 88.  
*Quam dilecta tabernacula.* 105.  
*Quemadmodum desiderat.* 50.  
*Qui confidunt in Domino.* 161.  
*Quid gloriaris in malitia.* 64.  
*Qui habitat in adiutorio.* 115.  
*Qui regis Israël intende.* 100.

FINIS PSALMORVM.

*Saluum me fac Deus, quo-  
 niam.* 11.  
*Saluum me fac Domine, quo-  
 niam.* 81.p.2.  
*Sæpe expugnauerunt me.* 163.  
*Si vere utique iustitia.* 69.p.2.  
*Super flumina Babylon.* 138.p.2.

T

*Te decet hymnus Deus in  
 Zion.* 75.

V

*Venite exultemus Domi-  
 no.* 119.p.2.  
*Verba mea auribus percipe.* 4.  
*Vocem ad Dominum.* 94.  
*Vocem ad Dominum cla-  
 mavi.* 174.  
*Vsquequò Domine obliuisceris.*  
 12.  
*Vt quid Deus repulisti.* 90.

# INDEX CANTICORVM.

## A

*Audite cœli qua loquor.* 192.p.2.

## B

*Benedicite Domini Domino.* 186.p.2.

*Benedictus Dominus.* 184.p.2.

## C

*Confitebor tibi Domine.* 188.

*Cantemus Domino gloriose.* *ibid.*p.2.

## D

*Domine audiui auditum.* 190.

## E

*Exultauit cor meum in Domino.* 197.

*Ego dixi in dimidio dierum.* 198.p.2.

## M

*Magnificat anima mea Dominum.* 183.p.3.

## N

*Nunc dimittis.* 194.p.2.

## O

*Oratio Ieremie pro captiuo populo.* 200.

## Q

*Qui sponte offertis.* 204.

## T

*Te Deum laudamus.* 185.

Symbolum Athanasij.

*Quicumque uult saluus esse.* 207.